


Fortunati Crellij
ISAGOGE
LOGICA: IN DVAS PARTES TRIBVTA: IN communem & propriam.

EDITIO TERTIA.



NEVSTADII IN PALATINATV,
Excudebat Matthæus Harniſch.

cIↄ. Iↄ. XC.

MAGNIFICO ET NOBILI VIRO: DOMINO Philippo VVamboldo ab Vmstat: Illustriss. Principis, Ioan. Casimiri, Palatini ad Rhenum &c. Legato: Mæcenati suo

FORTVNATVS CRELLIVS

S. P. D



TSI non ignoro, vir nobilissime: summoperè tibi illud Tertulliani placere, cùm ait: verum esse, quod prius traditum sit, falsum autem, quod posterius sit immissum: id quod ille de rebus quidem ad religionem attinentibus pronũciauit: sed quod non minus in Philosophicis quoque locum habet: quandoquidem de omnibus generatim rebus verum est illud eiusdem Tertulliani: prior est res passione, & materia æmulatione: etsi, inquam, hoc tibi placere certò scio: quam ob rem, sicut antiquam illam, quæ sola vera est, religionem sequeris: sic priscam & Peripateticam philosophandi rationem probas: tamen non

de præscri. hæret.

lib. 4. cõtr. Marc.

(:) abs

abs re me facturum putaui: si nonnihil adolescentes, quibus hæc Isagoge destinata est, de veræ illius & Peripateticæ Logices vtilitate, quam pauci quidam hodie pessundare conantur, commonefacerem.

Ac primùm quidem quod ad veræ Logices tum vtilitatem, tum necessitatem attinet: nō est, cur procul rationes arcessamus.
2. Tim. 2. Spiritus sanctus ipse, cùm ὀρθοτομοῦντα requirit Episcopum, satis indicat: quantum in Theologia vera Logica possit: quæ Theologo adeò est necessaria: vt ne ipse quidem S.S. eam contemserit. Quod cùm uidissent Patres orthodoxi: non solùm ipsi in eo elaborarunt: vt præceptis institutisq; Logicis abundarent: sine quibus verbum veritatis secari & tractari feliciter non potest: sed nobis quoque posteris, si quidem cum fructu in Scripturis versari velimus, Logicā summoperè commendarunt.

Autor est antiquissimus Tertullianus:
contr. Valent. Iustinum Martyrem, Miltiadem, Irenæum, ceteraq; antiquæ illius Ecclesiæ lumina, omnium, vt verbis illius utamur, doctrinarum curiosissimos fuisse exploratores: in philosophicis,

loſophicis, ideoqúe in Logica, quæ Philoſophiæ inſtrumentum eſt, apprimè verſatos: cuius opera & verbum veritatis dextrè ſecuerunt: & feliciter cum quibuſuis hæreticis depugnarunt: & hæreſes expugnarunt. Tertullianus profectò, quem ad modum ipſius monumenta teſtantur, tantam omnium rerum ſibi ſcientiam comparauit: vt nulla Philoſophiæ pars, nullaq́ vniuersè diſciplina fuiſſe uideatur: à qua vir ille non egregiè fuerit inſtructus. Sed audiamus: quid celeberrimus ille, mediæ antiquitatis doctor, Auguſtinus, de Logica noſtra pronuntiet. Diſputationis, *inquit,* diſciplina ad omnia genera quæſtionũ, quæ in literis ſacris ſunt penetranda & diſſoluenda, plurimùm valet. *Et paulò pòſt:* ſcientia conclusionum & definitionũ & diſtributionum plurimùm lectorem Scripturarum adiuuat. *Et rurſus alibi:* Dialectica, *inquit,* diſſerendi potens: potenter dubia quæque definiens: cunctas Scripturas euibrans atque euiſcerans: cũctam humanã ſapientiam annihilans. *Auguſtino ſuffragatur Hieronymus: qui ſic ſcribit:*

de doctri. Chriſt. lib. 2. cap. 31.

cap. 37.

de cognit. veræ vitæ.

in Ezech *scribit*: Verè quicquid in sæculo peruersorũ dogmatũ est: quicquid ad terrenã scientiam pertinet, & putatur esse robustum: hoc Dialectica arte subuertitur: &, instar incẽdij, in cineres fauillasq; dissoluitur: vt probetur esse nihili: quod putabatur esse fortissimum. *Ex quibus liquet: quid de Logica Patres orthodoxi senserint: & quantoperè eam omnibus S. literarum Doctoribus & catholicæ veritatis propugnatoribus necessariã esse, existimarint: quippe cuius unius opera Sophistarum & hæreticorũ machinæ subuertuntur: & in fumum acutissima ipsorum tela dissipantur.*

Atque hæc causa est: cur multi hodie infeliciter cum Sophistis congrediantur: & tũ se, tum alios disputando implicent: quia Logicam artem, quæ sola paralogismorum dissoluendorum rationem tradit, non didicerunt. Neq; verò solùm Theologis necessaria artis Logicæ cognitio est: sed omnibus quibusque: qui cum fructu versari in studijs, & non oleum & operam, vt est in prouerbio, perdere volunt. quam ob rem M. Tullius Iuris

ris quidem ciuilis usum multis concessit: artē verò uni Sulpitio uindicauit. Ita enim ille: Sic enim, inquam, Brute, existimo. Iuris ciuilis magnum vsum & apud Scæuolā, & apud multos fuisse: artem in hoc vno: quod nūquam effecisset ipsi[9] Iuris scientia: nisi eam præterea didicisset artem: quæ docet rem vniuersam distribuere in partes: latētem explicare definiendo: obscuram explanare interpretando: ambigua primùm videre: dein distinguere: postremò habere regulam: qua vera & falsa iudicarentur: & quæ quibus præposita essent, quæq; non essent consequentia. hîc enim attulit hanc artē: omnium artium maximam: quasi lucem, ad ea: quæ confusè ab alijs aut respondebantur: aut agebantur. *Hæc Tullius. Audiant studiosi Iuris Iureconsultum: Iureconsultis præcipientem: & celeberrimi Iureconsulti exemplo: ad Logices studium eos incitantem. audiant eundem Medici: eundem Theologi. Vt rem vniuersam in partes aptè distribuas, Logica est: vt latentem definiendo explices, Logica*

de clar. orator.

 est:

est: vt obscura explanētur, Logica est: vt ambigua cernantur, Logica est: vt commodè distinguantur, Logica est: vt vera & falsa iudicentur, Logica est: vt veritas asseratur, mendacium conuincatur. Logica est: vt perfectam rerum scientiam, quæ hominem ἀμετάπτωτον *facit, assequaris, Logica est: vt denique docere & discere possis, Logica facit. Quocirca hæc alicubi scripta reliquit, Augustinus:* Quando ergo, *inquit*, ratio ad alia fabricata transiret: nisi sua ipsius machinamenta distingueret: notaret: digereret: proderetque; ipsam disciplinā disciplinarū, quam Dialecticā vocāt? hæc docet docere: hæc docet discere.

lib. de ord.

Innumera adferri sapientissimorum hominum testimonia possent: quibus artem Logicam nobis commendant: eamque in cœlum vsque tollunt: sed ea breuitatis causa mittimus: ne rem planam, & apud omnes sanos extra controuersiam semper positam, in dubium vocare velle videamur.

De Aristotelis Logica hodie disceptatur. Sunt enim quidam: quos scribere non pudet: ea nihil ferè, nisi errores, nugas, & tricas

continineri: quod quàm verè ab istis scribatur: iudicent quæso, quicunque absque præiudicio iudicare possunt. Reprehendere sanè quiduis, non est difficilè: præsertim contentiosis naturis: verè autem reprehendere erroris'q; conuincere, non æquè facile. Quàm enim verè Aristotelis Logica à paucis quibusdam hodie flagelletur, illud satis indicat: quòd illi ipsi, qui flagellant, illa ipsa, quæ flagellant, ne per somnium quidem vnquam intellexerunt: vt paulò post vno & altero exemplo planum faciemus.

Nos igitur eâdem ferè facilitate, qua Logices necessitatē demonstrauimus, Logicā quoq; Aristotelis à calumnijs vindicabimus. Quid verò, si dissentientibus à nobis, compendij gratia, de posteritate, cum Tertulliano, præscriberemus? Posterior profectò, vt idē alibi scripsit, nostra res non est, immò omnibus prior est. hoc, inquit ille, erit testimonium veritatis, vbique principatum occupātis. Contra. Hermog. de præscript.

Sed misso temporis principatu, rationes audiamus. Vera est Logica: & sola vera atque perfecta: quæ omnia illa nobis præstat: quæ Logices propria esse, sapientissimi viri indica-

iudicarunt. talis præter Aristotelicam nulla est. hæc rem vniuersam in partes distribuere docet: hæc sola perfectè rem latentem explicare definiendo docet: hæc obscura explanandi interpretando viam ostendit: hæc ambigua monstrat, hæc ambigua distinguit: hæc sola regulam vera & falsa iudicandi tradit: hæc Scripturas euiscerat: hæc verè sola cunctam humanam sapientiam in nihilum redigit: & quicquid in sæculo est peruersorum dogmatum, instar incendij in cineres fauillósque dissoluit.

Ac vt maximè nouis quoque Dialecticis quædam istorum concedamus: hoc tamen verum est: eos de ratione dissoluẽdorum sophismatum: de Dialectica & demonstratione: quæ caput rei sunt: quibus solis veritas comparatur, explicatur, propugnatur: falsitas monstratur, conuincitur, profligatur: & quæ sola nostra Logica sibi iure arrogat: ne γρῦ quidem (hîc murus aheneus esto) vt taceam: illa ipsa, quæ tradunt, mutila ab illis tradi: & quicquid boni in ipsorum Dialectirhetorica continetur, id totum Aristoteleæ Logicæ deberi.

Si ordinem quoque & artificium Aristoteleæ Logicæ considerauerimus: reperiemus: nullam esse: quæ cum illa posit comparari. Aristoteles enim non solum Logicam, & quidem primus, conscripsit: sed ita quoque conscripsit: vt non obscurè significarit: se nihil traditurum: nisi quod ex ipsa natura deduci posset: & à Deo ipso traditum esset: vt suo loco demonstramus: id quod alij, qui nihil, nisi quod nouum est, admirantur: & quibus nihil uetustum sapit: non solùm non annotarunt: sed ne uidere quidem in Aristotele in hanc usque diem, potuerunt: Lynceis alioquin oculis præditi: qui in pectora eorum, qui nondum in lucem editi sunt, introspexerunt: cùm scripserunt: nullam vnquam æqué perfectam Dialecticam prodituram, ac P. Rami est: animaduersionib. scilicet quibusdam castigata. Ex quo vno satis liquet: non posse non optimam esse Aristotelis Logicam: quæ nihil tradit: nisi quod ex naturæ principijs deducitur: vt suo loco pleniùs intelligetur.

Sed insurgunt aduersus nos triplicis generis aduersarij. primò enim quidam adeò morosi sunt & superstitiosi: vt Logices &

reliqua-

reliquarum artium atque Scientiarum cognitionem, Christiano homini non solùm non vtilem, sed vehementer etiam perniciosam esse contendant: vtqúe hanc suam mercem extrudant, Scripturas, Patres, abusum, intempestiuè nobis obiectant.

Colos.2. *Nam quod Apostolus monet: cauendum esse: ne Philosophia decipiamur: id tantum abest: vt aduersarÿs patrocinetur: vt eos etiam iugulet. Per Philosophiam enim aliud nihil intelligit: quàm inanem deceptionem & præstigias: quæ iuxta traditionem hominum & elementa Mundi fiunt: vt ipse se ipsum Apostolus interpretatur: cùm scilicet vel falsis Philosophorum hypothesibus fucum facere Sophistæ conantur: vel veris principÿs abutuntur: quæ præstigiæ à nemine cernuntur: qui Logica luce est destitutus. Nonne sibimet ipsi Spiritus sanctus contradiceret: si iam instrumentum illud instrumentorum efflagitaret: mox omnem disciplinam & artem exterminaret? Idem de Patribus dico. Fieri enim non potest: vt, qui Philosophiam & artem Logicam non solùm miris laudibus extulerunt; sed auidissimè*

ſimè quoque imbiberunt: eam vnquam damnarint.

Sed videntur omnia, quæ diximus, quaſi fulmine proſterni, illis Tertulliani verbis: de præſcr.
Miſerum Ariſtotelem: qui illis Dialecticam inſtituit: artificem ſtruendi & deſtruendi verſipellem: in ſententijs coactam: in coniecturis duram: in argumentis operariam contentionum: moleſtam etiam ſibi ipſi: omnia retractantem, nequid omninò tractauerit. Hinc illæ fabulæ & genealogiæ indeterminabiles, & quæſtiones infructuoſæ. Viderint, qui Stoicum & Platonicum & Dialecticum Chriſtianiſmum protulerunt. *Sed ex eodem Tertulliano, ibidem, & quidem ex ijsdem verbis manifeſtum eſt: eum non Philoſophiam & Logicam ipſam, ſed Philoſophorum & Logicorum praua ingenia: qui vel abſurdas & erroneas opiniones ſibi confinxerunt: vel ſalutaribus præceptis abuſi ſunt, ad veritatem labefactandam: itaque arma hæreticis ſubminiſtrarunt: hoc eſt abuſum, non vſum, damnare. Docet ibi Tertullianus: de ingenijs*

lib. 1. cōtr. Mart. *ingenijs Philosophorum, vt alibi loqitur, omnem hæresin animatam esse: & Valentinum quidem à Platone venisse: Martionem Deum suum quietum & tantum bonum de porticu Stoicorum attulisse: alios hæreticos à Zenone: alios ab Heraclito: alios ab alijs instructos fuisse: omnes autem ad hæreses suas propugnandas, Logicis præceptis abusos esse: vt hac ratione in ipso quoque Aristotele, qui Logicam illis instituit, quasi culpa quædam hærere videatur.*

Vbi obiter notandum est: non vanam, lib. 2. Elen. cap. 9. *sed verißimam illam Philosophi gloriationem esse: qua gloriatur: se primum de arte syllogistica præcepisse, & Logicam nobis conscripsisse: cùm antiquißimus & grauißimus Tertullianus idem suo comprobet suffragio.*

Vnica igitur vocula (illis) *cùm Tertullianus ait, qui illis Dialecticā instituit, omnem difficultatem tollit: & Aristotelem à culpa liberat. Mala est Dialectica: quā illis, puta, Valentino, Martioni, Hermogeni, & ceteris hæreticis instituta est: hoc*

est,

est, quà isti illa abutuntur: quod certè præter scopum & intentionem Aristotelis faciunt. Confirmant nostram interpretationem illa verba, quibus ait: Dialecticam sibi ipsi quoque molestam esse: quod fit: cum Sophistæ Sapientibus & veritatis defensoribus paralogismis & Sophismatis, quæ ex Logica quidem habent, sed suo vitio, molesti sunt. Paulò etiam pòst explicans illud Apostoli ad Colossenses, sic scribit: Fuerat Athenis (*Apostolus*) & istam sapientiam humanam, affectatricem & interpolatricem veritatis, de congressibus nouerat &c. Quid ergo Athenis & Hierosolymis? Quid Academiæ & Ecclesiæ? quid hæreticis & Christianis? Viderint qui Stoicum, & Platonicum & Dialecticum Christianismum protulerunt. *Ex his, inprimis ex postremis verbis, liquet: duo à Tertulliano ex porticu Salomonis eliminari: falsas Philosophorum opiniones: qualis illa Platonis de ideis est: à quibus æonas & formas suas mutuatus est Valentinus:*

Stoico-

Stoicorum ἀπάθεια: vnde Deus Martionis: Zenonis materia: ex qua Hermogenes: & similes: quæ Christianismum Platonicum & Stoicum protulerunt: & tum verorum Philosophiæ principiorum, tum salutarium Logices præceptorum abusum: qui Christianismum Dialecticum, id est, contentiosum, effecit: qui arma veritati propugnandæ destinata, contra ipsam veritatem conuertit. Hoc verò quid aduersum nos? nihil enim obstat: quin verissimum sit illud eiusdem Tertulliani: literas necessarias esse nostris erga Deum studijs: & multum differre inter causam & culpam: inter statum & excessum. Etiam contra patriam eadem arma sumi possunt: quibus patria propugnatur. Nonne Tertullianus scribit: sine Scripturarum occasionibus hæreticos nihil audere? num hæreses esse possent: nisi & perperam Scripturæ intelligi possent? Quemadmodum igitur Scripturis abusus non est fraudi: ita neque Philosophiæ & Logicæ: immò potius hinc efficitur: diligentem istis operam nauandam esse: quando ex ijsdem, ex

De coron. lib. 1. cōtr. Mart.

de resur. car.

ex quibus hæretici animantur, etiam reuincuntur. Atque hoc ad omnia Tertulliani, Hieronymi, aliorumq́; Patrum loca, in quibus Philosophiam & Dialecticã ex Ecclesia eliminare videntur, simulq́ue ad abusum responsum esto.

Alij sunt, qui Logicam non prorsus Christiano homine indignã, sed tantùm in Theologia nullum illius vsum esse putant: quamuis illi ipsi, sibi Logices vsum, sanè prudenter, quoties lubet, liberum esse volunt: alijs verò non liberum. Memini quendam ex isto grege, nuper ex puteo egresso, syllogismum mihi obijcere: cumq́; illo soluto aliũ illi opponerem, responsione destitutum dicere, in Philosophia quidem syllogismos procedere: in Theologia verò locum nullum habere. Quis dubitet: Magistris nostris licere: vt ratione vtantur, cùm volunt: rationem vituperent, quoties lubet? Dicent: se in simplicitate credere: sibiq́; curiositate opus non esse post Christum Iesum. Cur igitur ad palladium suum fucandũ, Sophisticum illud ὢ ταύτως, malitiosè simul et imperitè ob

tendunt? an naturali illa luce quam à Deo Opt. Max. accepimus, uti, est curiosum esse? num etiam Prophetæ, Christus, & Apostoli curiosi fuerũt? vel est ne alia Spiritus Sancti in Scripturis, alia nostra Logica? nos aliam non agnoscimus: quàm illam: quam Deus ipse nobis impertiuit: quam per dictũ de omni & de nullo Aristoteles significauit.

Sed, inquiunt aliqui, in Scripturis syllogismi nulli reperiuntur. in Scripturis syllogismi nulli reperiuntur? quid quæso illud est: Si malè locutus sum, testificare de malo: sin benè, cur vapulo? nonne dilemma est, & syllogismus hypotheticus? nonne idẽ planè cum nostris? Illud verò, ex qua Logicorum Schola petitum est? Deus est Deus viuorum: Deus est Deus Abraham: ergo Abraham viuit: nonne syllogisticũ est? Quàm Dialecticum illud? Quid vobis videtur de Christo, cuius filius est? Dauidis ne? quo igitur modo Dauid, instinctu Spiritus, eum dominum suum appellat? An non tandem aliquando discetis: omnem fidei faciendæ, quæcunque tandem illa sit, ra-

tionem,

tionem, ad aliquam ex tribus illis figuris attinere: ideoq́ reuera syllogismũ esse? Quàm libenter Spiritus ille mendax Logicen nobis excuteret: quam optimè nouit vnicam esse illam dolabram, qua Sophistæ, organa ipsius, dolantur: id quod olim etiam non obscurè per Iulianum apostatam & alios tentauit.

2. prior. cap. 23.

Ad reliquos transeamus. Postremò igitur quidam sunt: qui Aristotelicã Logicam planè proscribunt: eamq́ nihil ferè nisi errores, nugas & tricas tradere vociferantur: & nouam quandam, nuper celitus, nescio in quæ arborum folia siue ramusculos delapsam, nobis obtrudunt. Sed cedo tricas: cedo nugas: cedo errores. nugas scilicet & tricas isti vocant, quæ ipsi non intelligunt. Equidem non is sum: qui in vllius Magistri, præterquam Christi, verba iurarim: & sicut hactenus veritatem neq́ quæstu, neq́ vllius hominis gratia mẽsus sum; ita quoq́ in posterum, & iuuante Domino, perpetuò amicus erit Plato: amicus Socrates: amicus Ramus & Ramistæ: sed magis amica veri-

Vide August. lib. 1. cõtr. Cresscon. Grã. & Hieron. dialog. cõtra Luciferian.

ca veritas. Aristotelem itaque pro Deo non habeo, homo fuit: & idcircò errare potuit: errauit etiã neque plura vidit: quàm Deus ipsi patefecit. Num verò propterea tantum Dei beneficium, quod per istum hominem Deus humano generi cõtulit, totamq́; ipsius Logicam, quæ naturæ vestigijs, insistit, conculcabimus? Cedò errores Logicos.

Syllogismi, inquiunt isti, definitio latior est definito. nã & hæc tempestatis descriptio: Venti incubuêre mari: crebris micat ignibus æther: densi funduntur ab æthere nimbi: ergo tẽpestas est: syllogismus fuerit: si vera sit Aristotelis definitio.

Hîc quæso iudicẽt quicunq; de mente & sanitate nõ sunt deturbati. Aiunt: cõclusionẽ istã necessariò effici ex illis quæ posita sunt: sed malitiosè materiæ & formæ necessitatem cõfundunt. Fatemur enim Virgilianã illam tempestatis descriptionẽ, orationem esse: in qua quedã sint posita: fatemur etiã: quotiescunque mari vẽti incubuêre, & densi nimbi funduntur, flammis inter nubes coruscantibus, rectè colligi, tempestatem esse: sed neces-

necessitas istius illationis, necessitas est, non formæ, quam solam intellexit Aristoteles, sed rerum & materiæ. Cùm in definitione syllogismi Aristoteles ait: quædam esse posita, ad quæ diuersum quippiam necessariò consequatur: non res, quarum virtute & vi aliud quippiam efficiatur, sed solam rerum illarum respicit dispositionem. Omnia, quæ sub Sole sunt, interitui sunt obnoxia: Omnes homines sub Sole sunt: Omnes igitur homines interitui sunt obnoxij. Si hoc modo res etiam falsissimas disponas: cõclusio nihilosecius ex necessitate efficietur. Hanc positionem, & hanc istius positionis & naturalis discursus necessitatem in syllogismi definitione Aristoteles intellexit: & mox per dictum de omni & de nullo, significauit. Quid, quòd ex ventis, imbribus, fulguribus non diuersum quid sequitur: cùm venti, imbres, fulgura, ipsa sint tempestas? Vel hinc animaduerte: quantum istorum iudicio in rebus Logicis sit tribuendum.

Illud verò longè ineptius. Dictum de omni, quod aliud nihil est quàm syllogisticus dis-

cursus, & scintilla quædam lucis diuinæ, ab ipso Deo humano generi naturaliter impertita, vt suo loco demonstramus, quidam, vt erroneum, repudiat. Hoccine est errores, nugas & tricas Aristotelis redarguere? Si non intellecta reprehendere, cõuincere erroris est: si lucem tenebras appellare, nugas & tricas demõstrare est: fateor: egregiè ab istis Aristotelẽ esse cõuictũ: egregiè nugas & tricas illius in lucẽ esse protractas.

Perpetuò in ore habẽt tres illos necessariarũ enunciationũ gradus κατὰ παντὸς: καθ' αὑτὸ: καθόλου: sed agè paucis videamus: quàm egregiè illos intelligãt. Sic quidã scribit: καθόλου quidem appellatur, quia cõsequens verũ est de antecedente toto seu omni, καθ' ὅλου ἢ κατὰ παντὸς: & mox: itaq; hoc enuntiatum, æquicrur' habet tres duobus rectis pares, est quidem κατὰ παντὸς seu καθόλου: at nõ est καθόλου πρῶτον.

Quid audio? κατὰ παντὸς & καθόλου idẽ sunt & vnicus gradus: propositio ista, æquicurrus habet tres, καθόλου est: καθόλου & κα-

θόλου

θόλου πρῶτον duo planè diuersa sunt. Atqui, ut ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς respõdeamus, καθόλου & πρῶτον, quod ad præsentẽ quidẽ quæstionem attinet, idẽ prorsus sunt Aristoteli: neq; solùm ab Aristotele pro eodẽ sumũtur: sed ab ipso quoq; Ramo: qui omne axioma Catholicum, reciprocũ esse definit. Quo igitur pacto καθόλου erit propositio, in qua, habere tres, de Isoscele enunciatur? nũ prædicatum cũ subiecto reciprocatur? Ex quo simul liquet: multum inter se differre, κατὰ παντὸς & καθόλου: cùm nõ quicquid κατὰ παντὸς est, καθόλου sit: ut vel ex ipso Ramo apparet. Per κατὰ παντὸς enim Aristoteles vult totũ subiectum à prædicato cõprehẽdi: licèt prædicatum latius pateat subiecto: per καθόλου autem vult etiã vniuersum & totũ prædicatũ in subiecto esse, & cum subiecto reciprocari: ut perspicuum sit: sicut in κατὰ παντὸς, particula παντὸς, subiectum notatur: sic vocẽ καθόλου ad prædicatũ pertinere: quod totum et vniuersũ vult à subiecto comprehendi. Tres isti gradus, enunciationem summè necessariam constituunt: & in

rebus tantùm æternis, quæ se aliter habere non possunt, quarum scientia est, locum habent: ideoq́ue imperitè & contra mentem Aristotelis: immò contra ipsam rerum naturã, ad artes & res quasuis contingentes, & in nostro arbitrio positas, transferuntur.

Ordo denique, quem in Logica sua Aristoteles obseruauit, pulcherrimus est: & naturæ rerum conuenientissimus: quem quia uidere non potuerunt: mirum in modum peruerterunt: qui priori loco de inuentione, posteriori de Syllogismo præceperũt. Si quis Syllogismum cõfecturus, ignoret: quid probandum aut concludendum sit: nónne profatuo meritò habebitur? Nunquam igitur temerè ad ratiocinandum accedimus: sed semper nobis proposita certa quæstio siue cõclusio est, quam probare volumus: id quod non solùm Aristoteles & ipsius Interpretes, sed ipsa inprimis nos docuit natura. Ex quo efficitur: sicut conclusio siue quæstio prior est argumento: sic priori loco, si quidem non contra naturam procedere velimus, de propositionibus & enunciationibus

bus (omnis enim conclusio enuntiatio est) earumq́ partibus, subiecto & prædicato, in Logica præcipiendum esse: posteriori de argumenti, siue medij termini inuentione. Sanè qui de argumento inueniendo sollicitus est: antequam conclusionem habeat: vel etiam, quid conclusio sit, & ex quibus partibus constet, intelligat: pro fatuo meritò habetur. Nònne ex ipsius conclusionis partibus medium sumendum est? Qua verò tandem ratione, si maximè & conclusionem & argumentum habeat, in formam illa redigat: syllogismumq́ conficiat: qui de ratione construendorum syllogismorum, nihil vnquam intellexit? Præposterus igitur & contra naturam ille ordo est: qui à doctrina locorum exorditur. Quem ad modum enim in omni arte pars docens operantem præcedit: &, vt crasso exemplo vtamur quem ad modum sutor non accedit ad suendos calceos: nisi prius rationem suendorum calceorum edoctus: sic Logicus, qui artifex quidam est, non accedit ad operandum, ad conficiendum syllogismos: nisi rationē antè

illorum

illorum conficiendorum sit edoctus. Cùm igitur, qui medium quærit, perinde faciat: ac si acum sutor quærat: perspicuum est: illum ad opus se accingere: cuius tamē cōficiendi rationem ignorat. De syllogismi itaq; constructione prius agendum esse, quàm ad medij inuentionem deueniamus, natura docet: sed quia syllogismus ex propositionibus constat: aliusq; rectus siue perfectus: alius obliquus siue imperfectus est: idcircò doctrina propositionum & enunciationum, earum oppositio & conuersio præmittenda est: & quia enunciatio rursum suas partes habet: ideò de illis quoque & prædicabilibus, ex quibus subiecta & prædicata sumuntur, agendum est: & quia denique omnia, quæ à Logico conficiuntur, res sunt, non extra animum sed in solo animo existentes: ideoq; veritatem suam in primis notionibus obtinentes: idcircò illis omnibus, tanquam basis quædam, primò omnium Categoriæ substernuntur.

Atq; hæc partis communis dispositio est. Propria deinde, pro ratione triplicis materiæ,

teriæ, in Apodicticam, Dialecticam & Sophisticam distinguitur : idq́ propterea: quòd sicut verum à falso distinguendũ est: sic necessarium verum cum probabili vero nullo modo est confundendum. Propositio ista, Propter quod vnumquodq́ tale est, illud magis tale est, vera quidem est : sed ita vera: vt nonnunquam etiam falsa deprehendatur : hæc verò, Omnis homo ratione præditus est, ita vera est: vt nunquam nõ sit verissima: quia necessaria.

Ex quo perspicitur: perperã ab illis fieri: qui omnia, vera & falsa, probabilia & necessaria, in vnũ chaos confundunt: simulq́ intelligitur: vulgatam illam inuentionis & iudicij partitionem, veræ & naturali Logicæ nequaquam conuenire : cùm in vtraque Logices parte, in communi & propria, vtrunque & inuentio & iudicium, & quidem in eodem requiratur: cùm tam in communi, quàm in propria de medij inuentione, & quidem in propria de triplicis medij inuentione præcipiatur : ad quod inueniendum, iudicium profectò inprimis

est

eſt neceſſarium. Sed hæc omnia ex ipſa Isagoge meliùs cognoſcentur.

Hæc non ſcribimus, ſtudio altercandi: vel homines exagitandi: ſed ſolius veritatis aſſerendæ gratia: non dubitantes, fore: vt multi viri boni & literati qui à Logica Ariſtotelis hactenus, neſcio quo præiudicio, abhorruerunt, perſpecta veritate, in viam redeant: & veram illam ac Peripateticam, ex ipſa natura profectam Logicam, nobiſcum complectantur: quæ non ſolùm Ciceronem reſoluere: ſed Scientias quoque & artes, tum docere, tũ diſcere docet: quæ viam monſtrat, perfectam rerum ſcientiam aſſequendi: quæ breui temporis ſpacio addiſcitur: à qua denique inſtructi, cum quibuſuis hæreticis & Sophiſtis feliciſsimè depugnamus.

Tibi verò, vir nobiliſsime, hunc meum qualemcunq; laborem offero: tum quia rebus Logicis à pueritia delectatus es, & adhuc delectaris: tum quia, ſicut in omnibus, ita quoq; in his rebus acerrimo iudicio præditus es: tum quia inter primos Scholæ noſtræ patronos es: tum deniq; vt libellus iſte

ex

ex nominis tui splendore aliquid quoq; autoritatis consequatur.

Inter plurima & maxima beneficia, quæ Deus Opt. Max. in sanctissimũ illum, & nunquã satis laudatũ Principẽ, re & nomine Fridericũ contulit, hoc nõ postremum fuit: quòd optimos & prudentissimos, eosq; plurimos semper habuerit consiliarios. Eadẽ benignitate, promissionis scilicet suæ nõ immemor, etiam sanctissimi patris vestigijs religiosè insistentem optimum filium, Illustrissimum Principem Iohannem Casimirum, Palatinum Rheni &c. dominum nostrũ clementissimum, complectitur: cui præter excellens ingenium, multarum rerum cognitionem, multiplicem variarum rerum experientiam, rei militaris perfectam scientiam, admirabilem humanitatem, ardentissimũ in rebus ad religionem pertinentibus Zelum, etiam optimos, & varijs à Deo donis ornatos dedit consiliarios: in quo ego profectò tantum soleo ponere: vt si ad alterutrum mihi optio detur: malũ fortassis Principem malim, cum bonis consiliarijs: quàm

bonum,

bonum, cum sui dissimilibus. Sed felices nos: qui vtrunque habemus: & Principem optimum: & tali Principe dignos consiliarios: quibus nihil est antiquius antiqua religione: qui nullis sumtibus parcunt: vt tum vera religio in Ecclesiis & Scholis: tum bonæ quoque artes & disciplinæ, conseruentur: explicentur: propagentur. Deus igitur, secundum Illustrissimum Principem, te quoq; inter ceteros Scholæ nostræ diu incolumem conseruet: tibiq́; det patris tui, genere & virtutibus clarissimi viri, verè Nestoreos annos: vt cum generis nobilitate, virtutum & benefactorum, in primis erga Ecclesiam Christi, magis ac magis coniungas nobilitatem. Neustadij Calend. Iunij: Anno temporis vltimi,

cIↄ Iↄ. LXXXI.

HIER. ZANCHIVS

Fortunato Crellio

S.


ERLEGI, & diligenter quidem atque attentè perlegi, doctissime Fortunate, quascunq; ad me misisti, pagellas Dialecticæ tuæ, qua ex re tantã percepi voluptatem simul & vtilitatem, quantam dicere non possum. Voluptatem quidẽ: quia vidi te non solùm ipsissimum ordinẽ Aristotelis in Organo tradendo, interiecta tamen Porphyrij Isagoge, diligenter obseruasse, verùm etiã totam & propriam huius excellẽtissimi Philosophi in Dialecticis doctrinam, mirabili, & quæ non omnibus data est, ratione, perspicuitate nimirum cum breuitate, quoad ei⁹ in re tanta fieri potuit, cõiuncta, complexum fuisse. Vtilitatem verò & fructum: quia præterquàm, quòd in hoc tuo libello eruditissimo, ceu in breui &

ui & dilucida tabella, ipsum amplissimum Aristotelis organum, difficile sanè, explicatum videre visus sum: non pauca etiam Philosophi obscura loca, in quibus enodandis haud vulgares præceptores meos in ipsa Italia olim sudare perspexi: à te non minùs dilucidè quàm breuiter ad verum & genuinum sensum interpretata atq; explicata, nunc mihi intellexisse videor. Gratulor itaq; nõ tam tibi, cui ex isto libello non parum nominis apud omnes doctos comparatum iri præuideo: quàm scholę nostrę, quód qualẽnã studiosos nostros docueris per hoc breue tempus, Dialecticam, illam nimirum ipsam, quam non sine singulari Dei prouidentia nobis reliquit Aristoteles, veram scilicet & naturalem Dialecticam, perspectum habeã. Gaudeo & mihi, quòd fuerim autor & dominis, vt hæc tibi lectio demandaretur: & tibi, vt istas tuas lucubrationes tum colligeres, tum collectas euulga-

res. Video enim rē minimè pœnitendam à me & propositam & persuasam fuisse. Ac si denuò volent, qui scholæ præfecti sunt, meum audire cōsilium: autor fuero, vt sicut Aristoteles ipse in publicis nostris scholis explicatur: sic summa hæc Logicę à te ex ipso Aristotele collecta, digesta atq; conscripta, tanquam plena atq; perfecta, in prima classe retineatur, & per alium aliquē explicetur, te interim aliud publicè profitēte. Vt enim nunquam probaui, nec probo, nec probare possum, vt in publicis scholis, ad quas conueniunt doctiores studiosi, profligatis veteribus autoribus tā profanis quàm sacris, & tā in Philosophia, quàm in alijs artibus & sciētijs excellentibus, recētium doctorum compendia recitentur: sic vehementer laudo, vt hæc legantur & explicētur in classibus: vbi imperitiores primùm breuiter instituendi, ac tū demum ad publicas lectiones promouendi, & â riuulis ad fontes deducendi

ſunt,quod cū in alijs diſciplinis omnib9, tum maximè in Philoſophia faciendum eſſe cēſeo. Quemadmodum enim nihil aut parum ille profecerit in linguis, qui ſine breui inſtitutione eius linguæ,quam ſibi cōparare vult, illicò ad Ciceronem vel Demoſthenem audiendum decurrit:eundem ad modum, qui in Philoſophia proficere ſtudet, huic pri9 Iſagogen aliquam,eamq; puram,breuem&perſpicuam audiendam & ediſcendā eſſe iudico, quàm ad ipſos Ariſtotelis libros accedat: non ſecus atq; qui peritus nauta fieri cupit, priuſquàm in Oceano nauiget,nauem regere in paruo flumine diſcat, oportet. Rurſus,vt,qui ſemper hæret in Grammaticorum libris, magnis Oratoribus ac poëtis tum latinis tum græcis neglectis, is nunquam aliud fuerit,quàm ineptus Grammaticus, eoq;, vt dici ſolet, purus aſinus: ſic, qui nunquam ad fontes Philoſophiæ accedit, ſed totam vitam in Summis & Compendijs ver-

ſatur,

ſatur, quomodo Philoſophus appellari queat, nõ video. Sunt igitur & illa & iſta in ſcholis retinẽda: ſed ſuo quæque loco & tempore & modo. Sed, vt ad Dialecticam tuã redeam, omnes docti mecum, credo, fatebuntur, te iſta tui libelli editione, bonam operam, nõ ſolùm iuuentuti noſtræ, ſed omnib⁹ tam Theologiæ & Iuris prudentiæ, quàm artium & Philoſophiæ ſtudioſis, præſtitiſſe. Quis eſt enim, cui in ſtudijs ſuis feliciter promouẽdis, & in tractandis cuiuſq; artis & ſcientię negocijs, nõ op⁹ ſit Dialectica? Quis verò non ſolùm in hac excellens, verùm etiam eius parens fuit atque autor? vnus Ariſtoteles. De alijs quidem rebus, multa alij quoq; & ante & poſt Ariſtotelem ſcripta reliquerunt, quanquam nemo aut de natura, aut de morib. & politia, copioſiùs ipſo ac feliciùs mihi ſcripſiſſe videtur: ſed de Dialectica, quẽ mihi dabis ex omnibus Philoſophis, qui prior Ariſtotele diſſeruerit; præſertim tam

methodicè, tam copiosè, tam perfectè? Sed neque post quispiam, quod sciam, repertus est vir excellens & prudens, qui tam perfecto operi, quidpiã addere ausus fuerit. Nonnulli quidem, posteaquã, quicquid boni habuerunt, ex Aristotelis libris accepissent, nouã Dialecticæ formam in scholas inducere voluerunt: sed suam statim apud eruditos inscitiam, ac fatuitatem prodiderunt. Alij methodum quidem Aristotelis sequi conati sunt: sed, cùm multa nõ intellexerint, pro Aristotelicis obtruserunt, quæ ne per somniũ quidem venerunt vnquam in mentem Aristoteli: imò quæ potius cum eius sententia, ex diametro pugnant. Et solus igitur Aristoteles, verus parens est Dialecticæ: & illi soli tanquam γνήσιοι eius discipuli & interpretes audiendi sunt, qui eius sententiam assecuti, ab ea etiam tum scribendo, tum dicendo, non deflectũt. Hui⁹ generis nominare possem nõnullos & vicinos, & longinquos:

quos;sed, ne palpare quempiã uidear, nolo. Ipſe enim tu meliùs nouiſti, à quibus didiciſti. Sed & me & te etiam tacentibus: tua Dialectica loquitur & prædicat. Facile enim ex vnguibus leones, & ex diſcipulis magiſtri, & ex fructibus arbores cognoſcuntur. proinde cùm tuam etiam Dialecticam laudo, non te laudo;ſed & dona Dei, & viros præſtantes in te laudo: neq; in aliũ finem laudo, quàm partim, vt ne quidpiam tibi adſcribas (quid enim habes, quod non acceperis?) ſed omnia Deo inprimis, à quo accepiſti, & deinde illis etiam hominibus, parẽtibus videlicet & præceptoribus, per quos accepiſti, accepta feras, φύσιν (vt verbis Ariſtotelis totum cõplectar) μάθησιν, ἄσκησιν, πᾶσάν τε παιδείαν, partim vt virtus laudata creſcat, teque magis ac magis in huiuſcemodi lucubrationibus, in vtilitatem ſcholæ, eoq; & ad gloriam Dei, exerceas: quando Deus te talibus ornauit donis, quib⁹ non parum ipſius

 regnum

regnum promouere potes, si velis. Denuò igitur dico, me non dubitare, quin pro tua opera in præceptionibus Dialecticis, ex ipso Aristotele diligenter collectis, debito ordine collocatis, fideliter explicatis: magnam tibi studiosi omnes habituri sint gratiã: propterea quòd veram perfectamque Aristotelis doctrinam, quam in multis illis consummatisq; Dialecticis libris scriptam nobis reliquit, tu, meo quidẽ iudicio, non minùs breuiter, quàm perspicuè isto tuo libello cõplexus es. Dicere solitus fuit noster Philosophus, quemadmodum Laërtius in eius vita narrat, de tota literaria, ac morum etiam disciplina, τῆς παιδείας τὰς μὲν ῥίζας εἶναι πικρὰς, γλυκὺν δὲ τὸν καρπόν. Quod vero dixit Aristoteles περὶ πάσης παιδείας, illud cumprimis de Dialectica interpretatus est Gellius in suis Noctib. lib. 16. cap. 8. hisce verbis: Sed hoc iam breue de Dialectica libamentum dedisse (quædam enim præmiserat περὶ

ἀξιω-

ἀξιωμάτων καὶ ἀντικειμένων) ſatis erit: atq; id ſolum addendum & admonendum eſt, quod huius diſciplinæ partium cognitio in principijs quidem tetra & aſpernabilis, inſuauisq́; eſſe & inciuilis videri ſolet: ſed vbi aliquantum proceſſeris, tum deniq; & emolumentum eius in animo tuo dilucebit, & ſequetur quædam diſcendi voluptas inſatiabilis: cui ſanè, ſi modum non feceris, periculum non mediocre erit, ne, vt plæriq; alij, tu quoq; in illis Dialecticę gyris atq; mæandris, tanquam apud Sirenios ſcopulos, conſeneſcas. Hoc adiecit Gellius, vt oſtenderet quàm ſuauis ſit Dialecticę cognitio: vbi quis vtilitatem ei⁹ cœperit perſentiſcere: id quod Ariſtoteles vocauit γλυκὺν καρπόν. Sed ipſæ quoq; ῥίζαι, quas dixit eſſe πικρὰς mihi videntur minus amaræ fieri poſſe, ſi gratia breuis ſimul & dilucidæ explicationis, quali te, mi Fortunate, donauit Deus, ceu ſaccaro conditæ, edendæ exhibeantur: minori

enim cum ſtomacho ab omnibus percipiantur. Condimentum hoc in tua Dialectica ſenſuros eſſe omnes, qui eã perlegendam in manus ſuſceperint: ac proinde nõ ſolùm pro veritate doctrinæ, ſed etiam pro perſpicua breuitate gratiã tibi, vt dixi, habituros eſſe, perſuaſum habeo. Ego certè, quanquam, vt ſcis, occupatiſſimus, magna tamen cum voluptate legi: & riſi non ſemel in tuis præſertim ſophiſticis Elenchis: vbi non paucas Vbiquitariorum impoſturas, luculentiſſimè detegis. Vale igitur mi Crelli, & perge, vt feliciter cœpiſti, toti mundo declarare: te ſicut purioris veræq́; Chriſtianæ Theologiæ: ſic etiã ſincerioris, hoc eſt, Ariſtotelicæ Philoſophiæ ſtudioſum eſſe, atque quo pacto ſtudioſæ iuuentuti prodeſſe poſſis, ſeriò cõgitare. Ex Muſæo, 28. Maij, 1581.

Logicæ Isagoges

PARS PRIOR

siue Communis.

DE NATVRA LOGICES.

CAP. I.

Logica est habitus organicus: verum à falso discernere potis.

EXPLICATIO ET Confirmatio.



IC primò notandum est: Logicam ἀπὸ τȣ̃ λόγȣ, hoc est, à ratione, non à sermone, vt quidam existimant, nomen accepisse: cũ Logica ratiocinandi, non sermocinandi ars sit: deinde: adiectiuam quidem vocem esse: sed substantiuè vsurpari quemadmodum & aliarum artium & Scientiarum nomina. Ad definitionem quod attinet: genus Logices habitum organicum siue instrumentalem constituimus: differentiam, à fine petitam, verum à falso discernere. Sunt, qui genus Logicæ scientiam statuant. sunt alij, qui facultatem: & nõ pauci hodie, qui artem illius genus esse existiment. sed nullum horum illud genus est: quod naturam illius exprimit.

Scientiam non esse: si quidem propriè Scientiæ

vocabulum accipiamus: pro cognitione scilicet conclusionis, siue conclusionum apodicticarum: & non pro quauis notitia: ex triplici illo discrimine liquet: quo Scientiæ & artes discriminatæ sunt. Sciētia rerum est necessariarū: quæ aliter se habere nullo modo possunt: animum sciētis immobilem planè reddit: quia duplicem necessitatem habet: alteram rerum: alteram in animo scientis: sola veri contemplatione contenta est: Ars autē omnis, sicut & Logica, artium æmula, in rebus contingentibus versatur (secundas enim notiones quæ opus nostrū sunt, Logica tractat) certissimam scientiam nō parit: cum de æterno subiecto proprias affectiones non demonstret: operis causa est: & non sola veri cognitione contenta. Est quidem verum: non Logicam solùm: sed omnes, etiam veras, artes certa præcepta habere secundū quæ operantur: sed hoc ad Scientiam constituendam nondū sufficit. Et quid mirum: si, vt prudenter Proclus in Euclid. *obseruauit, in Scientijs nonnulla effectionem redolent: vt in Mathematicis: in artibus quoque nonnulla redoleant contemplationem?*

Sed obijciet nobis hîc forsan aliquis, quod omnibus in ore est. Logicum tres illas intelligentiæ operationes considerare: simplicium apprehensionem: eorundem, animo perceptorum, compositionē ac diuisionem: & quæ compositionē aut diuisionem sequitur, ratiocinationem: item: cum decem illa summa rerum genera materia Logici sint: ea quoque à Lo-

gico

gico considerari: eumq́ idcirco non in contingentibus solum occupari: ad quæ respondemus: dextrè accipiendum esse quod dicitur: Logicum tres intelligentiæ operationes considerare. Si enim simpliciter intelligatur: falsum est: quia non Logici sed Physici officium est, mentis operationem considerare. Sensus igitur est: Logicum tres gradus secundarum notionum tractare: qui è triplici illa mentis operatione oriuntur: & proportione quadam illi respondent. Sicut enim mentis nostræ triplex officiũ est: simplicia apprehendere: apprehensa componere aut diuidere: ex compositis & diuisis ratiocinari: ita in his tribus totum Logici officium consistit: qui primùm simplicia, genus, speciem, subiectum, attributum fabricatur: dein ista componit & enunciationes construit: demum ex enunciationibus syllogismum. primum ex prima: alterum ex altera: extremum ex tertia mentis operatione existit. Hinc verò id ipsum, quod tuemur, efficitur: Logicum in rebus solũ contingentibus occupari. Decem autem illa summa rerum genera considerare primi Philosophi potius est, quàm Logici: quamuis Logico, quoque, vt Auerroes testatur, subijciantur. Ac cùm circa prorsus ignotã materiam nullus planè artifex versetur: aliquam illorum cognitionẽ habeat necesse est: sed quia tota hæc cognitio in eo, vt idem ibidem Auerroes docet, posita est: vt secundas illis notiones accommodet: consideratioq́; qua Logicus, vt Logicus est, illa considerat, ipsa

in epit. in præd. cap. 12.

secundarum notionum ex ipsis exstructio est: rectè in contingentibus occupari Logicus dicitur. Logicam igitur Scientiam non esse manifestum est.

Neq; magis appositum facultatis vocabulum est. Bifariam enim capitur latiùs & preßiùs. latiùs acceptum, quamuis disciplinam significat: siue ars sit: siue Scientia: siue aliud quippiam: quo sensu Theologicam, aut Medicam facultatē dicimus: diciturq; facultas δύναμις disciplina quæuis: quòd animum potentem δυνατὸν reddat: ad aliquid vel cognoscendum: vel efficiendum: in qua profectò significatione si accipiatur: genus Logices esse non potest: quòd nimis commune genus esset. preßiùs & propriè si accipiatur: habilitatem ad vtrumq; contrarium declarat: vt ex Aristotele & Alexandro discimus. Is enim propriè facultate δυνάμει præditus esse, posse vel δύνασθαι aliquid dicitur: qui etiam contrarium potest: veluti scribere, ambulare: qui etiam non scribere, non ambulare potest: quod autem vnum solum ex necessitate effectum producit: illud facultate præditum impropriè dicitur. Ita de igne impropriè dicitur: quòd vrere: de cœlo: quòd moueri poßit: cùm non poßint non vrere & moueri: itâque ad contrarium sua natura inepta sint. Non potest igitur, etiam in hac significatione acceptum, genus Logices esse: quia homonymum genus esset: aliterq; Dialecticæ: aliter Apodicticæ competeret.

de Interpret ca. 18. & Rhet. 1. cap. 3. in præfat. in 1. Top.

Superest artis vocabulum: quod etiam bifariam vsur-

vſurpatur: propriè & impropriè. impropriè ars diſciplinaque quæuis vocatur, quæ in artem ſeu præcepta redacta eſt: in qua profectò ſignificatione acceptum genus Logicæ eſſe non poteſt: cùm nimis commune & remotum genus ſit: naturam Logices nullo modo declarans: propriè ſi accipiatur: vtque ab Ariſtotele accipitur & definitur, habitus eſt: cum recta ratione efficiens. Cùm igitur efficere propriè dicatur: qui in alio efficit: ita, vt in alio ars & efficiēdi principium: in alio effectum & opus ſit: vt luce meridiana clarius Ariſtoteles tradidit: cumque habitus Logicus & opus Logici in eodem, in eâdem Logici mente ſint: apparet liquidò: Logicam artem non eſſe: arteque definiri nullo modo poſſe. Neque verò exiſtimandum eſt: ſyllogiſmum, Philoſophicum, v, g. aut Theologicū, opus Logici eſſe. Syllogiſmus enim, vt opus Logici eſt, qui in Prioribus ab Ariſtotele nobis deſcribitur: nuda illa, omnis materiei expers, forma eſt: quæ in animo Logici eſt: ſyllogiſmum verò Theologicum cōſtruere, eſt illa forma & idea vti: perinde vt cùm quis ſecure, quæ Fabri opus eſt, vtitur. Nec quenquā turbet: quòd in Logica operatio & opus à doctrina differre nō videantur: ſicut in ſutoria arte inter doctrinā ſeu præcepta, & calceum ſiue calcei effectionem plurimum intereſt. Quia enim ſimplicis & intellectualis, quod paucis hodie notum, ideoque diligenter notandum eſt, naturæ Logica eſt: & tam opus quàm præceptio in animo: fit: vt ſimul quis præcepta generādi ſyllogiſmi

lib. 6. Eth. cap. 4.

lib. 2. Phyſ. cont. 3. & 86. lib. 6. Eth. ca. 4.

animo percipit syllogismum generet: quod contrà fit in veris artibus: quarũ præcepta & opera sicut loco: ita quoq; tempore discriminantur. Vel hinc apparet: Logicam veris artibus annumerandam non esse.

Simul liquet: nullũ aßignari Logicæ genus posse: quo natura illius melius exprimatur: quàm instrumentum, seu habitum instrumentalem. Qui enim Logicam discit opusq; Logicũ, syllogismum, in mente sua efficit: non idcirco illud efficit: vt alteri illud, quem ad modum Sutor calceum, diuẽdat: sed vt ipse illo vti poßit, ad verum à falso discernendũ: rerumq; veritatem assequendam. Quia igitur idcirco Logica discitur: vt illa instructi & animi nostri sensa dextrè proferre & explicare: & quæ ab alijs dicũtur, iudicare, rectène & cum ratione prolata sint, nec ne: an verè, quòd probare se profitentur, probent: an oculos tantũ lectori vel auditori præstinguant: ac tandẽ, vt ea tanquã securi ad rectè secandũ scriptum quoduis vti poßimus: quis non videt: nihil esse: quod naturam illius magis exprimat, quàm vox instrumenti?

Genus igitur Logices instrumentum est, seu habitus instrumẽntalis: Differentia seu finis, verum à falsò discernere. Liquet hoc tum ex ijs: quæ modò de instrumento dicta sunt: tum ex origine Logices: quæ hæc fuit. Cum Prisci Philosophi, antequam Logicen nobis Aristoteles, secundũ Deum, genuisset, solo naturali instinctu philosopharentur: & nihilosecius tamen naturalem quandam methodum, ac, vt ita loquar,

quar, naturalem artem siue artificiosam naturam sequerentur: priusq; ex arte quàm de arte præcipe-rent: factum est: vt qui scripta illorũ pòst legerunt, & Philosophiam & Logicam quandam addiscerent: quamuis perfectam artem nemo ante Aristotelem conscripsit: de quo meritò philosophus gloriatur: & lib. 2. e-
pro quo gratiæ immortales illi ab omnibus mortali- lench.cap.
bus debentur. Is enim postquam pro singulari ingenij vlt.
acumine, quo homo iste præ omnibus alijs (sacros excipio) ornatus fuit, animaduertit: Logicam ad rectè philosophandum tantum habere ponderis: vt sine ea philosophari nemo vel poßit, vel potuerit: quodq; ob 1. phys.
illius ignorantiam, vt paßim apud ipsum legimus, cont. 22.
plurimi in grauißimos errores inciderint: & prisca 4. phys.
& recentia diligentißimè consideràs, ex intimis na- cont. 1.
turæ penetralibus perfectam nobis Logicã deprompsit: qua instructi dextrè philosophari: verum & falsum discernere: quid ex quo sequatur vel non sequatur, cernere: itaq; rerum assequi scientiam possemus. Inuenta igitur Logica à philosophis est: in philosophia: propter philosophiam: vt finis simul & efficiens Logices sit philosophia. Tametsi enim donum Dei Logica est: omnibus quibusq; disciplinis apprimè necessariũ: si tamen originem illius spectemus: Philosophiæ peculiari quadam ratione mancipata est: cuius etiam solius manus & instrumentum nuncupatur.

Ex quo simul perspicitur: etsi absq; Logica neq; disserere & disputare: neq; docere aut discere com-

modè possumus: hunc tamen solum, quem differentiæ loco in definitione aßignauimus, verum & domesticum illius finem esse: ex quo tamen reliqui omnes secundariò consequuntur.

Perfecta Logices definitio hæc aßignari potest: Logica est disciplina seu habitus organicus: à Philosophis in Philosophia genitus: qui secundas notiones ex primis efficit: vt sint instrumenta: quibus verum à falso discernatur. in hac definitione omnes quatuor causæ actu continentur.

Postremo loco notandum est hæc tria, finem, opus, officium, idem non esse. officium artis, quá operatur, ipsa certa efficiendi ratio est: vt in Architectura architectari: opus, quod etiam finem internum appellant, quod post actionem manet: veluti domus: finis externus seu vsus, cui opus illud destinatum est, veluti habitatio. Eodem modo Logici officium est efficere quod in tribus consistit: in fabricatione simplicium: in compositione eorundem: in ratiocinatione: cum: qua inuentio & iudicium cohærent. opus illa omnia sunt, quæ à Logico efficiuntur, genus, species, subiectum, attributum, enunciatio, syllogismus: finis seu vsus, inter verum & falsum iudicare: quem Logicus consequitur instrumentis à se confectis: quæ omnia sub syllogismo, tanquam genere, comprehenduntur.

Distinguitur in partem cõmunem, seu vniuersalem: & in propriam seu specialé. illa est, quæ communia explicat: & tribus

Aristotele libris absoluitur: libro Categoriarum: de Interpretatione: Prioribus Analyticis: hæc speciatim de Syllogismo Apodictico, Dialectico & Sophistico agit: itâq; genus ad species suas restringit: & similiter tribus tractatibus. Posterioribus scilicet Analyticis, Topicis, & Sophisticis Elenchis, comprehenditur.

Logica primùm duplex est, naturalis et artificiosa. Naturalis aliud nihil est: quàm naturalis ille instinctus, ac vis siue lux, à Deo hominum mētibus insita: qua, etiam in literis nō versati, perspiciunt: quid ex quo, & ad quod consequatur: vnumq; ex alio concludunt: atque ita argumentationes & Syllogismos naturales faciūt: artis logicæ & præceptorum de generandis Syllogismis imperiti. Sed de hac in præsentia non quæritur. Artificiosam igitur, quæ ex naturali illa prodijt, & quam suprà definiuimus, in duas partes, in communem & propriam partimur: quæ in Præfat.
vna Aristotelica tum Logices, tum Physices partitio in Poster.
est: non à Commentatore solùm, sed ab ipso quoque in præfat.
Aristotele multis in locis inculcata. Primùm enim in Phys. 1.
generalia sunt, prædicamenta, prædicabilia: Enun- Phys. cont.
ciationes: Syllogismus: quorum forma abstracta ab 4. & cont.
omni materia inquiritur: ad omnem scilicet enun- 57. 3. Phys.
ciationem, siue propositionem, duas essentiales par- cont. 2.
tes, subiectum & prædicatum pertinere: ad Syllogi- 2. Poster. cont. 62.

simum tres terminos siue duas propositiones certo modo dispositas: ex quibus tertia diuersa efficiatur. Deinde quia materia rerum triplex est: summè vera, siue necessaria: summè falsa, siue Sophistica: media siue contingens & probabilis: quæ vtriusque, & veri, & falsi particeps est: propositiones quoq; triplicis generis efficiuntur: summè veræ siue necessariæ: quando inter subiectum & prædicatum inexplicabilis nexus est: probabiles: & Sophisticæ. De his in propria parte præcipitur: in qua modi & conditiones traduntur: quibus necessariæ, probabiles, & falsæ propositiones, & ex consequenti necessarius, probabilis, & falsus Syllogismus efficiatur. Hæc vera & naturalis Logicæ partitio, est: ex ipsa rerum natura depromta.

Vulgò Logicam, siue Dialecticam, quam vocant, quadrifariam partiuntur. Sunt enim qui eā in diuisionem, definitionem, & argumentationē tribuant: sunt alij: qui eam in Apodicticam, Dialecticam, & Sophisticam distinguant: alij in inuentionem & iudicium. alij deniq; in Analyticam & Topicam. Verùm omnibus his quatuor partitionibus hoc commune est: quòd imperfectæ sint & mutilæ. nam prima non solùm partes constituit, quæ ipsum Logici opus sunt: sed materiam etiam Logici, primaq; ipsius opera, vt sunt prædicabilia, enunciationes, omittit: quod ipsum quoq; altera partitio facit: quæ totā communem Logicæ partem præterit: et solam propriam, species

cies scilicet Syllogismi, partitur. Tertia quoque, vt aliud nihil dicamus, vel imperfecta est: vel non διχοτομία: sed τριχοτομία: aut potius τετραχοτομία. Si enim per inuentionē, doctrinam locorum; per iudicium, id quod verè est & dici debet iudicium, intelligunt: mancam omnino afferunt partitionem. Omittunt enim non solùm Categorias, prædicabilia, simplicium compositionem, siue enuntiationes: sed etiā præstantißimam Logicæ partē, quam γένεσιν Philosophus solet nuncupare. Quòd si dicant: se nomine iudicij, totam illam artem, quæ de Syllogismorum structura præcipit, seu, vt quidam loquitur, dispositionem argumentorum ad iudicandum, intelligere: vt de materia Logicæ, & alijs hîc cū illis non contendam: manifestum est: eos iudicium vocare, quod nihil minus est, quàm iudicium. Iudicium enim est, & dicitur, diciq́; debet, cùm de facto iam Syllogismo, bonúsne sit, nec ne, iudicamus; & tam materiam quàm formam respicit: γένεσις verò est, quæ tres terminos legitimo modo disponit: atque ita Syllogismos construit: ideoq́; in sola forma occupatur. Non est igitur quæstio: quid isti iudicium vocent: sed quo iure vocent. Res certè diuersißimas eodem nomine appellare, perinde est: atque hominem & bouem eodem nomine nominare. Huic bellæ partitioni debemus: quòd pauci hodie, & quid iudicium sit: & quo nomine ars illa construendorum Syllogismorum appellanda sit, intelligant: nomen scilicet

cet

cet sinere, & rem sine nomine venditantes: diuersissimæq; rei diuersissimum & minimè accommodatum nomen attribuentes. Ergo ne nimis monstrosa & arti Logicæ perniciosa hæc inuentionis & iudicij partitio sit: rem quamq; proprio suo nomine exprimant: & γένεσιν γένεσιν, non iudicium: iudicium autem iudicium, non γένεσιν appellent: atque ita tandem τειχοτομίαν, non διχοτομίαν agnoscant. Quòd si διχοτομίαι illis tantoperè placent: solidam illam Peripateticorum, quam attulimus, nobiscum διχοτομίαν amplectātur. Postrema partitio, vt cuiuis liquere potest, perinde vt reliquæ, non omnes Logicæ Aristoteleæ partes complectitur. Dū enim Analyticæ & Topicæ partis tantùm meminit: reliquos libros omnes, qui tamen non minus, quàm Topici & Analytici in Organo continentur, prætérit: fœdéq; demonstrationem cum Syllogismo, speciem cum genere confundit. Aristotelicam igitur illam διχοτομίαν retineamus: ad quam etiam hanc nostram Isagogen accommodabimus.

Rursum, vtraq; Logicæ pars, & communis et propria, bifariam, tum à Latinis, tum à Græcis, considerātur: vno modo: vt seiuncta est à rebus, vt Græci loquuntur: quam Latini interpretes docentem appellāt: altero modo: vt rebus applicata est: quam Latini vtentem dicunt. Docentem Latini Scientiam esse volunt: Vtentem instrumentum: quod contrà Græci docent: qui Logicam non applicatam instrumentum

mentum tantùm: Philosophia verò iam applicatam & Scientiam & Philosophiæ partē vocant: & rectè. Nam Scientia esse non potest Logica in se considerata: vt suprà demonstrauimus: sed instrumētum tantùm est: applicata verò, et Philosophiæ immixta, non amplius instrumentum est: sed ipsa Philosophia, seu Philosophiæ pars & Scientia. Cùm enim Logica immixta, puta Physiologiæ, non Logica amplius, sed Physiologia dicatur: nihilq; aliud sit: quàm Physiologia methodo Logica tractata: (Syllogismus enim Logicus omnis materiei expers est) quis non videt: Logicam immixtam, Scientiam esse & Philosophiæ partem? Quò respiciētes interpretes Græci, modium tritici, tritico immixtum, non mensuram, sed ipsum triticum appellare solent. Hoc tamen de illa Logicæ parte, quam proprio nomine Dialecticam vocamus, quæ ex probabilibus disputat, accipi nequaquam volumus.

Differt igitur Logica à Dialectica, sicut totum à parte (Dialectica enim Peripateticis aliud nihil est: quàm facultas quædā, ex probabilibus disserendi: seu pars illa Logicæ: quæ modos & conditiones tradit probabiliumpropositionum. Differt eodem ferè modo à Rhetorica. Rhetorica enim vel pars quædam Logicæ est: vel certè Dialecticæ virgultum. Dialectica

Rhetor. li. 1. cap. 3. Auerr. in præfat. in Poster.

ctica igitur à Rhetorica duplici potissimùm ratione discriminata est: fine: & materia. fine: Dialectica cognitionem: Rhetorica actionẽ propositam habet: materia: Dialectica in omnibus rebus: Rhetorica verò tãtùm in ciuilibus versatur.

Logicam à Dialectica Peripatetici distinguunt: idq́ meritò. Logica enim ἀπὸ τοῦ λόγου, hoc est, à ratione nomen habet: eò quòd in ratiocinando occupetur: Dialectica verò ἀπὸ τοῦ διαλέγεσθαι: quod non est ratiocinari, siue demonstrare: sed differere tantùm & colloqui: seu verba cũ alio commutare. Hæc enim vis est præpositionis διὰ, vt orationes, quæ inter duos habentur, vnde Dialogi dicuntur, significet, teste etiam Auerroe. In 1. Top. cap. 1. *Dialectica igitur non ars illa est: quæ de Syllogismi & demonstrationis natura præcipit: sed facultas, quæ ex probabilibus disputat. Solet quidem non rarò Aristoteles Dialectica argumenta Logica, partem vel speciem nomine totius siue generis appellare:* lib. 1. cap. 2. *Logicam verò vbi Dialecticã vocet; si vnicum forte illum, qui est in Rhetor. locum excipias,* In proœ. in 1. post. *non memini. Rhetoricam sicut & poëticam quidam, inter quos etiam Auerroes esse videtur, partes Logicæ constituunt. Et sanè sicut Dialectica, & reliquæ duæ Logicæ partes, Syllogismum communem ad certam materiam restringunt: ita quoq; Rhetorica facere videtur: sed simplicius est; si Rhetoricam partem*

partem non Logicæ, ſed Dialecticæ cum Ari, vocemus: à qua tanquam virgultum ab arbore adnatum eſt, pendet. Expreſſè enim ſcribit Ph ſophus: Rhetoricam eſſe οἷον παραφυές τι τῆς διαλεκτικῆς: & mox: ἔστι γὰρ (ῥητορικὴ) μόριόν τι τῆς διαλεκτικῆς, καὶ ὁμοίωμα. Conueniunt igitur in eo Dialectica & Rhetorica: quòd vtraq; facultas eſt: de omni re propoſita diſſerendi: & vtramuis partem propugnandi; ideoq; iiſdem probabilibus argumentis vtuntur ſed quæ Rhetorica à Dialectica, vnà cum forma, mutuatur: & ad forum transfert: quibuſq; in foro tantùm & iudicijs, non in omnibus, vt illa facit, rebus vtitur: vt meritò pars quædam & quaſi virgultum Dialecticæ eſſe videatur. Porrò cùm ſcopus oratoris, vt expreſſè Philoſophus docet, perſuadere ſit: manifeſtum eſt; actionem illi eſſe propoſitam: Rhet. lib. 1. cap. 1. id quod ex illis quoque Philoſophi verbis colligitur: cùm ibidem, naturam Rhetoricæ deſcribens, ait: πάντες γὰρ ἀπολογεῖσθαι καὶ κατηγορεῖν ἐγχειροῦσιν: quemadmodum rurſus ex illis, quæ de Dialectica ſcripta reliquit; πάντες inquiens ἐξετάζειν καὶ ὑπέχειν λόγον, colligimus, Dialectices finem eſſe cognitionem. Atque hoc primum & præcipuum Dialecticæ & Rhetoricæ diſcrimen, eſt: à fine ſumtum. Alterum ex hoc dimanat. Quia enim actionem propoſitam habet: ideo in ciuilibus tantùm & forenſibus cauſis verſatur: (Hæc enim vera eſt, & olim fuit Rhetorica:) & quia perſuadere vult: ideo orna-

tum & alia adhibet. Sed ornatus, affectus & similia ad essentiam Rhetoricæ non pertinent: sed parerga sunt, & accidentia: quæ idcirco in Ariopago locum nullum habebant: Corpus autē & substantia Rhetoricæ, vt tradit Aristoteles, est Enthymema. Quòd igitur Zeno harum duarum facultatum differentiam palmæ & pugno comparauit: eo accidentalē potius, quàm substantialem earum differētiam demonstrauit. Et de Logica quidem in genere hactenus.

Rhet. lib. 1. cap. 1.

De materia Logicæ, hoc est, de decem Categorijs siue prædicamentis.

CAP. II.

li. 1. Prior. cap. 2. lib. 1. Phys. cōt. 3. & 4. In procе. in lib. 1. Post. & in 1. Phys. cap. 1.

V*Estigijs Præceptoris insistentes, partem communem priori loco pertractamus. Commune enim priori loco tractandum est; quia notius; vt autor est Aristoteles, & Auerroës.* In communi *præterea parte explicanda, hunc ordinem obseruamus: vt primùm simplicia: dein composita: tùm quæ ad ratiocinationem pertinent, explicemus: quemadmodum etiam mens nostra primùm simplicia apprehendit: deinde ea inter se componit: ac tandem ex illis ratiocinatur.*

Categorias verò ex Logica nemo exterminabit: qui eas materiam esse Logices cognouerit. Sic igitur Auerroës de Categorijs differens, Ista, itaque, inquit,

quit, sunt genera magis vniuersalia rebus sensatis: & species istorum, & genera eorum sunt subiecta in Scientijs, & in ista Scientia: sed istud de duobus modis distinctis: quia dum ipsa accipiuntur ex eo, quòd pars eorũ est magis vniuersalis, alia parte eorũ: & pars eorum est magis determinans parte: & ex eo quòd pars eorum est nota, & prædicata de parte aliqua: & in summa ex eo, quòd cõtingunt eis intellecta secunda, quorum inuentio certè est in intellectu: solùm erunt Logicalia &c. *Ad Scientias igitur prædicamenta pertinent: quâ primæ rerum sensilium, quæ extra animum sunt, notiones sunt: ad Logicam: quâ inde secundæ notiones formantur: siue, vt planius loquar, ad Scientias & Philosophiam pertinent: quâ cognitionis: ad Logicam: quâ subiectum sunt operationis. Logicam in* ποιήσει *consistere, operisq; gratia totam esse, suprà diximus. Materiã igitur requirit: ex qua quod efficit, efficiat. Hanc non aliam, quàm summa illa rerum genera esse: vel hinc euidentißimè liquet. Cùm enim Logica tota in secundis notionibus, quæ opus nostrum sunt, occupetur: hæ autem ex primis illis, tanquam ex materia, efficiantur: quis non videt: rectè pro materia Logicæ, decem illa rerum genera aßignari? Præterea omnes secundæ notiones, omniaq; præcepta Logica veritatem obtinent, ob primas illas notiones: hoc est, secundæ notiones nil sunt:*

nisi quatenus in primis considerantur. genus nil est: nulla enim res est, quæ genus nuncupetur. Sic prædicatum, subiectum ceteraq; omnia, quicquid sunt, id sunt in primis: siquidem secundaria rerum consideratio sunt: & quasi forma Logicæ in materiam illam introducta: perinde vt calceus in corium introducitur: & in corio efficitur. Ad Logicā igitur pertinent, & in Logica explicanda sunt.

Ceterum quo pacto ad Logicum pertineant, duplex est interpretum sententia. Quidam existimant: ea propriè & primò siue κτήσει ad Philosophum: secundariò autem & χρήσει tantùm ad Logicū pertinere: quæ sententia admitti forsan posset: si de prædicamentis in genere quæstio esset: quia verò non vniuerse de prædicamentis, sed de illo solum Categoriarum libro quem Logicæ suæ non absq; singulari consilio, Aristoteles præfixit: quiq; Logicæ Aristoteleæ pars est: ideoq; omnino à Metaphysicalib. prædicamentis discernendus, quæstio est: illorum sententiam probamus: qui docent: librum illum & χρήσει & κτήσει, totumq; Logicum esse. Apparet id tum ex re, quam tractat (in Categoria enim substantiæ, compositas solùm substantias reponit: quod contrà in Metaphysicis Aristoteles fecit) tū ex modo tractandi: qui non ita exquisitus est, & diligens: quippe qui nullius rei causam adfert: & proprietates prædicamentorum nudè absque omni demonstratione considerat: cùm contrà tractatio ad Philosophum perti-

tinens

tinens diligens & exquisita sit oporteat: tum quia indiuidua, v. g. primas substantias in his prædicamentis non solùm reponit, sed primum etiam illis locum aßignat: tum quia seorsum peculiari & diuersa tractatione de prædicamentis in Metaphysicis Aristoteles egit: tum denique ex fine. Liber enim iste de rebus agit: non vt eas cognoscat: sed vt in illis secundas notiones efficiat. Qui igitur scopum Philosophi diligenter considerauerit: reperiet: eum in ista Categoriarum tractatione id inprimis respicere: vt habilitatem earum doceat ad secundas notiones recipiendas: quo modo vel subiectorum, vel prædicatorum: generum vel specierum &c. vicem gerere queant: vt optimo iure concludamus: cùm liber hic totus propter Logicam sit: & non solùm à re tractata: sed etiam, & vel in primis, à scopo & consilio autoris denominandus: eum & χρήσει & κτήσει, totúmque Logicum esse.

Liquet hinc etiam: cur primo loco in Logica prædicamenta explicanda esse iudicemus. Cùm enim nō solùm materia Logici sint: quam profectò ob causam etiam ab Aristotele primo loco explicata sunt: sed etiam primas rerum notiones contineant ex quibus secundæ omnes deducuntur: meritò vti ordine naturæ: ita quoq; ordine doctrinæ præcedunt: vt taceam: quòd prædicabilia sine prædicamentorum cognitione intelligi nequeant. Qui prædicabilibus priorem lo-

cum aßignant, firmis rationibus destituuntur. Prædicabilia igitur vel post prædicamenta explicanda erunt seorsum: vel in ipsa prædicamentorum explicatione illorum quoque saltem, quantum ad prædicamentorum pleniorem cognitionem pertinere videbitur, facienda mentio erit: quemadmodum etiam Philosophum fecisse non dubitamus.

Restat, vt antequam de ipsis prædicamentis disseramus, antepredicamenta, quæ vocant, paucis explicemus. Antepredicamenta vocarunt, quæ ante prædicamenta explicantur: sicut post prædicamenta ijdem appellarũt, ambiguarum quarundam vocum, quæ prædicamentis subijciuntur, interpretationem. Sunt autem ante prædicamenta præcipua quinque: homonyma: synonyma: denominata: & duæ diuisiones: altera eorum qua prædicantur: altera eorum, quæ sunt.

DE HOMONYMIS.

Homonyma dicuntur: quorum nomẽ tantùm commune est: quæ verò iuxta illud nomen essentiæ definitio est, diuersa est.

Sensus est: homonyma illa dicuntnr: quæ sub eodem genere continentur: sed præter nomen illius commune nihil habent. nam definitio, quæ rei essentiam exprimit, rei inquam, quæ illo homonymo nomine nominatur, communis non est: sed di-

uersa: quia peculiarem quodque definitionem habet v. g. & verū & depictum, animal, animal dicitur: sed præter nomē animalis commune aliud ista nihil habent: cum aliter depictum, aliter verum definiatur. Sic Iudas & Petrus electi fuerunt: sed præter nomen hoc, electus, commune nihil habuerunt. aliter enim Iudas, aliter Petri electio in Scripturis definitur. Quòd autem ad homonyma etiam quæ analoga sunt, reducantur: & quot homonymorum genera sint: id alibi ex Aristotele docui. Com. in 5. lib. phy. cont. 31.

DE SYNONYMIS.

Synonyma verò dicuntur: quorum & nomen commune est: & quæ est iuxta nomen illud essentiæ definitio, eadem est.

Hoc est: Synonyma dicuntur: quæ non solùm idem nomen obtinent: sed eandem etiam definitionem: quæ essentiam illorum iuxta illius nominis significationem declarat, v. g. homo & bos animal est: Petrus & Paulus electi fuerunt. hîc & nomen, & definitio communis, atque eadem est.

DE PARONYMIS SEV *denominatis.*

Denominata verò dicuntur, quæcunque ab

aliquo casu discrepantia, iuxta nomen appellationem habent.

Duæ his verbis conditiones indicantur: quibus denominatum constituitur: altera: vt iuxta nomẽ appellationem habeat: quod fit: cùm concretum est: nomen ab abstracto aliquo habens: veluti iustus à iustitia: fortis à fortitudine: quorum idem nomen est: altera: vt ita iuxta nomen appellationem habeat: itâque concretum sit: vt aliter finis seu vltima illius syllaba cadat, atque abstracti: quem ad modum iustus & iuxta nomen appellationem habet: & aliter quàm iustitia desinit. Sic Grammaticus à Grammatica denominatur. Grammatica verò mulier nõ paronymon sed homonymon est: quia altera conditio, casus discrepantia, desideratur.

DE IIS QVAE DICVNTVR.

Eorum quæ dicuntur, quædam iuxta complexionem dicuntur: quædam absque complexione.

Iuxta complexionem dicuntur integræ Enunciationes: quando prædicatum de subiecto dicitur: absque complexione verò, cùm prædicatum & subiectum non coniunguntur: sed cùm vnum quodque seorsum effertur. Exempla prioris sunt: homo currit: homo vincit: posterioris, homo: bos: currit: vincit.

DE

DE ILLIS QVAE SVNT.

Eorum quæ sunt, quædam de subiecto dicuntur, in subiecto verò nullo sunt: quædam in subiecto sunt, de subiecto verò nullo dicuntur: quædam & de subiecto dicūtur, & in subiecto sunt: quædam verò neque de subiecto dicuntur, neque in subiecto sunt.

In subiecto esse, Aristoteles vocat, quod, cùm alicui rei non tanquam pars insit, impoßibile est, absq; illo esse, in quo est: hoc est, In subiecto esse dicitur, quod non potest sine subiecto esse: & tamen non est pars illius: vt eruditio in homine. Substantiæ igitur secundæ de subiecto quidem dicuntur: sed in subiecto nullo sunt: accidentia verò singularia, vt hic nigror in subiecto sunt: sed de subiecto non dicuntur. non enim dicimus, corpus est hic nigror: sed nigrum: nigrorem in genere, non singularem, & demonstratum significantes. Accidens vniuersale & in subiecto est: & de subiecto dicitur: vt scientia in anima est: & de subiecto, de Grāmatica, seu potius Physica prædicatur. Indiuidua verò neq; in subiecto sunt: neq; de subiecto prædicantur: vt Petrus. Quòd si de omnibus vniuersè indiuiduis, nō de substantiæ tantùm indiuiduis loquamur: nihil obstat: quò minus quædam illorum non quidem de subiecto dicantur: in subiecto tamen sint. Ita hæc Grammatica in subiecto est: etsi de nul-

lo subiecto dicatur. Cùm enim quis certam Grammaticam, siue Grammatices compendium, certam Logicam didicit & percepit: illa in ipsius anima est tanquam in subiecto. Hactenus de ante prædicamentis: sequuntur ipsa prædicamenta.

Categoriæ siue prædicamenta sunt classes quædam: quibus summa rerum genera, & quæcunque illorum complexu continentur, comprehenduntur.

Vox κατηγορίας, qua vsus Aristoteles est, à verbo κατηγορεῖν deducitur. Sicut autem verbum κατηγορεῖν forense est: & primò ac propriè accusare significat: secundariò in genere aliquid de aliquo commemorare, dicere & prædicare: eò quòd in omni accusatione aliquid de aliquo dicatur: ita nomen κατηγορίας speciatim accusationem significat: generatim prædicationem. Hoc verò loco κατηγορία neque accusationem significat: neque propriè prædicationem: sed classem: ex qua genera & species, subiecta & prædicata, ex quibus prædicationes constant, depromuntur: quæ causa est: cur Latini vocem κατηγορίας non prædicationem verterint: sed prædicamentum.

Per summa rerum genera intelligendum est supremum illud in quouis ordine prædicamentali: quo nō est aliud superius: puta in illo ordine prædicamentali. Alioquin Ens quodam modo, modo scilicet analogico, (Metaph. 4. cont. 2.)

logico,

logico vt appellant, siue potius qui ad vnum est, istorum genus est: vt docet Aristot. Substantia enim, quæ primum prædicamentum constituit, magis: accidens, ex quo reliqua nouem constant, minus Ens est. Summum igitur dicimus in suo ordine. in omni enim prædicamento supremum aliquod est, siue genus, vt loquuntur, generalißimum: sub quo multa, vt dicetur, inferiora & angustiora, quæ generum & specierum subalternarum locum tenent, comprehenduntur: vt prædicamentum sit ceu catalogus aliquis: in quo multa ordine quodam continentur: seu quasi schala quædam: in qua multi gradus sunt: semperq; alius alio superior: donec ab imo ad summum, vel ab hoc ad illum, deueniatur.

Sunt autem prædicamenta siue classes eiusmodi, decem: Substantia: Quantitas: Relatio: Qualitas: Actio: Paßio: Quando: Vbi: Situs: Habitus: quibus neq; solæ voces: neque solæ notiones: neque solæ res continentur: sed voces, res per medias notiones significantes.

Duo his verbis complexi sumus: numerum prædicamentorum: & quid illis cõtineatur. Ad prius quod attinet: etsi Pythagoras viginti prædicamenta, vt in Metaphysicis Arist. refert posuit: extra cõtrouersiam tamen est: neq; plura, neq; pauciora esse, quàm decẽ. lib. 1.

Quid verò illis contineatur, non vna omnium est sententia. Existimant quidam: solas voces ibi contineri: qui idcirco Logici nominales vocantur. Alij arbitrantur: solas notiones & νοήματα ad prædicamenta pertinere: quorum neutrum verum est. Ratio prima est: Quia Aristoteles multis in locis affirmat: Categorias esse de rebus siue de ente, vt loquuntur, reali. Deinde, si vocabulum, vel primæ, vel secundæ notionis definias: certè non solùm nomen, neque solam notionem, sed rem simul definis. Innuit etiam crebrius Arist. Logicam à Metaphysica in eo differre: quòd de rebus non tractet, quâ sunt: sed quâ prædicantur. De rebus igitur agit: quâ de se inuicem prædicari, & enuntiationes constituere aptæ sunt. Idcirco Græci dicebant: voces à Logico considerari: sed voces, res per medias notiones significantes: quam sententiam tota quoque Arabia communi consensu approbauit. Certè si sola Antepredicamenta inspiciamus: comperiemus: res Logico subijci: non quidem quâ sunt: sed quâ prædicantur. Qui prædicamenta hæc Metaphysica esse volunt: & tamen solas notiones eò referunt: nō videntur considerare: circa quod Ens Metaphysica versetur. De vocibus igitur Logica agit: sed quibus res, per medias notiones significantur.

phy. 3. c. 1.
1. prior. c. 19.

DI

DE PRAEDICAMENTO *ſubſtantiæ.*

Subſtantia eſt Ens: quod proprium eſſe habet: & ſuſtinet accidentia.

Primum inter prædicamenta locum ſubſtantia obtinet: tribus de cauſis. 1. eſt: quia ſubſtantia nobilior ſpecies Entis eſt: 2. quia naturâ prior eſt accidente. accidentia enim omnia à ſubſtantia pendent: non contrà: 3. & præcipua eſt: quia ſubſtat accidentibus. accidentia enim niſi à ſubſtantia ſuſtententur, nihil prorſus ſunt.

Dicitur ſubſtantia, vel à ſubſiſtendo: quòd per ſe, non in alio, vt accidẽs, ſubſiſtat: vel potius à ſubſtando: quia accidentibus ſubſtat, hoc eſt, accidentia ſuſtentant. Græcum οὐσία *ab* εἶναι *eſt, verti Latinè ſolet, modo eſſentia: modò ſubſtantia: quamuis illud, ſi vocis originem reſpiciamus, magis congruat. Ceterum* οὐσία, *ſiue eſſentia nõ eodẽ ſemper modo vſurpatur. Aliquando enim* οὖσία *ſiue eſſentia* τὸ τί ἐστι *rei ſignificat: qualiſcunque tandem res ſit. Sic etiam accidentia eſſentiam habent, & definitionem eſſentialem. ſed iſtud huc non pertinet. Deinde* οὐσία *ſignificat ens per ſe ſubſiſtens. hæc* οὐσία *ad præſens prædicamentum pertinent: ſed eo modo, quo dicetur. In Eccleſia receptum eſt, vt* οὐσία *dicatur ſimplicíſ-*

ſima illa tribus perſonis communis eſſentia: ipſæ autem perſonæ ὑπόστασεις & ὑφιστάμενα: quamuis non ab omnibus ſemper hoc diſcrimen obſeruetur.

Porrò ſubſtantiæ hæc definitio, non definitio eſt, ſed tantùm qualiſcunque deſcriptio: ſumma enim genera, cùm neque verum genus, neque differentiam ſpecificam habeant, non definiuntur. Dicitur Ens, quod proprium eſſe habet: hoc eſt: quod per ſe & non in alio ſubſiſtit, veluti homo, Petrus: qui per ſe ſubſiſtit: eruditio ſiue iuſtitia in homine ſiue Petro. Additur: & ſuſtinet accidentia. Accidentia enim à ſubſtantia ſuſtentantur: ſed non ab omni promiſcuè ſubſtantia. Increata enim omnis accidentis expers eſt: cùm ſit ſimpliciſſima οὐσία. Diſtinguuntur igitur hac particula creatæ ſubſtantiæ ab increata: & inter creatas quoque in primis id competit compoſitæ.

Eſtq; ſubſtantia, prout ad hoc prædicamétum pertinet, duplex, prima & ſecunda. primæ ſubſtantiæ indiuidua ſunt: ſecundæ, horũ ſpecies & genera. Dicuntur primæ & magis ſubſtantiæ: quia de nullo ſubiecto dicuntur: & reliquis omnibus ſubſtãt: ſecundæ verò: quia de primis dicuntur: & in illis ſubſiſtunt. Deſtructis igitur primis ſubſtantiis, fieri non poteſt: vt reliquorum aliquid ſuperſit.

Quæritur ab Interpretibus: qualis hæc diuiſio ſit: qua

qua substantia in primam & secundam diuiditur. Cum enim quintuplex ferè sit diuisio: alia æquiuoci vt loquuntur, in sua æquiuocata: h.e. homonymi in suas significationes: alia generis in suas species: alia totius in partes: alia subiecti in sua accidentia: alia denique accidentis in accidentia: alterutrum consequi videtur: vel vnam ex istis hanc substantiæ in primam & secundam diuisionē esse: vel si nulla sit: eam diuisionem non esse. Nec defuerunt: qui eam diuisionem esse negarent: & tantùm enumerationem esse dicerent: veluti cùm dicimus: Senatorum iste primus est: iste secundus. Sed nos illorum sententiæ subscribimus: qui diuisionem esse dicunt, diuisionem inquā, eorum quæ secundū prius & posterius dicuntur: quò tandem etiam enumeratio illa redit. Diuisio igitur generis est in suas species: sed generis nō vniuoci: quod eodem prorsus modo de omnibus speciebus dicatur: sed generis: quod de speciebus suis secundùm prius & posterius, & de vna magis, de alia minùs, dicitur. Sic Ens magis de substantia dicitur quàm de accidente: substantia magis de indiuiduis, quàm de speciebus: de speciebus magis quàm de generibus. Substantia igitur, quæ summum huius prædicamenti genus est, genus est primarum & secundarum substantiarum.

Ceterùm cùm hæc prædicamentorum consideratio non Metaphysica sit, vt paulò ante dicebamus, sed Logica: in qua id in primis agitur: vt primis notionibus secundæ accommodentur: mirum videri ne-

mini debet: quòd indiuidua, hæc prædicamenta non solùm ingrediantur: sed etiam sub propria conditione, vt non obscure ex Aristotele colligitur, ingrediantur. Quod igitur Albertus obseruauit: Aristotelem, cùm de primis substantijs loquitur, nõ dicere, hic homo, vel Plato, sed aliquis homo: vt ostendat: indiuidua ad prædicamenta pertinere: quatenus naturam indiuidui vagi induunt: id parui est momenti.

Quòd verò primæ substantiæ secundis nobiliores sint: id non solùm ex eo liquet: quòd illæ semper subijciantur, nunquam verò prædicentur: quod secundæ faciunt: quæ & subijciuntur & prædicantur: sed etiam, & vel in primis ex eo: quòd secundæ esse suum in primis habeat. Primis enim sublatis, necessariò secundæ tolluntur. Sic homo nullus est in genere, nisi in singulis indiuiduis.

Sicut autẽ primæ substantię magis substantiæ sunt quàm secundæ: ita quoque inter secundas species magis substantiæ sunt quàm genera: quia indiuiduis sunt propinquiores.

Hæc ex præcedentibus satis intelliguntur.

Ex hac substantiæ diuisione non obscurum est: quæ nam substantiæ in hoc prædicamento à Philosopho collocentur. Cùm enim primarum tantùm & secundarum men-

mentionem faciat: perſpicuum eſt: ſola indiuidua, & eorū ſpecies atque genera: ideoq́; ſolas corporeas & cōpoſitas ſubſtantias ad hoc prędicamentū pertinere.

Sunt qui hoc prædicamēto, ſine diſcrimine, omnes ſubſtantias includant: etiam infinitam illam & increatā. Sunt alij: qui ſolo Deo excepto, reliquas ſubſtantias omnes huc pertinere doceant. Sunt denique: qui ſolas compoſitas & corporeas huc referant. Atq; hæc Peripatetica ſententia eſt: & Græciæ, & Arabiæ communi approbata conſenſu. Nam vt vnum pro multis adferamus: Ammonius, poſtquam primùm ſubſtantiam in ſimplicem & compoſitam diſtinxit: & illam rurſum duplicem fecit: aliam: quæ melior ſit & præſtātior compoſita: vt Deus: Angelus: mens: anima: aliam: quæ peior & inferior ſit compoſita: vt materia prima, & forma: ſic deinde loquitur: In categ. Differit autem hîc Ariſtoteles, neque de ſimplici illa præſtantiori compoſita (non enim propoſitum illi fuit Theologum agere) neque de ſimplici illa & deteriori cōpoſita (neque enim philoſophari illi propoſitum fuit) ſed de ſola compoſita. *Ex quibus ſimul liquet: cur Ariſtoteles ad hoc prædicamētū neq; Deum, neq; Angelos, ceteraſq; ſimplices ſubſtantias retulerit. Cùm enim neque Theologum, neque phyſiologum hîc agere voluerit: ſed imperitam iuuen-*

tutem erudire: noluit prudentißimus præceptor de illis præcipere: quæ nimium abstrusa sunt: & neque à rudioribus intelliguntur: neque ad Logicam pertinent. Alia ratio est prædicamentorum Metaphysicalium. ibi ad prædicamentum substantiæ etiam Dæmones admittuntur: qui in præsenti non continentur. Anima humana, directè quidem in hoc prædicamento non est: secundariò tamen ad illud pertinet: quâ forma est corporis humani: cùm partes in eodem prædicamento sint, in quo totum est: sed vt loquuntur, reductiuè.

Summum igitur huius prædicamẽti genus, est substantia corporea siue cõposita: hoc est, simplex illa natura: omnibus corporeis & compositis substantijs cõmunis: complectens sub se animatam & inanimam: sentientem non sentientem: ratione præditam, & ratione destitutam: istarumque indiuidua.

Eodem modo Auerroes corpus, summũ huius prædicamenti genus constituit. Sic enim: scribit: Et vniuersalissimum genus, quod reperitur in ea (substantia) est corpus: & definitio eius est, quòd ipsum sit res, cui est longitudo, latitudo & profunditas: & in summa cui sunt dimẽsiones. Vlterius sub eo est nutribile & non

In Epit. in categ. c. 2.

non nutribile : & ingrediuntur ſub eo ſpecies multæ : & rurſus animal ſub nutribili: amplius ſub animali ſpecies vltimæ ingredietes ſub eo, ſicut homo & equus & aſinus.

Quò Plato diuiſionem Categoriarum in ſpecialiſsimis ſpeciebus ſiſti iubet : & ad indiuidua vſque extendi vetat : id de Metaphyſicalibus Categorijs verum eſt: in his verò Logicis aliud fuit , vt ſuprà dictum eſt, Philoſophi conſilium & inſtitutum.

Commune omnibus ſubſtantijs eſt, in ſubiecto non eſſe.

Sex huius prædicamenti proprietates à Philoſopho recenſentur: quarum prima eſt : quòd ſubſtantia non ſit in ſubiecto. Quid Ariſtoteli ſit in ſubiecto eſſe, dictum eſt. Cùm igitur ſola accidetia ita ſint in alio: vt, quamuis ſine eo eſſe ſimpliciter non poſsint, non tamen pars illius ſint: rectè ſola accidentia in ſubiecto eſſe dicũtur. Subſtantiæ enim primæ, vt Petrus, cùm per ſe ſubſiſtant, in ſubiecto eſſe dici non poſſunt. Secundæ quoque licet in primis ſubſiſtant, in ſubiecto tamen non ſunt. homo enim, quemadmodum & animal, non eſt in Petro ſicut eruditio : quippe pars conſtituens & communis multis. propterea & nomen, & definitio nominis ſecundarum ſubſtantiarum de primis prædicatur: id quod locum non habet in ijs: quæ in ſubiecto ſunt. Partes denique ſubſtantiarum, cùm partes ſint, in ſubiecto eſſe dici non poſſunt.

Ineſt autem ſubſtantijs & differentijs, quòd vniuocè prædicentur.

Quid vniuocum ſit, dictum eſt. Quòd verò ſubſtantiæ prædicari dicuntur: id de ſecundis ſubſtantijs intelligendum eſt. Primæ enim ſicut in nullo ſubiecto ſunt: ita quoque de nullo ſubiecto dicuntur. Inter ſecundas verè ſpecies de indiuiduis: genera & de indiuiduis, & de ſpeciebus dicuntur: quemadmodum etiam differentiæ de vtriſq;, de indiuiduis & ſpeciebus prædicantur. Porrò cùm ſpecies, puta homo, de indiuiduo, puta Petro, dicitur: & ſecundum idem nomen: & ſecundum eandem nominis rationem ſiue definitionem dicitur. Petrus enim homo eſt & animal ratione præditũ. Sic cùm Petrus ſiue homo animal eſſe dicitur: & nomen: & definitio nominis eadem eſt. Eſt enim & Petrus, & homo animal, nomine, & re: quia ſubſtantia animata ſentiens. Eadem eſt differentiarum ratio. Liquet igitur: prædicationes, quæ ex ſubſtantijs & differentijs eſſentialibus ſumuntur, vniuocas eſſe.

Omnis ſubſtantia videtur hoc aliquid, τόδέ τι, ſignificare.

τό δέ τι, *quod hoc aliquid interpretamur, Ariſtoteles vocat indiuiduum, & quod vnum eſt numero: ſicut ipſe ſe ipſum interpretatur. De primis igitur*

tur substantijs, cùm indiuidua sint & singularia, manifestum est: eas τό δ'έτ significare: secundæ etiam, si nomina tantùm consideremus, animal, homo, vnum numero significare videntur: sed reuera multa significãt. species enim & genera multis sunt communia. Propterea Aristoteles dixit: Omnis substantia videtur significare.

Inest etiam substantijs, quod nihil illis sit contrarium.

Contraria dicuntur duæ qualitates, agentes & patientes inuicem: quæ sibi mutuò succedunt in subiecto: & quarum altera pellit alteram: vt calidum, frigidum: nigrum, album &c. Neque primis igitur, vt Petro neque secundis, vt homini aut animali, aliquid hoc pacto est contrarium.

Videtur quoq; substantia non recipere magis & minus.

Hoc non ita accipiendum est: quasi vna substantia nõ magis sit substãtia quàm altera (prima enim substantia, vt dictum est, magis substantia est quàm secunda) sed ita intelligendum est: quòd vna & eadem substantia, siue quæ eiusdem ordinis est, neque se ipsa, neq; alia, vel hoc, vel alio tempore, magis sit, & dici possit substantia: vt Abraham se ipso non fuit

magis homo: neq; iuuenis, neq; senex: non fuit etiam magis homo Isaaco filio: ideoq; homo siue animal de vno singulari & indiuiduo non magis dicitur, quàm de alio: neq; hoc tempore magis, quàm illo. Recipere enim magis & minus subiectum dicitur: in quo forma paulatim vel intensior fit, vel remissior: id quod de substantijs dici nullo modo potest.

Maximè verò proprium substantiæ esse videtur: quòd vnum & idem numero existens, contrariorum capax sit.

Nihil est præter vnicam substantiam, quod contraria recipiat. Idem nanq; numero color, alborem & nigrorem non recipit. Albus enim color, dum niger fit, non est idem qui antè fuerat. Sic vna & eadem actio nõ recipit laudem & vituperationẽ. Et sic res habet in omnibus prædicamẽtis: substantia excepta. Substantia verò vna & eadem cõtraria recipit. Idem enim homo nunc albus, nunc niger fit: iam calidus, iam frigidus: iam prauus, iam bonus est. Quod autem contraria recipere dicitur: id intelligendũ est successiuè. Vna enim & eadem substantia simul & semel contraria non recipit in gradibus excellentibus. Quocirca Philosophus non dixit, recipit: sed capax est. Neque hoc pugnat cum quarta proprietate. Aliud enim est substantiæ nihil esse cõtrarium: aliud substantiam recipere contraria accidentia.

DE PRAEDICAMENTO *Quantitatis.*

Quantitas est mensura substantiæ: seu illud substantiæ accidens: ob quod in partes diuidi, hoc est, vel numerari, vel mensura distingui potest.

Architas, qui primus Categoriarum autor esse perhibetur, substātiæ proxime, vt Simplicius refert, Qualitatē subiecit: Aristoteles verò contrà, Quantitatem: idq́ tum hîc: tum in Metaphysicis: cuius rei duplex adferri ratio potest: altera: quia quantitatis prædicamentum reliquis octo nobilius est: quam ob rem etiam secundum rerum subiectum nuncupatur: altera, quæ ad Logica hæc prædicamenta pertinet: quia Aristoteles in prædicamento substantiæ, corporeas tantùm, vt ostendimus, substantias collocauit: Omne vero corpus ita necessariò sequitur quantitas: vt sine quantitate corpus non sit corpus: vt non dubitarit dicere Cyrillus: Si Deus ipse corpus esset: eum etiam quantum fore. Adferri tamen duæ aliæ solent: quarum prior est: quòd substantiæ in pluribus conueniat cum quantitate, quàm cum qualitate aut ceteris prædicamentis. sicut enim substantia magis & minus non recipit: ita neque quantitas: & sicut substantiæ nihil contrarium est: ita neque quantitati. posterior est: cùm Aristoteles substantias in primas

& secundas distinxerit: primus autem & secundus numeri sint: qui ad quantitatem discretam pertinent: rectè substantiæ prædicamentum quantitatis consequitur. sed hæc parui est momenti. Tantum de ordine.

1. Par. sum. quæst. 28. art. 2 *Quantitatem substantiæ mensuram esse Thomas docet. Est enim illud accidens: ob quod diuidi in partes potest: siue metiri eam oporteat: siue numerare.*
Metaph. 5. *Quicquid enim quantum est: id vel multum est: vel magnum. multum enim & magnum* πάθη *sunt, vt docet Aristoteles, & affectiones quanti. Quod multum est, id numeratur; atque ita in partes diuiditur: vt centum in centum vnitates: siue multos binarios & ternarios. Quod magnum est, vel longum est: vel latum: vel profundum: vel omnia simul: atque istud etiam in partes suas distingui potest. Tempus igitur & locus, quæ substantiæ extrinsecus accidunt, eam quoque metiuntur. Istorum enim respectu substantia etiã diuiditur: id quod de oratione quoque verum est.*

Quãtitas primùm duplex est: alia per se: alia ex accidẽte. Quantitas siue quantum per se dicitur, quod propriè & primò, nõ per aliud quantũ est: per accidẽs verò, quod per aliud quantum est.

Quantitates per se, sunt, linea, superficies, corpus, locus, tempus, numerus & oratio: reliqua præter hæc

hæc quanta sunt per accidens. sic actio aliqua siue concio quanta dicitur ob tempus longum, aut breue: quo durauit.

Quantitas per se, quæ ad prædicamentum istud pertinet, in cõtinuam & discretam subdiuiditur. Continua est: cuius partes communi aliquo termino copulantur: Discreta: cuius partes communi aliquo termino non copulantur.

Illæ partes communi aliquo termino copulari dicuntur: quæ continenter cohærent: & à se inuicem non sunt diuisæ. Finge in medio lineæ punctum esse: & per illud punctum vtramque lineæ medietatem cohærere. Hæ partes communi termino copulari, & continenter cohærere dicuntur. Sic res in linea, superficie, corpore, loco, tempore habet. Sicut enim duæ partes lineæ continenter per vnum punctum cohærent: ita superficies per lineam, corpus per superficiem cohæret. Aliter se res habet in discreta quantitate. In numero enim partes à se inuicem disiunctæ & diuisæ sunt; vt in denario 1.2.3.4. vel 1.3.3.3. vel 2.4.4. istæ partes termino aliquo non copulantur: sicut in linea vno puncto: nec ita continenter cohærent: vt partes lineæ vel superficiei. Eadem ratio est orationis.

Quantitas cōtinua quinque ſpecies habet: lineam: ſuperficiem:corpus: tempus: & locum. Linea eſt fluxus puncti, ſiue ſola longitudo: cuius extrema ſunt duo puncta. Superficies eſt longitudo & latitudo ſine profundo: cuius extrema ſunt duæ lineæ. Corpus eſt longitudo cum latitudine & profundo: cuius extrema ſunt duæ ſuperficies. Tempus eſt numerus & menſura motus: ſecundum prius & poſterius. Locus eſt ſuperficies corporis continentis.

Tres primi termini Mathematici ſunt: duo poſtremi Phyſici. De linea igitur non materiata loquimur: ſed ea, quæ mente concipitur. Mathematicus enim res conſiderat ἐξ ἀφαιρέσεως. *Finge igitur ab oculo tuo lineam fluere vel produci in longū tantùm, ad cælum vſq;. fluxus iſte puncti, ſiue longitudo iſta, linea eſt Mathematica: habens duo puncta: vnum in oculo tuo: vbi incipit: alterum in fine: vbi deſinit. Sed hîc notandum eſt: quod de duobus punctis, quibus vtrinq; linea terminatur, dicitur, ad lineam rectam tātùm pertinere: cùm orbiculata duo eiuſmodi puncta non habeat. Sicut autē Mathematici imaginantur: lineam fieri ex fluxu puncti in longum: ita ſuperficiem ex fluxu lineæ in latus conſtituunt. Finge lineam illam, quæ ab oculo tuo in cælum producitur,*

in

in latus fluere: & superficiem habebis: cuius extrema duæ lineæ erunt: sicut lineæ extrema duo puncta sunt. Rursum, sicut linea ex fluxu puncti: superficies ex fluxu lineæ: sic corpus ex fluxu superficiei in profundum fieri dicitur: cuius etiam extrema sunt duæ superficies: vt nihil aliud sit corpus Mathematicum: quàm trina dimensio.

Ceterum si corpus quantitas est: quo pacto in substantia collocatur? Corpus, vt diximus, nihil aliud quàm trina dimensio est: & idcirco accidens: quo pacto in hoc prædicamento continetur. in substantiæ autem prædicamento hæc trina dimensio non continetur: sed substantia illa, ex materia & forma constans: quam trina hæc dimensio necessariò comitatur. Accidens igitur à substantia distinguendum est. Temporis & loci definitiones explicare, ad Physiologum pertinet, non ad Logicum. Quantitatem verò & quidem continuam quantitatem, tempus esse, ex eo liquet: quia longum quiddã est: cuius partes, præteritum & futurum continenter cohærent. Locus quoque quantitas est: quia superficies à qua tamen differt: quâ corpus siue rem notat, quæ in loco est continua est: & quia superficies: & quia ratione corpori respondet. Sicut enim corporis partes, quæ in loco sunt, continenter cohærent: ita quoque loci partes: quibus corporis partes continentur: & quæ partibus loci respondent.

Discreta quantitas duas species habet: numerum & orationem. Numerus est multitudo ex vnitatibus collecta. Oratio mẽsura est distinctorum sonorum & syllabarum: prout ore proferuntur.

v.g. decem, numerus est: quia collectum quippiam ex multis vnitatibus. sic viginti: sic centum. Vnitas verò ipsa, quia principium est numeri, ideoq́ pars quædam, ad quantitatem & ipsa refertur: sed reductiuè: id quod de puncto & momento quoque sentiendum est. Oratio tripliciter considerari potest: vno modo: quo in mente concepta manet: altero: quo profertur: tertio: quo scribitur: mentalem, vocalem scriptam appellant. Ad hoc igitur prædicamentum sola vocalis oratio pertinet: cuius syllabæ quædam, dum pronuntiantur, producuntur: quædam corripiuntur. propterea in descriptione illius dicitur: esse mensuram syllabarum, prout ore proferuntur. reliquæ duæ species orationis ad qualitatem referuntur: altera, scripta, ad quartam, altera ad primam speciem. Oratio denique vocalis, dum distinctos sonos & syllabas certo quodam modo profert, eas metiri dicitur: perinde ferè: atque cum mensura aliquid metiris.

Genus igitur generalissimum huius prædicamenti, quantitas est, hoc est, simplex illa

illa omnibus per se quantis communis natura: sub qua cõtinua & discreta quãtitas comprehenditur: sub his linea, superficies, corpus, tẽpus, locus, numerus & oratio: quæ species sunt specialissimæ: indiuidua tantùm, hanc lineam, hũc numerum sub se complectentes.

Simplex illa omnibus per se quantis communis natura, summum est in hoc prædicamento genus: genus tamen non synonymum: sed cuiusmodi illa habent quæ ad vnum dicuntur: quia sicut primæ substantiæ magis sunt substantiæ, quàm secundæ: sicut habitus magis est qualitas quàm dispositio: & sicut relatio secundùm esse magis est relatio, quàm illa quæ secundùm dici est: ita quoque linea siue corpus magis quantitas esse videtur, quàm oratio. Genera & species subalternæ sunt, cõtinua & discreta quantitas: species specialissimæ, linea, superficies &c. indiuidua, hæc linea, hæc superficies.

Quantitati nihil est contrarium.

Lineæ enim nihil contrarium est, neq; superficies, neq; corpus. sic de reliquis.

Sed obijcitur magnũ paruum: multum paucum: & similia: quæ quanta sunt: & sibi contraria. Responsio duplex est. 1. Non sunt ista quanta: sed potius relata. Atqui pertinent ista ad essentiam quanti-

tatum. Linea enim nihil aliud est, quàm longitudo, seu quantitas solam longitudinem habens: corpus nihil aliud, quàm trina dimensio, seu quod idem est, quantitas, longa, lata & profunda. Multitudo igitur, longitudo &c. ad istorum definitionē & essentiam pertinent: g. quanta sunt. Respondeo ex Aristotele: multum paucum: magnum paruum: longum breue: bifariam considerari: per se & cum respectu: per se considerata, quanta sunt: cum respectu, relata. Si longum, latum, multum, per se consideres: quantitates siue quantitatis vt Auerroes loquitur, essentiales dispositiones habes: sin cum respectu ad breue &c. relata: non secus atque cùm scientiam per se consideras: qualitatem habes: sin cum respectu ad scibile: relatum. Accidit enim relatio, vt docet Auerroes, quantitati & ceteris prædicamentis. Hæc causa est: cur Aristoteles sub finem qualitatis monuerit: ne quis turbetur: si idem ad diuersas categorias referatur: vnum enim & idem diuerso modo consideratum, in diuersis collocari prædicamentis. Sic triangulum, si spacium illud, quod occupat, consideres, quantum est: sin figurā siue vt ita loquamur, triangulitatem, quòd spacium illud tali figura, triangulari scilicet claudatur, in qualitate est. Licèt ergo quanta sint magnum paruum, hoc est, magnum per se & seorsum absq; collatione cum paruo: & paruum absq; respectu ad magnum consideratum: tamē cùm inter se conferuntur: siue vt contraria: siue alio quouis

Metaph. 5. (margin, beside "breue: bifariam considerari")

Metaph. 5. cont. 18. (margin, beside "scibile: relatum")

uis modo: relata sunt, non quanta. Hoc voluit Aristoteles: cùm in Metaphysicis scripsit: ἔστι δὲ τὸ μέγα καὶ τὸ μικρὸν, καὶ καθ' αὑτὰ καὶ πρὸς ἄλληλα λεγόμενα· τοῦ ποσοῦ πάθη καθ' αὑτά. Hæc causa est: cur in Categoriis simpliciter neget: magnum paruum lib.5.cont. 18. *quanta esse: quod tamen in Metaphysicis concedit: quia de illis hîc loquitur: vti vnum cum altero confertur. Non sequitur igitur: quantitati aliquid esse contrarium: si vel maximè paruum magno contrarium esset. Altera responsio est: magnum paruo reuera contrarium non esse. rationes vide apud Aristo-* in Categor. Quāt. *telem.*

Quantum non videtur recipere magis & minus.

Hoc quoque in substantiæ prædicamento explicatum est: & eodem hîc modo limitandū, quo ibi. Corpus enim magis quantitas est quàm oratio: idcirco Aristoteles, cùm exempla attulit, non dixit, Corpus non est magis quantitas, quàm oratio: sed bicubitum vnum, non est magis bicubitum, aut quantitas, altero bicubito: tempus vnum non est magis tempus aut quantum altero: numerus vnus non est magis numerus, aut discreta quantitas altero. Sic linea vna non est magis linea aut quanta altera. videtur tamen linea magis esse quantitas quàm oratio: quæ non est ipsa longitudo, sicut linea.

Maximè verò quātitati proprium eſt, æquale & inæquale dici.

Quicquid alteri æquale aut inæquale dicitur, id ob quantitatē ſic dicitur. Numerus vnus alteri æqualis dicitur non ſimilis. Homines ſeu boues centum, alijs centum æquales dicuntur propter quantitatem diſiunctam ſiue numerum: niger nigro ſimilis non æqualis eſſe dicitur. Ex diſcrimine igitur ſimilis & æqualis, intelligitur: quid ſit æquale vel inæquale eſſe: & quòd hoc ſolius quantitatis ſit: eiq́ quarto modo proprium.

DE PRAEDICAMENTO AD *aliquid ſiue Relationis.*

Differunt abſolutum & relatum: quòd illud, ſicut per ſe eſt, hoc eſt, eſſe quoddam habet abſq; reſpectu ad aliud: ſic etiā per ſe, abſque reſpectu, & intelligatur & definiatur: hoc verò, vti per ſe nō eſt: quippe cuius eſſe totū in reſpectu ad aliud conſiſtit: ita quoq; per ſe, non collatum cum alio, neq; intelligatur, neq; definiatur.

Prædicamentum Relationis, veſtigijs Præceptoris inſiſtentes, tertio loco ponimus. Eſt quidem qualitas abſolutū prædicamentū: quam ob cauſam in Metaphyſicis

physicis quãtitati subijcitur: sed hîc alia est Categoriarum ratio. Sicut enim quantitas proximè & necessario sequitur substantias corporeas: quas solas in substantiæ prædicamento Philosophus collocauit: ita quãtitatem proximè relatio excipit. Magnum enim & paruum: longum, breue: relata sunt. Doctrinæ igitur ordo postulat: vt quantitati statim relationem subijciamus.

Philosophus huic prædicamento titulum fecit περὶ τῶν πρός τι: *hoc est, de ijs, quæ ad aliquid sunt. Omne enim relatum ad aliud refertur: ideoq́ue siue prædicamentum relationis, siue relatorum, siue eorum, quæ ad aliquid sunt, dixeris: idem dixeris. Semper enim ordo vnius ad aliud indicatur.*

Septem autẽ inprimis necessaria sunt, ad rectam huius prædicamenti intelligentiam. 1. Quo pacto differant absolutum & relatum. 2. Quo modo differãt relatum & relatio. 3. Quid sint relata. 4. Quotuplicia: seu quæ relatorum species. 5. Quodnam summum huius prædicamenti genus. 6. Quæ fundamenta. 7. Quæ proprietates. Hæc si ordine explicauerimus: mediocriter intellectum iri hoc prædicamentũ arbitramur. Primum nullã habet difficultatẽ. Homo res quædam est per se: cuius esse non pendet ab alio: & sicut esse ipsius non consistit in respectu ad aliud: ita etiã per se & intelligitur & definitur. licèt enim hominem cum nulla alia re conferas: tamen hominem animal esse ratione præditum intelligis. Sic eru-

ditio esse quoddam habet: etsi cum nullo alio conferatur. Dominus verò quicquid est: hoc totum habet ab alio. Sic esse patris, est referri ad filium: & è contrario. Sicut igitur pater totum suum esse à filio habet: patremq; esse, aliud nihil est: quàm filium habere, & ad filium referri: ita quid pater sit, neque intelligis, neque definire potes: nisi cum filio eum conferas: filijq; mentionem facias.

Relatum porrò illud est: quod ad aliud refertur: Relatio qua refertur.

Relatum neque absolutum est: neque ipsa relatio: sed tertium quippiam: compositum ex absoluto & relatione. v.g. Pater refertur: sed neq; persona patris per se & simpliciter refertur: neque paternitas: sed persona: quâ illi adhæret paternitas. sic de reliquis. Relatio autem illud est, quo refertur: hoc est, relatio aliud nihil est: quàm ordo vnius ad aliud, tanquam ad terminum: v.g. paternitas medium quippiam & ordo est: quo pater ad filium refertur. E contrario filiatio ordo est: qui medius inter filium & patrem intercedit: quo filius ad patrem refertur. Sic dominatus ordo est: quod dominus ad seruum: seruitus è contrario: qua seruus ad dominum refertur.

Confunduntur quidem crebrius relata & relationes: in primis in Scripturis sanctis: in quibus relationes sæpe pro relatis, sicut etiam quæuis abstracta pro

pro concretis vsurpantur: vt cùm circuncisio pro circuncisis, præputium pro præputiatis dicitur: sed cùm propriè loquimur, sic distinguuntur. Rom.4. 1.Cor.5.

Notandum etiam est: non omnia relata duabus relationibus referri. mergens enim ad mersum, & rursum mersus ad mergentē sola refertur mersione.

Quòd verò relatio ordo vnius ad alterum, tanquā ad terminum esse dicitur: id ad differentiam, in primis sex postremarum categoriarum, dicitur: quibus etiam quidam quasi respectus adhæret. Actio enim paßionem siue patiens respicit, seu potius notat: ast non vt terminum: sed vt subiectum. Actio enim in patiente est, tanquam in subiecto. non sic paternitas: quæ à filio non tanquam à subiecto recipitur. Sed de his suo loco pluribus.

Ex quibus liquet: relationem inter duo versari: non equidem, si Peripateticè agamus, inter fundamentum & terminum: Fundamentum enim à relatione reipsa non differt: sed inter duo relata: quorum vnum ad alterū illa relatione refertur. Sic paternitas inter patrem & filium: dominatus inter dominum & seruum: mersio inter mergentem & mersum versatur.

Facilè etiam à mediocriter exercitatis discerni relata à relationibus possunt. Relationes enim semper vocabula sunt abstracta: relata verò secundū esse, quæ vocantur, concreta. Sic pater, filius, dominus, seruus, præceptor, discipulus, generans, generatus,

mergens mersus , verberans verberatus , calefaciens calefactus , signum vel signans signatum , significans significatus &c. relata sunt secundum esse: abstracta istorum, vt, paternitas, dominatus, præceptio, generatio , mersio, verberatio, calefactio, signatio, significatio, relationes. Relata secundum dici, vt scientia, fides, habitus, abstracta quidem sunt :sed primùm in absoluto prædicamento.

Definitio relatorum duplex traditur : vna Antiquorum & imperfecta:altera perfecta & Peripatetica. illa est: Relata dicuntur : quæcunque hoc ipsum quod sunt, aliorum esse dicuntur:hæc: Relata sunt: quorum esse aliud nihil est: quàm ad aliquid se quodam modo habere.

Prior definitio Platoni à quibusdam impingitur. sed siue Platonis sit:siue aliorum : Aristotelis non est. Sensus illius est : Relata vocari solent: quæ quicquid sunt, id aliorum esse dicũtur:à quo pendent: & quod respiciunt:siue vt partes totum :siue vt mensuratum mensuram : siue alio quouis modo. Hanc definitionem nimis latam, ideoq́ imperfectam esse, ex eo liquet:quòd nõ tantùm vera relata, id quòd sunt, aliorum esse dicuntur : sed multa etiam absoluta : puta substantiæ, qualitates & similia. Pater quicquid est, alterius esse dicitur, filij scilicet . pater enim est & dici-

dicitur filij pater. sic dominus serui dominus &c. caput est capitati caput: scientia est scibilis scientia: positio est positi positio. Coactus igitur est Aristoteles omnium rerum diligentissimus scrutator, perfectam inuenire definitionem: quæ omnibus & solis veris relatis conueniret: quæ posterior illa est, & secundo loco posita. sensus illius est: Relata sunt: quorum esse est referri ad aliud: seu quorum esse & essentia tota consistit in respectu: vtque aliquid sint: necesse est, vt ad aliquid referantur: quippe quæ aliquid sunt: quatenus ad aliud referuntur. v.g. pater non tantùm id quod est, alterius esse dicitur: sed ad filium etiam ita refertur: vt totũ esse ipsius sit referri: patrisq́ue esse, aliud nihil sit: quàm ad filium referri. Non igitur pater primò aliquid absolutum est: quod esse quoddam proprium habeat absque respectu: sicut scientia: sed quicquid est pater, primò, secundò, & tertiò, hoc totum in relatione consistit: adeo vt nisi ad filium pater referatur, nihil sit. sic de filio, domino, seruo, præceptore, discipulo, calefaciente, calefacto &c. sentiendum est. Quod in definitione dicitur πῶς, quodam modo, sic accipiendum est: relatum referri ad aliud, πῶς hoc est, tanquam ad terminum, non tanquam ad subiectum. Pro maiori intelligentia vnum & alterum præterea exemplũ proferemus. Limes siue limitans & limitatus, relata sunt: limitatio relatio. vt limes limes sit, id totum à limitatio habet. limitem enim vel limitantem esse,

aliud nihil est : quàm ad limitatum quodam modo, hoc est, tanquam ad terminum referri : vt totum esse limitis consistat in respectu. Baptizans & baptizatus, siue quod eòdem redit, mergens & mersus, relata, sunt, baptismus seu baptizatio siue mersio relationes: baptizantemq́ue esse aliud nihil est, quàm baptizatione illa ad baptizatum referri. Ita significans significatum, signum seu signans & signatum, sacramentum siue sacramentans & sacramentatum (sic enim loqui nobis in Logicis cum Aristotele fas sit) relata sunt : Significatio, signatio, sacramentatio, quæ nihil aliud est quàm signatio, sicut Sacramentum hac significatione acceptum, aliud nil est, quàm signum, relationes. Sicut igitur totum esse signi à signato pendet : ita totum esse Sacramenti à Sacramentato: Sacramentumq́ue esse, aliud nihil est, quàm ad Sacramentatum referri.

Vt hoc solide explicetur : liceat nobis paululum extra Lyceum egredi. Sacramentum olim iuramentum fuit militare: sic dictum: quòd sacris quibusdam & externis ritibus confirmaretur. Sic enim milites olim suis sese imperatoribus obstringebant. Translatum inde videtur (nisi fortè quis malit Latinam vocem ex Græca μυστήριον deducere) ad Baptismum & Cœnam Domini: in quibus sacro iuramento, externis ritibus accedentibus, ad perpetuam militiam nos Duci nostro, Domino Iesu consecramus : quo sensu crebrius à Tertulliano vox Sacramẽti vsurpatur.

Cōt.Prax. de coron. ad Martyr

In

In hac significatione acceptum nomen Sacramenti, relatio propriè est: seu ordo ille, inter duos iurantes, Deum & hominem: complectens ex natura relationis, vtrumque relatum, totumq; ritum. quo iurantes illi iurant: & iuramentum confirmant. Hinc factum est: vt quidam non malè, etsi non Logicè, dicant: Sacramentum aliquãdo pro tota actione vsurpari. Obtinuit deinde vsus: vt ex Patrum scriptis, inprimis Augustini, liquet: vt sacra illa & sub sensum cadentia rerum significatarum & intelligibilium in mysterijs symbòla, hoc est, elementa: postquam ad ea accessit verbum, Sacramenta, id est signa & sigilla dicerentur. Denique quia inter relatum & correlatum vnio est: factum est. vt Sacramentum, duabus siue rebus, siue partibus, constare, re terrena & cælesti, signo & signato, Sacramento & re Sacramenti (idem enim ista omnia valent) diceretur. Cùm igitur panis Eucharisticus Sacramentum corporis nuncupatur: Sacramentum in prima illa significatione accipi nõ potest. g. vel in secunda: vel in tertia; vel in vtraq; accipitur. Sed quocunque modo accipiatur: ruit μετουσία cum συνουσία Relata enim sunt; quorum esse est referri. sicut igitur pater non idcirco pater est: quia in filium vel conuertitur: vel filium in se ἐνσιωδῶς continet: sed quia ad filium refertur: ita signum vel Sacramentum est, non quòd in signatum vel sacramentatum ἐνσιωδῶς cõuertatur: aut signatum, sicut saccus auenam, contineat: sed cuius esse ni-

hil aliud est, quàm ad signatum & sacramentatum referri: ita vt sacramentum non sit sacramentum: nisi ad sacramentatum referatur. Sacramentatum autem sicut & signatum aliud nihil est: quàm res sacramenti: seu intelligibile illud donum: quod per sensibile significatur. Sicut igitur inter patrem & filium, & quoduis relatum & correlatum, vnio non physica & substãtialis est: sed relationis: quæ in mutuo respectu & σχέσει, non conuersione, aut inclusione consistit: ita cùm signum & signatum, sacramentum & sacramentatum relata sint: vt luce meridiana clarius est: consequitur irrefragabiliter: ea non physica, sed relationis vnione vniri: sacramentatumq́ue siue rem sacramenti cum sacramento coniunctam esse: nõ vt auena cum sacco, vinum cum poculo, sed vt filius cum patre, seruus cum domino coniungitur. Si quis ista ex Theologia explodere volet: is sciat: se id non effecturum: nisi Deum simul etiam mendacij arguat: id quod iuuante Deo, suo loco perspicuè demonstrabimus. Hæc quodã modo extra propositum: non tamen extra & præter rem.

Ex duplici definitione duplicia relata exstiterunt: secundum dici, vt scholę loquuntur: & secũdum esse. Relata secundũ dici sunt: quæ primò in absoluto, aut alio aliquo prædicamento continentur: secundariò verò referũtur: secũdum ęsse verò: quæ

quæ tota ſua eſſentia referũtur: & ad hoc ſolum pertinent prædicamentum.

Relata ſecundũ dici vocantur: quæ quo ad id quod ſunt, primò, hoc eſt, quod ad naturam & eſſentiam ipſorum attinet, in abſoluto prædicamento ſunt: vt ſcientia, fides, habitus: quæ in qualitate ſunt: ſecundariò autem & ex conſequenti, ordinem ad aliud, tanquam ad terminum, ſecum afferunt: vel quæ non quidem in abſoluto prædicamẽto ſunt (ſex enim poſtrema prædicamẽta verè abſoluta non ſunt) ſed tamen quo ad id quod ſunt, in proprio prædicamento collocantur: ſecundariò autem ſi vim & ſignificationem vocis conſideres, referuntur: vt poſitio. Poſitio enim proprium prædicamentum, ſitus ſcilicet, conſtituit: ſecundariò tamen ordinem ſecum adfert & reſpectum: quæ cauſa eſt: cur cum habitu, diſpoſitione, ſcientia, quæ relata ſunt ſecundum dici, poſitio ab Ariſtot. coniungatur. Relata ſecundum eſſe, vocantur vera & mera relata: quæ quò ad id quod primò ſunt, ad aliud tanquam ad terminum referuntur: & quorum eſſe eſt referri: vt pater, filius, dominus, ſeruus.

Vtraque relata, & ſecundum dici & ſecundum eſſe duplicia ſunt: alia realia: alia rationis. Realia ſunt, quorum extrema realiter exiſtunt: ſeu quæ reſpectum & ordi-

nem inter ſe habent:ſemota etiam omni mentis noſtræ cogitatione: rationis verò: quæ reuera in ſe & extra animam nullum inter ſe talem reſpectum habent: ſed quorum relatio & reſpectus totus pēdet à mente noſtra, illa ſic comparante.

Pater & filius, dominus & ſeruus, relata ſunt realia. Pater enim filius, dominus, ſeruus, res ſunt extra animum: quia pater ad filium ſua naturâ refertur: licet nullius cogitatio accedat. Non ſic res habet in relatis rationis. Hæc enim ſua naturâ ad ſe inuicem non referuntur: & quòd vnum ad alterum refertur: hoc fit: quia mens noſtra illa inter ſe confert. ſic dextrum & ſiniſtrũ relata ſunt realia. dextrum enim eſt ſiniſtri dextrum. Dextrum verò & ſiniſtrum in columna, in domo, relata ſunt rationis. In columna enim vel domo per ſe nihil dextrum & ſiniſtrum eſt: quòd verò dextrum & ſiniſtrum ibi ſtatuitur: id fit: quia mihi alia pars ad dextram: alia ad ſiniſtram eſt. Tota igitur iſta relatio à mẽte mea pendet: quæ partes illas columnæ, vt dextrũ & ſiniſtrum inter ſe confert. Non igitur limes, & quæ conſilio hominum inſtituta & ordinata ſunt, rationis relata ſunt: alioquin etiam dominus & ſeruus: magiſtratus & ſubditus: præceptor & diſcipulus: imò pater & filius rationis relata eſſent: ſed illa: quæ extr-

tra animum nihil ſunt:& quorũ relatio tota à mente comparante pendet.

Rurſum relata vel mutua ſunt: vel non mutua. Mutua dicuntur: quando duorum relatorum vnum æquè atq; alterum realem reſpectum & ordinem ad alterum habet: non mutua: quãdo vnum tantùm realem ad alterum reſpectum habet.

Mutua relatio eorum eſt relatorum: quorum vtrunq; ſua naturâ ad alterum refertur: licèt nullius cogitatio accedat: quod ſit: cùm vtrunq; relatorum eiuſdem eſt cõditionis: ſeu cùm vnum æquè atq; alterum ab altero pendet, & ab eo eſſe ſuum habet. Sic pater & filius: dominus ſeruus: præceptor diſcipulus: & ſimilia, relata mutua ſunt. Sicut enim pater à filio: ſic filius à patre pendet. Non mutua ſunt: cùm vnum tantùm ad alterum realiter refertur: alterius autem relatio tota à mente comparante pendet. ſic ſcientia & ſcibile relata ſunt non mutua: ſcientia ad ſcibile refertur licèt nullius cogitatio accedat: ſcibile verò ad ſcientiam nõ refertur: & quòd refertur: id à mente comparante habet. Stat igitur in iſtis relatio ex vna tantùm parte: ex altera verò relatio tantùm eſt rationis: quod ſit: quando non vtrunq; eiuſdem eſt conditionis. ſic ſenſus & ſenſile: habitus & habitum, ſiue id cuius eſt habitus: fides

siue πίςις κὶ τὸ πιςὸν, relata sunt non mutua. Huc referunt Deum & creaturam. sed nondum videre possum: cur creans & creatus, siue Creator & creatura relata mutua dici non poßint. aliud enim longè est: Deum & creaturam: aliud Creatorē & creaturam comparare.

Denique & mutua & non mutua relata duplicia sunt. Quædam enim relata æquiperantiæ: quædam disquiperātiæ à Sholasticis nuncupantur. Illa sunt: quorum neutrum altero superius aut dignius est; sed inter quæ summa est æqualitas: hæc vbi alterum alterum superat, eóque dignius est.

Aequiperantiæ relata Scholastici vocant: cùm neutrum altero superius vel inferius, dignius vel indignius est: sed quæ ex omni parte æqualia sunt: vnde etiam vnum & idem nomen obtinent. v. g. duo amici: duo similes: duo æquales &c. disquiperantiæ: quæ etiam relata superpositionis, vel suppositionis nuncupant: quorum alterum altero superius & dignius est: vnde fit: vt etiam non eodem nomine nominentur: vt pater, filius: dominus, seruus: præceptor, discipulus. Dominus enim seruo superior est: & aliud est nomen Domini: aliud serui. Atq; hinc est: quod Auerroes notauit. relatorum nomina non omnia eiusdem

esse

esse generis: quædam enim differentia & distincta esse: sicut pater & filius: quædam denominata ab aliqua re: vt emtor & emtum: quæ ab emtione denominantur: quædam deriuata: vt scitum & scientia: quædam idem & commune nomen habere: velut socius & riualis. In Epit. in categ. c.5. & in prædicam. relat.

Supremum igitur huius prædicamenti genus relatio est, hoc est, simplex illa, & omnibus realibus relationibus communis natura: complectēs sub se relationes secundum dici & secundum esse: sub quibus mutua: æquiperātiæ & disquiperantiæ relatio: ac denique species specialissimæ continentur: complexu suo tantùm indiuidua comprehendentes.

In omni prædicamento summum est & infimum. supremum huius prædicamenti, sed secundum prius & posterius genus, relatio est, siue duo relata (Relatio enim omnis inter duo relata versatur) sed relatio, siue relata realia. Rationis enim relata, cùm entia realia non sint, à relationis categoria explodun-tur. Quid autem simplex & communis natura sit: id partim ex superioribus intelligitur: partim infrà explicabitur. Species & genera subalterna sunt, relatio secundū dici & esse: mutua æquiperantiæ & disquiperantiæ: species specialissimæ, duo amici, seu ami-

citia: duo similes, seu similitudo : pater & filius, siue paternitas: dominus seruus, seu dominatus : Indiuidua, hi duo amici, siue hæc amicitia : hi duo similes, siue hæc similitudo : hic pater & filius, seu hæc paternitas &c.

Porrò etsi relatio res est extra animum : ita tamen debilis & infirma res est : vt nisi alio firmiore fulciatur, subiecto siue substantiæ inhærere non posit. Quocirca non solùm subiecto, quâ accidens : sed etiam, quia debile accidens, loco fundamenti alio accidente indiget : cuius adminiculo substantiæ insit.

1. post. cō. 32. & Metaph. 12 cōt. 19. de simplicit. diuin. ess. a. 9. resp. ad 1.

Relationem rem extra animum, siue ens, vt loquuntur, reale, sed debile esse, Auerroes & Thomas docent: & manifesta res est. Paternitas enim seu patrem esse, non tantùm in cogitatione consistit : sed reale quippiam est: ita tamen reale: vt longè debilius quippiam sit: quàm corpus, eruditio, iustitia : quæ relationis debilitas fecit : vt quidam eam, vt ibidem Auerroes & Thomas referunt, ex numero entium realium exploserint: rationisq; duntaxat entibus annumerarint: hoc est, nō pro re, sed notione solùm habuerint. Ob hanc igitur debilitatem fundamento relatio indiget : cuius adminiculo substautiæ siue subiecto inhæreat.

Dili-

Diligenter igitur discernendum est, inter subiectum & fundamentum. Subiectum relationis & cuiusuis accidentis substantia est: fundamentum verò si Peripateticè loquamur, non substantia ipsa: sed absolutum quoddam accidens in illa substantia: quo intercedente, relatio quoque substantiæ, vt subiecto, inest. e.c. duplum & dimidium relata sunt. inest hæc relatio substantiæ propter numerum. Sic decē boues pares sunt respectu quinq;. Relatio ista bobus seu substantiæ inest, intercedente numero. Pares enim & impares dicuntur boues propter numerum. sic pater & filius relata sunt: paternitas relatio. inest paternitas non proximè ipsi substantiæ seu personæ patris: sed interueniente alio accidente: quod est qualitas. Paternitas enim substātiæ, tanquam subiecto, inest: ob vim & ἐνέργειαν generandi: quarum illa qualitas est secundæ speciei: hæc tertiæ. Liquet igitur: fundamentū relationis non substantiā sed accidens esse.

Liquet etiam: cur accidens istud fundamentum dicatur: ideo scilicet: quòd in eo fundetur, hoc est, & incipiat, & illi tanquā fundamēto innitatur, quippe cuius adminiculo subiecto siue substantiæ inest, relatio: quem ad modum etiam terminus illud & idcirco dicitur: in quo relatio terminatur & desinit: quod nequaquam absolutum quippiam est (absolutum enim quâ absolutum est, nullam relationē terminat: quod ex eo liquet: quòd relatio ordo est vnius scilicet relati ad alterum) sed relatum.

Si quis excipiat: Deo tamen relationes inesse: in quo nullum sic accidens: ideoq; etiam substantiam relationum fundamentum esse posse: breuis responsio est: imperscrutabile illud adorandæ Trinitatis mysterium, quod omnia prædicamenta transcendit, intempestiuè huc non esse trahendum.

Pro huius igitur fundamenti ratione, quo relatio indiget, triplex relatorum genus à Philosopho est constitutum: quorum vnum quantitatem: alterum qualitatem: tertium mensuram pro fundamento habet.

Metaph. 5. cont. 20. *Quicquid ad aliud tanquam ad terminum refertur: id aut ob quantitatem: aut ob qualitatem: aut ob mensuram refertur: vt docet Aristoteles. Ceterum non omnis, sed discreta tantùm quantitas siue numerus, huic officio aptus est, vt relationum fiat fundamentum, continua enim nullius relationis fundamentum fit: nisi quatenus naturam vnitatis & numeri induit. Propterea Aristoteles dixit, æqualia sunt, quorum quantitas vna est. Sic duplum & dimidium ad se inuicem referuntur, ob quantitatem discretam siue numerum: Pater & filius, dominus & seruus, præceptor discipulus, limitans limitatum, signum signatum, seu sacramentum sacramentatum, calefaciens & calefactum & similia, ob qualitatem:*

tatem: ob vim & ἐνέργειαν generandi, dominandi, præcipiendi, limitandi, signandi, sacramentandi, calefaciendi. ἐνέργεια enim, vt ex sequentibus planum fiet, non ad actionis, sed qualitatis prædicamentum est referenda. Mensura verò hîc illud dicitur: à quo aliquid pendet: & à quo suum esse habet: ita vt quicquid sit, id ab illo habeat: qualia in primis obiecta sensus sunt: siue exterioris, siue interioris. Sic mensura sensile dicitur: sensus mensuratum: quia quantus, quantus sensus est, quod ad actum: id à sensili habet. Veritas enim eius à sensili pendet. Sic scibile, habitum, τὸ πιςὸν, mensuræ sunt: scientia, habitus, πίςις mensurata. hoc modo relata secundum dici referuntur: & omnia relata non mutua sunt. Hinc liquet: quo pacto mensura tertium & proprium relatorum genus constituat: cùm tamen obiecta sensuum in tertia qualitatis specie collocentur: ideoq; ad secundum relatorum genus pertinere videantur. Dupliciter enim ista sensus obiecta considerari: ideoq; ad vtrunque & secundum & tertium relatorum genus referri possunt. Aspectabile, sensile, scibile, considerantur, vno modo, vt sunt ποιητικὰ & ἐνεργετικὰ, seu causa causati in sensu: & sic ad secundum relatorum genus pertinent: alio modo: vt sunt obiecta & mensura sensus: & sic tertium relatorum genus constituunt. Sic magnus quidam Peripateticus scripsit: Nam scientia, inquit, potest Paul. Son. in 5. Met.

habere duas rationes ad ſcibile: quarum prima eſt relatio effectus ad cauſam: quod accidit, quando ab obiecto cauſatur ſpecies in intellectu: alia eſt ratio vt menſurati ad menſuram.

Ex quibus liquet: duo ſolùm prædicamenta, quantitatem ſcilicet & qualitatem, huic officio apta eſſe: vt relationum fiant fundamenta.

Sicut triplex tantùm relatorum genus eſt: ita triplex tantùm relationis fundamentum eſt. Menſura verò relatum reale non eſt: ſed rationis duntaxat. Ex categorijs igitur, quâ talis eſt, exploditur. Relinquitur g. ſolum numerum, qui ſpecies eſt disiunctæ quantitatis, & qualitatem relationum fundamenta eſſe. Hoc expreſſè docuit Ariſtoteles: cùm in Metaphyſicis τὸ ποιητικὸν καὶ παθητικὸν *interpretatur* δύναμιν ποιητικὴν καὶ παθητικήν, καὶ τὰς ἐνεργείας τῶν δυνάμεων.

Liquet denique: relationem & fundamentum reipſa non differre: licèt ratione differant.

Reipſa differunt: quæ ſubiecto & numero differunt: veluti homo & aſinus. dulcedo & color: ratione: quæ diuerſas habent definitiones. Sic paterni-

tas reipsa à vi & energia illa generandi non differt: differt tamen definitione. Sic limitatio non differt à vi & energia limitandi: differt tamen τῷ λόγῳ. & sic de ceteris. Hinc factum est: vt quidam fundamentum materiale vocarint: quia instar materiæ & potentiæ est ad relationem: relationem autem formale: quia se instar formæ ad fundamentum habet: & quasi fundamentum in actu est. Si quis obijciat: cùm fundamentum relationis in alio & diuerso prædicamento sit: prædicamenta autem realiter differant: neque fundamentum & relationem realiter idem esse posse: is sciat: non omnia prædicamēta realiter discriminari: id quod de actione & paßione expreße Philosophus docet: cùm ait: ea non aliter differre: quàm via quæ Athenis Thebas ducit, differat ab ea: quæ Thebis Athenas. Phys. 3. cont. 18. & 21.

Relatis inest contrarietas.

Quid contrarietas sit, dictum est. Quòd relatis insit, patet: quia scientiæ ignorantia contraria est. Sed negat Aristoteles in categoria quantitatis, vbi de magno & paruo differit, relatis inesse contrarietatem: intellige, relatis veris & secundum esse: illis verò quæ secundum dici vocantur, inesse nihil vetat: cùm non tota essentia ipsorum sit referri.

Recipiunt magis & minus.

Similis alius alij magis, quàm alius est: sic alius magis æqualis: alius magis amicus. Hoc, vti primum, neq; solis, neq; omnibus relatis competit.

Omnia verò relata πρὸς ἀντιστρέφοντα, dicuntur.

Sensus est: Omnia relata inter se mutuò conuertuntur. Est autem conuerti hîc, non: si quis dicat: pater est filij pater: filius est patris filius (sic enim ista quoq; cõuertuntur, ala est auis ala: auis est alæ auis) sed quando duo inter se reciprocè conuertuntur: vt neutrum altero vel latius sit: vel angustius: hoc est, vt vnicuiq; relato tale correlatũ aßignetur: quod nullam aliam rem respiciat: sed cum suo correlato reciprocetur. Sic pater tantùm est filij pater: filius tantùm patris filius: dominus serui dominus: seruus domini seruus. nihil istorum aliud, quàm suum correlatum respicit.

Quocirca ne in aßignando correlato peccetur: præcipit præceptor: vt noua vocabula fingantur. Si quis dicat: ala est auis ala, & auis est alæ auis: non reciproca dicit. Ala enim latiùs patet: cùm multa alia sint, præter aues: quæ alas habent. dicendũ igitur est: ala est alati ala: & alatum est alæ alatum. hæc reciproca sunt, ἀντιστρέφοντα. Eandẽ ob causam damnatio siue æterna pœna non est correlatum peccati. Præterquam enim quòd nõ omne peccatum æter-

na morte punitur: peccatum etiam non propriè ad pœnam, sed primò ad legem: cuius transgreßio est, refertur. Vt igitur locus inter relata peccato sit: relatis secundum dici annumerandum est: vt referatur, sicut ipsa quoque actio refertur. Peccatum enim actuale aliud nihil est, quàm actio ἄνομος, & à lege declinans. sicut igitur positio positi positio est: actio acti siue patientis actio: sic peccatum, hoc est actio ἄνομος peccatati, hoc est, peccato violati peccatum est. Si enim licuit dicere: caput est capitati caput: dicere etiam licet: peccatum est peccatati peccatum. Originale verò peccatum ad qualitatẽ pertinet. Ad reciproca igitur relata omnia dicuntur: quando non quæuis: sed talia correlata aßignantur: à quibus esse suum habent: quod certè peccatum non à pœna, sed à Lege habet. Lex tamen rursum multo minus peccati correlatum esse potest quàm animal capitis aut auis alæ. Est enim Lex & potest esse: licet non violetur. Refertur igitur peccatatum, hoc est, Lex, quâ peccato violata est, ad peccatũ: sicut scibile ad scientiam: & omnino mensura ad mensuratum: relatione scilicet duntaxat rationis.

Videntur autem relata simul esse naturâ.

Naturâ simul sunt, quorum vno posito, alterum ponitur: & vno destructo, alterum quoq; destruitur. Cùm verò vno posito vel destructo, alterum nõ poni-

tur vel destruitur, simul naturá esse non dicuntur. Consequitur hæc proprietas ex tertia: ideoq́ue sicut illa omnibus relatis & secundum esse & secundum dici competit: ita & hæc. Quæ enim eo, quo diximus, modo, conuertuntur; ea procul dubio simul sunt naturâ.

In cat. rel. *Sed obstant illa Aristotelis verba:* Non autem, inquit, in omnibus relatis verum videtur, quòd simul sint naturâ. *Et ratio perspicua videtur: scibile enim prius est scientia: sensile sensu. Potest aliquid & sensile esse, & scibile: licèt neque sentiatur, neque sciatur. v.g. quadratura circuli hactenus quæsita est: nec dum tamen inuenta. Si hoc reuera scibile est: vt quidam etiamnum asserere audent: apparet liquido; scibile prius esse scientia: quia illius scientiam nemo adhuc est assecutus. Præterea destructo aut sublato sensili & scibili, tollitur quoque sensus & scientia illius: (quod enim non est, id sciri non potest:) sed non contrà sublato sensu aut scientia, sensile & scibile tollitur. Mortuus est Aristoteles, & simul cum eo exstincta, quæ in ipso erat, scientia rerum philosophicarum: sed non propterea destructæ & exstinctæ sunt ipsæ res scibiles. Non videntur igitur ista simul esse naturâ. Ad vtrunque respondet Auerroës: & quidem ex vnanimi omnium Peripateticorum consensu: ad autoritatem: Aristotelem hîc loqui secundum locum famosum, hoc est, non ex sua sententia, sed secundum receptam opinionem: eumq́ue*

Com. in prædic. rel.

quæ-

quæstionem istam hîc tātùm mouisse, non decidisse: quòd ad Logicum non pertineat: ad rationem: simul ista esse naturâ: si vel vtrumque in actu: vel vtrunq; in potentia accipiatur. Neque pugnat hæc sententia cum illis Philosophi verbis: quæ de actu & potentia: sensu & sensili alibi scripta reliquit: vt cuiuis verba illa diligenter intuenti patebit. Vide tamen Institutionem. 2. de anim. cont. 141.

DE PRAEDICAMENTO Qualitatis.

Qualitas est, secundum quam quales aliqui dicuntur.

Qualitatem sex reliquis categorijs iure præponi vel ex eo liquet: quòd inter prædicamenta accidentium omnium latißimum & amplißimum est. Est autem qualitas illud substantiæ accidens: ob quod qualis, hoc est, talis vel talis esse dicitur. Sic cùm de aliquo rogamus, Qualis est homo: respondere solemus, est talis: est bonus: est fidelis: est longæ staturæ: est albus: est gibbosus: est claudus: est bonus musicus &c. hæc autem omnia qualitates sunt: quia qualis substantia sit, declarant.

Diuiditur in quatuor species primarias: in habitum & dispositionem: in vim & imbecil-

becillitatem naturalem: in pasśionem & patibilem qualitatem: in figuram & formam.

Quatuor hæc genera primaria sunt, alioquin fortaßis etiam alius, vt autor est Aristoteles, videri posſit qualitatis eſſe modus.

Eſt autem habitus, qualitas ex crebris actionibus comparata: diſpoſitio verò qualitas eſt, ex aliquibus tantùm & paucis actionibus acquiſita.

Diſcrimen habitus & diſpoſitionis in duobus potißimùm conſiſtit. Ad habitum comparandum opus longa & diuturna aſſuefactione eſt: vt ſi quis ſæpe multumq́ue bene egerit: vt iam ad bene agendum pronus & procliuis ſit: is habitum bene agendi contraxiſſe dicitur. procliuitas iſta ad benè agendum habitus eſt. Ita ſi quis crebrius vino obruatur: atque ita obruatur: vt non poßit non vino obrui: is habitum contraxit. Procliuitas enim iſta ad ebrietatem, habitus eſt. Ita ſi quis ſe multum & aßiduè exerceat, pingendo, ſcribendo: ſæpeq́ue & multum pingat, ſcribat: is habitum contrahet pingendi, ſcribendi: vt deinde & libenter, & feliciter pingat.

Ad diſpoſitionem verò acquirendam, non requiritur tam longa aſſueſactio: ſed ſufficit qualiſcunque exercitatio: vt ſi quis ſemel atque iterum bene agere cœperit: ſed nondum tamen in bene agendo confirmatus

matus sit: vt facilè redire ad contrarium possit: is dispositione præditus esse dicitur: quia quodam modo tantùm dispositus est ad habitum: nondum verò habitum consecutus. Est igitur dispositio via quædam ad habitum: & quasi inchoatus habitus. Omnẽ enim habitum dispositio præcedit: sed non omnem dispositionem habitus consequitur.

Alterum discrimen in eo consistit. sicut dispositio facilè & citò acquiritur: habitus verò tardè non nisi diuturna assuefactione comparatur: ita dispositio citò, habitus verò vel nunquã, vel tardè deperit. Hinc morbos & febres hecticas Medici appellare solent.

Hic tria obiter notanda sunt. I. habitus tria præstat: 1 facit nos promtos & procliues ad id, cuius habitum contraximus. 2 efficit, vt feliciter id cuius habitũ acquisiuimus, exsequamur & præstemus. 3 facit nos ineptos & ἀπαθεῖς ad contrarium. II. Sicut habitus crebris actionibus comparatur: ita quoq; & fouetur atq; augetur actionibus: et intermissis actionibus amittitur. III. Habitus duplicis generis sunt: alij à Deo infusi: alij non infusi: illi, ex quorum numero fides est, actionibus non comparantur: hi verò exercitatione nostra acquiruntur. Sed de infusis non præcipit Aristoteles.

Diuiditur habitus, in habitum animi & corporis: habitus animi in habitum intellectus & voluntatis.

Habitus intellectus notitiæ & scientiæ sunt: voluntatis, virtutes & vitia: corporis autem sanitas morbus &c.

Alterum qualitatis genus vis & imbecillitas naturalis est. Est autem vis naturalis, habilitas illa non exercitatione acquisita: sed nobiscum nata, nobisq; natura insita: qua idonei sumus ad actiones quasdam præstandas. Imbecillitas verò est: qua naturâ inepti sumus ad quasdam actiones.

Naturalis vis est: quòd aliqui naturâ apti sunt ad studia, ad poësin, ad Musicam, ad saltandum, equitandum &c. in quibusdam verò contra naturalis quædam ad hæc ἀδυναμία est: vt ea addiscere nunquam poßint. Confert igitur vis naturalis ad hæc duo: ad actiones quasdam præstandas, ad canendum, saltandum: & ad habitum ex illis multis actionibus comparandum. Sic naturalis vis in oculis est ad videndum: in auribus ad audiendum: in ventriculo ad concoquendum. Contrà sunt, qui naturâ malè vident, malè concoquunt. In ijs igitur naturalis quædam imbecillitas est ad videndum. Ponuntur in hac secunda qualitatis specie omnes inclinationes, habilitates habilitatumq; priuationes naturales: quibus vnaquæq; res apta vel inepta est ad agendum. Huc pertinet etiam peccatum illud, quod

quod prauam concupiſcentiam Theologi vocant: qua procliues ad malum naturâ ſumus: & inepti ad bonum.

Tertium qualitatis genus, patibiles qualitates ſunt & paſsiones. patibiles qualitates ſunt: quæ partim paſsionis circa ſenſus ſunt effectrices: partim, quæ à paſsione oriuntur. Paſsiones autem ſunt ſubitæ & repentinæ, tum animi, tum corporis, perturbationes, ſiue immutationes.

Παθητικαὶ ποιότητες, *quod patibiles qualitates vertimus, dicuntur: nō quòd ſubiecta, quibus inſunt, ab illis patiantur: ſed quòd paßionis circa ſenſus ſint effectrices: & quòd quædā illarum à paßione oriantur. Per patibiles etiam qualitates hîc non intelligenda eſt potētia illarum: quòd paßionem circa ſenſus efficere poßint: (ſic enim cum ſecunda ſpecie concurrerent) ſed* ἐνέργεια: *idquod vocabulum in* ικὸς *declarat: & Ariſtoteles explicat: cùm* παθητικὴν ποιότητα *idem eſſe docet atq;* πάθους ποιητικὴν. *ſic mel ſua dulcedine paßionē in ſenſu efficit: quia ſenſum afficit. ſenſus enim dum ſentit, pati dicitur. ſic ignis ſuo calore paßionem in ſenſu efficit: ſic aloes ſua amaritudine. dulcedo igitur mellis, calor ignis, amaritudo aloes, patibilis qualitas dicitur: ob* ἐνέργειαν *illam: qua paßionē in ſenſu efficit. Colores verò, qualitates patibiles dicuntur: eò quòd à paßione oriun-*

tur: vt albor, nigror, rubor, pallor &c. Niger enim aliquis fieri potest ab adustione Solis: pallidus ex longo & diuturno morbo. nigror igitur & pallor iste patibiles qualitates vocantur: quia à paßione profecti sunt. Acquiruntur istæ qualitates, vel in ipsa natiuitate (sic homines quidam naturâ fusci, corui nigri, cycni albi sunt) vel ex diuturnis morbis: vt pallor: vel alias ob causas: vt nigror ob adustionem Solis.

Paßio quoque non vno & eodem semper modo accipitur. Aliquando enim pro ea paßione vsurpatur: quæ ex aduerso actioni respondet: & prædicamentũ peculiare constituit: aliquando verò, vt hîc, pro qualitate sub sensum cadente: quæ prioris paßionis effectus est: hoc est: pro subita aliquatã animi, quàm corporis perturbatione siue immutatione: quæ sensu percipi potest: v.g. si quis pudore correptus, erubescat: si offensus irascatur. rubor sicut & ira ista, paßio est: quæ à paßione excitata est: & sensu percipitur. paßio igitur, vt apparet, duo habet. 1 citò oritur. 2 citò deperit. rubor enim ex verecundia ortus, sicut repentè existit: ita citò euanescit. Differt à patibili qualitate ferè sicut dispositio ab habitu. patibilis enim qualitas neque citò oritur: neque citò euanescit: sed vel nunquam: vel ægrè & tardè deponitur: vt manifestum est in pallore: qui ex diuturno morbo contractus est.

Vtræque & paſsiones & patibiles qualitates in animo & corpore locum habent.

Alia patibilis qualitas animi eſt: alia corporis: animi, vt iracundia, miſericordia, & affectus ceteri: corporis erubeſcere, pallere &c. Inter affectus verò idem diſcrimen obſeruandum eſt: quod ſuprà inter qualitates & paſsiones corporis notandum eſſe diximus: vt ſcilicet affectus illi pro patibilibus qualitatibus habeantur, qui diuturni ſunt: vt naturalis iracundia: quæ vel nunquam: vel non planè hîc exuitur: qui verò citò depereunt, vt ſi quis commotus iraſcatur, quam tamen iram mox deponat, pro paſsionibus. Pertinent huc omnia obiecta ſenſuum & affectus animi.

Quartum genus qualitatis, figura ſcilicet, & quę circa quanq; rem cõſiſtit forma, externa cuiuſque rei ſpecies eſt: ob quam res illa qualis eſſe dicitur.

Forma duplex eſt: ſubſtantialis ſiue interna: & exterior ſiue accidentaria. illa pars eſſentiæ eſt: vt anima in animali: ideoq; huc non pertinet: hæc in exteriori ſuperficie cõſiſtit: quod Ariſtoteles illis verbis ſignificauit, & quæ circa quanq; rem cõſiſtit: nihilq; aliud eſt: quàm ſpecies illa: qua vnaquæq; res ab altera differt, & talis eſſe dicitur. Sic cùm quæritur,

tur, qualis est domus: responderi solet: est quadrata, triangularis, pulcra, deformis, picta, nigra, alba. Sic dicere solemus: hoc album est: hoc nigrum est: hic longus: hic breuis: hic claudus est. omnia ista externam formam declarant.

Sed differunt figura & forma. Figura enim propriè de rebus mathematicis & inanimis dicitur: forma autem de animatis: quæ ipsa quoq; figura est: sed magis elaborata. Sic triangulum, quadratum, circulus, siue potius vt sic loquar, trianguleitas, quadranguleitas, circuleitas (spatium enim istarum figurarum, vt suprà me dixisse memini, in quantitate est) figura est. equus autem, homo, bos, diuersas formas habent: & homo ab homine differt, externa ista forma. Pertinent igitur ad hanc postremam qualitatis speciem omnes figuræ mathematicæ: omnes externæ rerum formæ: & idcirco omnes res artificiosæ: cùm ars rebus aliud nihil conferat, quàm figuram & formam: ἡ γὰρ τέχνη, *inquit Pachymerius,* ὀυσίαν ὀυκ ἀπεργάζεται. *Pertinent denique huc rectum, curuum: & si quæ alia his similia sunt: quæ perfectæ quidem figuræ non sunt: ad figuras tamen quam proximè accedunt.*

Vltimum huius prædicamenti genus qualitas est, siue simplex illa omnibus qualitatibus communis natura: complectens sub se quatuor illas celebres & modo enume-

numeratas ſpecies, habitum &c. quæ rurſum in ſuas ſpecies diuiduntur: donec ad indiuidua, quæ infimum in his categorijs locum obtinent, deueniatur.

Habitus, potentia, patibilis qualitas &c. genera ſunt & ſpecies ſubalternæ: ſpecies reſpectu ſummi generis: genera reſpectu inferiorum. ſic ſpecies habitus habitus corporis, & habitus animi ſunt: habitus animi rurſum ſuas ſpecies habet, habitum ſcilicet intellectus & voluntatis: ſub habitu intellectus comprehenduntur, ars, ſcientia: ſub habitu voluntatis, virtus, vitium: quæ ſpecies infimæ ſunt: quia ſub ſe tantùm indiuidua, hanc ſcientiam, hanc artem, hoc vitium, complectuntur. Et ſic de reliquis ſpeciebus ſiue generibus, qualitatis.

Qualitati ineſt contrarietas.

hoc eſt, Qualitates ſibi inuicem contrariæ dicuntur. Subſtantia ſubſtantiæ contraria non eſt: nec quantitati quantitas: qualitas verò qualitati contraria inuenitur. iuſtitia enim iniuſtitiæ: fortitudini timiditas: nigrori albor contrarius eſt: & ſicut albor nigrori: ita quoq; albus nigro: iuſtus iniuſto contrarius eſt. in abſtracto igitur & in cõcreto hæc proprietas locum habet: ſed non omnibus qualitatibus conuenit. de figuris enim quæ ad quartam qualitatis ſpe-

tis speciem pertinent, vera non est: & colores medij sibi inuicem non sunt contrarij.

Recipiunt magis & minus qualia.

hoc est: Illorum quæ qualia siue talia esse dicuntur, aliud alio magis tale est: albus enim albo albior: eruditus erudito eruditior: iustus iusto iustior est. Sed notandum est: hanc proprietatem non in abstracto, sed concreto tantùm valere: neque qualitates qualitatibus, sed qualia qualibus magis et minus esse qualia. iustitia enim, v.g. aut quæuis virtus alia, alia non magis est iustitia. Si enim à mediocritate vel paullulum declinet, vitiũ est. Sic eruditio hæc non est magis eruditio quàm illa. maior quidem esse potest & fieri eruditio: sed magis nequaquam. magis enim & minus recipere propriè subiecti est: in quo forma aliqua iam intensior, iam remißior, iam maior, iam minor fit. sic morbus maior quidem fit ac minor: sed magis & minus nequaquam recipit. Aegrotus autem iam magis, iam minus ægrotat. hoc est discrimen inter magis & minus recipere: & maius & minus fieri. Atq; hæc causa est: cur Aristoteles non scripserit, qualitatem recipere magis & minus, sed qualia siue qualia. Hoc quoque sicut prius illud neq; omnibus, neq; solis qualitatibus conuenit. Competit enim actioni quoque & paßioni: & in figuris locum nullum habet.

Simi-

Similia verò & diſsimilia iuxta ſolas qualitates dicuntur.

Similia dicuntur, quorum vna & eadem qualitas eſt, ſic longus longo, albus albo ſimilis, niger albo, breuis longo diſsimilis dicitur ob eandem vel diuerſam formam. ſic qui iiſdem vel diuerſis moribus prædıti ſunt, ſimiles ſibi vel diſsimiles dicuntur: ob eoſdem vel diuerſos habitus. Proprium hoc eſt qualitati quarto modo.

DE SEX POSTREMIS prædicamentis.

De his ſex poſtremis prædicamentis, propterea quòd Ariſtoteles ea valdè parcè attigit, inter interpretes non conuenit. Res tamẽ plana eſſe videtur. ſic igitur habendũ. Primò ſciendum eſt: ſex iſta prædicamenta non ſignificare quippiam omnino abſolutum, ſicut ſubſtantia, quãtitas & qualitas. alioquin à quantitate & qualitate non differrent. Tempus enim & locus in quantitate ſunt: & nihiloſecius tamen duas peculiares & à ſe inuicẽ diſtinctas categorias conſtituunt. Si igitur omnino abſolutum quid eſſent: prædicamentum Vbi & Quando, cum quantitate concurrerent. Deinde obſeruandum eſt: ea quoq; non purum reſpectum aut veram relationem ſignificare. Sic enim à prædicamento relationis non diſtin-

distinguerentur. Deniq; etiam non significant tertium quippiam & compositum ex absoluto & relato: puta quantitatem vel qualitatem cum relatione, ita enim vnum quiddam essent: quod tantum abest: vt proprium prædicamentum constituat: vt in nullo planè sit prædicamento. Quid igitur, dices sunt? Nihil aliud: quàm quantitates & qualitates: sed cum nouo quodam modo. Adijciunt ista prædicamenta quantitati & qualitati nouum quendam, vt rectè Albertus obseruauit, modum: qui in quantitate & qualitate non continebatur: hoc est, prædicamenta ista aliud nihil sunt, quàm quantitates & qualitates: sed non vt tales sunt: sed vt accidentia sunt: substantiæ, tanquam subiecto, extrinsecus adhærentia. Actio, prout categoriam peculiarem constituit, non est profectò quiddam merè absolutum: patiens enim respicit: non est quoque vera relatio aut relatum: ad patiens enim non refertur tanquam ad terminum: sed patienti tanquam subiecto, licet extrinsecus, accidit: cùm actio in patiente tanquam in subiecto hæreat. Atque hæc eadem causa est: cur non possit dici compositum quippiam ex absoluto & relato. Hæc mihi sanè perspicua esse videntur. Actio igitur nihil aliud est: quàm ἐνέργεια illa, tertia qualitatis species: sed cum isto modo: quod patiens notet, illudq; tanquam subiectum respiciat: in quod ab agente introducitur: qui modus in qualitate non continetur: Quando aliud nihil, quàm tempus: sed quâ substan-

tiæ

tiæ accidit, quæ in tempore est: vbi aliud nihil, quàm locus: sed cum nouo isto modo: quòd rei locatæ siue corpori tanquam subiecto accidit: Habere aliud nihil, quàm quarta qualitatis species: tantùm modum istum adijciens: quòd substantiæ tanquam subiecto accidat: & de illa in concreto prædicetur. Et sic de reliquis. Sunt igitur sex istæ categoriæ accidentia accidentium. Ab his nō multum discrepant, quæ Ammonius scribit: & Simplicius ex Porphyrio & Iamblicho refert: quatuor scilicet primas categorias, substantiam, quantitatem, relationem, qualitatem, priores esse & simplices: reliquas verò sex ex illarum complicatione nasci: ideoq́; posteriores: substantiam enim quanto, puta tempori & loco iunctam, categoriā quando & vbi constituere: quali, agere & pati: relatis, sitū esse & habere. Hæc verò non ita accipienda sunt: quasi substantia pars sit istarum categoriarum (sunt enim nouem prædicamenta mera accidentia) sed ita, vt nos explicauimus, intelligenda: quantitatem scilicet, siue tempus categoriam Quando constituere: quatenus illi nouus iste modus, quòd substantiæ quæ in tempore est, tanquā subiecto extrinsecus adhæreat, accedit. Hæc de sex istis categorijs in genere.

DE ACTIONE.

Actio prout propriam categoriam consti-

tuit, est: secundum quam in id quod subijcitur, agere dicimur.

Definitio hæc Porretani est. exstat in libro ipsius de sex principijs. Vt rectè intelligatur sciendum est: actionem aliam immanentem esse: aliam transeuntem. illa est: quæ ab agente in aliud non transit: sed in ipso tantùm manet: ipsumq́; perficit: quales sunt actiones animæ, intelligere, velle, desiderare, sentire: hæc verò: quæ ab agente oritur: & à patiente, vt à subiecto recipitur. sic calefactio, sectio, ab agēte quidem proficiscitur: sed à patiente, tanquam à subiecto recipitur. De hac transeunte hîc loquimur. Cùm igitur actio esse dicitur: qua in id, quod subijcitur, agimus: intelligendum est actionem esse actum & ἐνέργειαν illam: quæ ab agente incipit & à patiente recipitur. Actio igitur hîc non est simplex ἐνέργεια sed talis ἐνέργεια: quæ patiens, à quo, & in quo, tanquā subiecto est, & recipitur, respicit. Sic calefactio ignis, prout ad hoc prædicamentum pertinet, ἐνέργεια est: sed quatenus calefactum, à quo recipitur, designat. Sic castigatio filij, discipuli, ἐνέργεια est: patiens siue castigatum notās. Ad actionem igitur quatuor concurrunt. 1 agēs siue id quod agit. 2 patiens. 3 id quod agitur, hoc est, id quod in rem subiectam & patientem introducitur. 4. ipsa ἐνέργεια & introductio. v.g. 1 est ignis agens. 2 aqua patiens. 3 calor qui introducitur. 4 ipsa ἐνέργεια & calefactio. Breuiter

igitur

igitur actio nihil aliud est quàm ἐνέργεια illa tertia qualitatis species: sed qua illi nouus iste modus accedit: quòd patiens, tanquam subiectum, à quo recipitur designet. Sed videtur eôdem cum tertia qualitatis specie recidere. illa enim ἐνέργεια est: quæ passionem efficit circa sensus, ideoq; patiens notat. Sed obseruandum est: ibi ἐνέργειαν absolutè & in se considerari: hic verò quâ à patiente tanquam à subiecto recipitur.

Actionum alia naturalis est: alia voluntaria.
Naturalis est: quę non consilio & deliberatione: sed instinctu naturali suscipitur.
Voluntaria, quę consilio & ἐκ προαιρέσεως suscipitur.

Naturales actiones sunt actiones brutorum animantium omnes: vt comedere &c. item hominum multæ: vti est, amare sobolem &c. voluntariæ, bellum gerere, disputare, concionari.

Voluntaria rursum duplex est: alia ad animum: alia ad corpus pertinens.

Actio voluntaria & ad animum pertinens est δίδαξις: cui è contrario respondet μάθησις: ad corpus, castigatio discipuli. atq; hæ sunt species infimæ, proximæ indiuiduis.

Summum igitur huius prædicamenti genus, actio est, hoc est, cōmunis illa omnibus & naturalibus & voluntarijs actionibus natura: complectens sub se actionem naturalem & voluntariam: animi & corporis: istarumq́ꝫ species & indiuidua.

Indiuidua sunt hæc διδαξις, hæc castigatio: species specialissimæ, διδαξις, castigatio. Reliqua ex prioribus intelliguntur.

Proprietates duæ recensentur. vna est: actionibus inesse contrarietatem.

Frigefactio enim calefactioni contraria est. Contrarietas tamen ista non propriè in ipsis est actionibus: sed in qualitatibus, quæ actionem comitantur, & in subiecto recipiuntur.

Suscipit agere magis & minus.

Et hoc non de ipsis actionibus, sed de subiectis, in quibus qualitates vel intenduntur, vel remittunt, accipiendum est. Subiectum magis & minus recipit: in quo qualitas aliqua maior fit, aut minor: maior autem & minor qualitas fit: prout actio vehemens siue intensa & remissa est.

DE PASSIONE.

Pasio est effectus illatioq́ actionis.

De hoc quoque prædicamento, sicut de priori & reliquis, quatuor tenenda sunt. 1 quid sit. 2 quotuplex. 3 quodnam summum genus. 4 quæ proprietates. Vt melius quid sit intelligatur: sciendum est: passionem nō vno modo accipi. aliquando enim pro qualitate illa quæ sub sensum cadit accipitur: & quæ ex passione oritur: aliquando pro intelligentia, & notione. notitiæ enim in mēte passiones sunt. Vnde Aristoteles: ἔστι μὲν οὖν, inquit, τὰ ἐν τῇ φωνῇ τῶν ἐν τῇ ψυχῇ παθημάτων σύμβολα &c. aliquando pro pœna, quæ alicui infligitur: siue id iustè, siue iniustè fiat: quo modo passionem Domini dicimus: aliquando pro effectu actionis, prout ab agente fluit. atque hoc sensu hîc vsurpatur. Ceterum quid sit, ex actione intelligitur. Actio enim & passio subiecto non differunt: sed tantùm ratione: & vna ac eadem ἐνέργεια actio est & passio: actio: quâ ab agente proficiscitur: passio: quâ à patiente recipitur: v. g. castigatio discipuli & actionis & passionis rationem habet: actionis: quâ à præceptore proficiscitur: passionis: quâ à discipulo recipitur. & sicut actio siue agens patiens notat: ita patiens agens respicit. Quia igitur passio reipsa ab actione non differt: non magis quàm via quæ Athenis Thebas, ab illa, quæ Thebis Athenas ducit: vt au-

De interp. cap. 1.

lib 3. phys. com. 21. *tor est Philosophus: manifestum est: easdem eam & species & proprietates, idemq́; cũ actione summum genus, & indiuidua habere: de quibus cùm iam dictũ sit: non est cur actum agamus.*

DE PRAEDICAMENTO Quando.

Quando est, quod ex adiacentia temporis relinquitur.

Vox ista, Quando, trifariam vsurpatur: per modum interrogationis: Quando veniet Christus ad iudicium? aduerbialiter: cùm Scriptura dicit: Quando autem venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum: indefinitè, hoc est, pro eo, quod est in tempore, vel temporeum esse: quo postremo sensu hîc vsurpatur. Quando igitur nõ simpliciter tempus significat: sed temporis affectionem: secundum quam aliquid fuisse dicitur, hoc est, Quando, prout categoriã propriam & ab alijs distinctam constituit, nihil aliud est quàm tempus: sed substantiam respiciens, quæ in tempore est: cui extrinsecus vt subiecto accidit & inhæret. Dicam si possum planius: Tempus per se consideratum, vt tempus est, in quantitate est: vt verò accidens est, quod substantiæ accidit, eiq́; vt subiecto extrinsecus adhæret, categoriam Quando constituit. Non tempus igitur, sed temporeũ & in tempore esse,

in hoc prædicamento collocandum est. Et sic de reliquis quinq; prædicamentis sentiendum est.

Est autem Quando aliud præsens: aliud præteritum: aliud futurum: quæ rursum species alias sub se complectuntur.

Sicut tempus aliud præsens (cum vulgo enim non cum Philosophis nunc loquimur) aliud præteritum, aliud futurum est: sic & quando: quippe quòd nihil aliud est, quàm tempus cum quodam modo: & sicut Quando est in tempore esse: ita Quando præsens, præteritum & futurum, est in præsenti: præterito aut futuro tempore esse. Hæc species sunt & genera subalterna: species specialißimæ sunt, in anno, mẽse, die, hora esse: indiuidua verò, in hoc anno, die, hora esse.

Genus igitur huius prædicamenti supremũ est, Quando simpliciter, siue temporeum & in tẽpore esse: complectens sub se Quando pręsens, pręteritum & futurum: in anno, die esse: istorumq; indiuidua.

Hæc omnia iam explicata sunt.

Quando nihil est contrarium.

Esse in præsenti aut præterito, die, & hora, con-

traria non sunt: quippe quæ simul in eodem subiecto inueniuntur.

Quando non suscipit magis & minus.

Alius enim alio nō magis in tempore esse dicitur: neq; in tempore præsenti esse, magis est in tempore esse, quàm in præterito aut futuro: neq; in anno magis quàm in die. qui enim in die est, in anno quoque simul est.

DE PRAEDICAMENTO VBI.

Vbi est circunscriptio corporis: à circunscriptione loci proueniens.

Quem ad modum Quando non interrogandi nota est: sed tempus: quâ substantiæ accidit: ita Vbi nō interrogandi vim habet: sed locum significat: quà accidens est. quod substantiæ extrinsecus vti subiecto inhæret. Nihil aliud igitur est quàm locus: sed non per se, vti locus est, consideratus (sic enim in quantitate collocatur (sed vti est accidens substantiæ adhærens: quæ causa est: cur Porretanus dicat: vbi à circunscriptione loci prouenire. Circunscriptio autem corporis esse dicitur: quia in Vbi totius corporis non partium ratio habetur. Locatum igitur vel in loco esse, est in hoc prædicamento.

Sed

Sed videtur ita cum quantitate cõcurrere. Dictũ enim ibi fuit: locum à superficie in eo differre: quòd locatum designet. Respondeo: locus sua significatione non tantùm superficiem declarat: sed simul aliquo modo locatum. si enim locus est: alicuius locus sit, necesse est. & sic ad quantitatẽ refertur. hîc verò proprium prædicamentum constituit: non quâ vi suæ significationis locatum respicit: sed quâ re ipsa substantiæ extrinsecus accidit: eiq́ tanquam subiecto adhæret.

Diuiditur in Vbi commune & proprium.

Sicut locus alius communis est: alius proprius: sic & Vbi. Communis est: vt templum, hypocaustum: quo multi capiuntur & circunscribuntur: proprius: superficies illa aëris: quæ vnicum tantùm corpus circumscribit.

Genus supremum est Vbi siue locatum esse: quod sub se commune & proprium Vbi complectitur: in foro, in templo esse: istorumq́ indiuidua.

Species & genera subalterna sunt, commune & proprium Vbi: species infimæ: in templo esse: indiuidua: in hoc templo esse.

Vbi non recipit contrarietatem.

Sicut locus loco contrarius non est: ita quoque in loco esse contrarietatem nō recipit. in foro enim esse, non est contrarium illi, quod est in hypocausto esse: in communi loco esse contrarium non est illi, quod est in proprio esse: simul enim hæc sunt in eodem.

Non recipit magis & minus.

Ratio, cur neq; contrarietatem, neque magis & minus Vbi recipiat, est, quia quantitas ista non recipit. Vbi autem locus est quodam modo.

DE SITV ET POSITIONE.

Positio est quidam partium situs, & generationis ordinatio.

Prædicamentum istud aliud nihil est, quàm locus: sed non quà totum corpus, quod continet: sed quà singulas locati partes respicit. propterea Vbi est circunscriptio corporis: positio situs & circunscriptio partium corporis. Illud igitur rectè intelligenti neq; hoc obscurum est: cùm reipsa non differant: sed tantùm hoc modo. quòd Vbi ordinem totius locati ad totum locum significat: nulla partium ratione habita: positio verò ordinem partium locati ad partes loci.

Quem

Quem ad modum enim totus locus toti locato: ita quoq; singulæ partes loci singulis locati partibus respondent. Ita cùm sedeo, diuersus est partium situs. quædam enim partes stant: vt crura: aliæ sedēt: quædam obliquæ: quædam erectæ sunt. Sic caput naturaliter sursum est: aliæ partes deorsum. propterea ortus ordinatio dicitur. Oritur igitur hoc prædicamentum ex respectu partium corporis: quem inter se habent.

Positio alia naturalis est: alia voluntaria. illa est: quam natura ordinauit: hæc à consilio hominum pendet.

Naturalis est: quòd caput alio loco est: alio crura, brachia: voluntaria vt accumbere: quæ rursum duplex est: alia animatorum vt accumbere: alia inanimatorum, vt erigi. sic lapis erectus, obliquus constituitur, consilio architecti.

Genus extremum, est positio illa: omnibus positionibus communis: naturalem & voluntariam complectens: animatorum & inanimatorum: istarumq; species & indiuidua.

Species infimæ sunt accumbere, erigi: indiuidua, huius lapidis erectio, hic accubitus.

Proprie-

Proprietates duæ ſunt. Non recipit contrarietatem: Non recipit magis & minus.

Eadem iſtorum hîc ratio eſt: quæ in prædicamento Vbi.

DE PRAEDICAMENTO Habere.

Habitus eſt corporum, & eorum quæ circa corpus ſunt, adiacentia.

De homonymia vocabuli habere, in poſtprædicamentis dicemus: nunc breuiter quid ſit prædicamentum Habere. Eſt igitur habitus nihil aliud: quàm forma indumenti: quodcunq; tandem illud ſit: ſiue veſtis: ſiue calceus: ſiue armatura: ſed non per ſe conſiderata forma: (ſic enim in quarta qualitatis ſpecie eſt) ſed quatenus accidens eſt: quod ſubſtātiæ ſiue corpori extrinſecus, tanquam ſubiecto, adhæret. Non tunica igitur, non calceus: ſed tunicatum, calceatum eſſe, ad hoc prædicamentum pertinet: ſicut ad Quando & Vbi non tempus & locus: ſed temporeum & locatum eſſe.

Habitus duplex eſt: ornamenti & indumenti, ſiue neceſsitatis.

Habi-

Habitus ornamenti est: vt, catenatum, coronatum, purpuratum esse: necessitatis, calceatum, tunicatum esse. Sed hic necessitatis habitus: duas rursum species habet: domesticum, vt calceatum tunicatum esse: militarem, vt armatum, loricatum esse.

Genus igitur supremum habitus est siue simplex illa & omnibus habitibus communis natura: complectens sub se habitum ornamenti & necessitatis: domesticum & militarem: istorumque species & indiuidua.

Species & genera subalterna sunt habitus ornamenti & necessitatis: domesticus & militaris: indiuiduis proximæ species, tunicatum, armatum esse: indiuidua, hoc tunicatum, hoc armatum.

Habitus non recipit contrarietatem.

Tunicatum enim & calceatum esse contraria non sunt.

Recipit magis & minus.

Sed hoc cautè accipiendum est. Habitus enim propriè magis & minus non recipit: quod autem ista recipere dicitur: id ex accidente fit: respectu scilicet vel

copiæ

copiæ vel præstantiæ indumentorum. Nam qui vel plura vel præstantiora indutus est: is magis habere dicitur, quàm alius: qui tot & tanta non est indutus. Sic etiam dicere possumus: eum qui multos liberos habet, magis patrem esse: quàm qui vnicam solùm habeat prolem.

DE POSTPRAEDICAMENTIS.

Liber categoriarum in tres partes distinguitur: in antepredicamenta: in postprædicamenta: & in ipsa prædicamenta. De ante & ipsis prædicamentis dictum est. nunc de postprædicamentis.

DE OPPOSITIS.

Opposita quatuor modis dicuntur: vel vt relata: vel vt contraria: vel vt priuatio & habitus: vel vt affirmatio & negatio.

Notandum hîc primò est: duplicem esse oppositionem: alteram enuntiationum: de qua libro sequenti dicetur: alteram singulorum qui sine complexione dicuntur, terminorum: de qua in præsentia. Opposita dicuntur, quæ re ipsa diuersa sunt. suntque quadruplicis generis: relatiuè: contrariè: priuatiuè: & contradictoriè opposita. Relatiuè opposita sunt, relatum & correlatum ipsius: vt duplum, dimidium: magnum,

gnum, paruum: dominus, seruus: Contrariè, vt malum, bonum: nigrū, album: iustum, iniustum: suntq́; in summa contrariè opposita, duæ qualitates: quæ simul in eodem subiecto esse non possunt: in gradibus excellentibus: hoc est, cùm vel vtraq; vel alterutra summa est & intensissima. ita summus nigror non solùm non cum intensissimo albore in eodem subiecto consistit: sed ne cum minimo quidem: qui in gradibus remissis simul in eodem inueniuntur. Priuatiuè opposita, sunt habitus siue res, & priuatio illius: vt visus & cæcitas: lux & tenebræ. Contradictoriè siue vt Aristoteles hîc loquitur, opposita vt affirmatio & negatio: sedet, non sedet. Non agitur hîc de enuntiationibus contradicentibus (in prædicamentis enim non egit de complexis Aristoteles) sed de simplicibus. At licèt, cùm dico, sedet, non sedet, subiectum intelligatur, si rem ipsam spectes: tamen quia hîc simpliciter simpliciū terminorum ratio habetur: non sunt hæc contra mentem Aristotelis ad integras enuntiationes trahenda. Simplex igitur affirmatio simplex & vnica vox est: rem aliquam designans: & particula negante destituta: vt doctus: homo: simplex negatio, vnica & simplex vox: particulam negantem adiunctam habens: vt non doctus: non homo.

DE PRIORI.

Prius aliud alio quatuor modis dicitur: tempore: consecutione: ordine: dignitate.

Quatuor

Quatuor hisce modis particulam prius accipi, etiam alij ante Aristotelem docebant: Aristoteles aũt modum quintum adiecit. Primò igitur & potissimum aliud alio prius dicitur, quod tẽpore prius est, sic Abrahamus prior fuit Isaaco: Christus prior Abrahamo. Deinde prius dicitur consecutione: quod ad aliud quidem necessariò consequitur: sed ad quod alterum non consequitur. Sic vnum prius est duobus: vbi enim duo sunt: vnũ esse consequitur: sed non vice versa: vbi vnum est: ibi duo sunt. Hoc vocant prius natura. Tertiò prius dicitur ordine. sic in Grammatica ordine priores sunt literæ syllabis: syllabæ dictionibus. Ita senatorũ alius alio ordine prior est. Quartò prius dicitur dignitate. sic consul prior est consulari: aut quouis Senatore. Sed videtur hæc significatio paulo esse alienior. Quintus & postremus modus eorum est, quæ se inuicem consequuntur: & quorum vnum alterius quodam modo causa est. quædam enim, Esse, inter quæ mutua quædam est ἀκολούθησις & consecutio, non est obscurum. Sic res ipsa, hominem esse, & sermo iste, qui de re ista homo est, enunciatur, mutuò sese consequuntur. Cùm homo est: rectè dicitur: homo est. res igitur & sermo de illa re simul sunt: sed non sermo rei: sed res sermonis causa est. quia enim homo est: idcircò rectè dicitur: homo est: non contra: quia hoc dicitur: idcirco homo est. Prius hoc dicitur natura. Quinque igitur modi sunt: sed ad quatuor reuocantur. Sic igitur haben-

dum

dum est. Prius quatuor modis dicitur: tempore: natura: ordine: dignitate. Sed prius naturâ duplex est. vnum: quando alterum quidē ad alterū consequitur: sed nō vice versa. hîc prius naturâ illud est, quod consequitur; posterius quod non consequitur. Alterum: quando mutua est ἀκολούθησις. inter hæc prius illud est, quod alterius causa est. Sic Spiritus sanctus & fides viua conuertuntur. In quo Spiritus sanctus est: is fide viua præditus est: et qui fide ista præditus est: is, Spiritum sanctum habet: sed nō fides Spiritus sancti: sed hic illius causa est. Naturâ igitur, licet non tempore, prior est Spiritus sanctus. Sic fides & iustificatio, & vitæ æternæ obsignatio se mutuò consequuntur: Quamprimùm enim homo credit: confestim iustificatus est: & de vita æterna plenè certioratus: vt Spiritus sanctus in Scripturis definiuit: & Patres orthodoxi subscripserunt. fides tamen naturâ prior est iustificatione: quia illius quodam modo causa est.

SIMVL.

Simul duobus modis dicitur: tempore & naturâ.

Tempore & maximè simul illa dicuntur: quæ eodem tempore generantur. Hoc modo rationale & risibile simul sunt in homine: Gemelli autem per successionem nascuntur. Naturâ verò simul sunt: inter quæ mutua quædam est ἀκολούθησις: sed quorū vnum

non est causa alterius: sicut de priori dictum est. Talia sunt relata & correlata ipsorum.

DE MOTV.

Motus species sex habet: ortum: interitum: accretionem: imminutionem: variationem: circa locum mutationem.

Motum à mutatione distinguere non est præsentis loci. Sex igitur species motus siue mutatio habet: ex quibus ortus, interitus, de substantia ratione substantiæ dicuntur: accretio & imminutio ratione quantitatis: variatio ratione qualitatis: latio ratione loci.

HABERE.

Habere multis modis dicitur. Dicimur habere habitum & dispositionem, vel aliam aliquam qualitatem: quantitatem siue magnitudinem: vestem: annulum in digito: pedem siue partem: vinum in cantharo: fundum siue domum: mulierem.

Hi ferè omnes modi sunt: quibus aliquid habere dicimur: de quibus postremus omnium est alienissimus ab istius verbi significatione.

Vsus doctrinę Categoriarum sicut magnus & multiplex est: ita per se est manifestus. Prę-

Pręterquam enim quòd totam rerum naturam, earumq́; discrimen breuiter, quasi in tabella, ob oculos nobis ponit: plurimùm etiam confert ad definiendum: & ad medium terminum inueniendum.

DE PRAEDICABILIBVS.

Cap. III.

Prædicabilia sunt classes quædam: quibus, ceu gradibus quibusdam, simplices illæ rerum naturæ distinguuntur: quę in prædicamentis continentur.

Vox ista Prædicabile à prædicari est: quo Græcum κατηγορεῖσθαι exprimitur. Vocantur prædicabilia: quia prædicari possunt. Etsi enim quædam illorum naturaliter quoque subijciuntur: prædicabilia tamen, non subiectibilia, vt sic loquamur, nuncupantur: quia non quædam tantùm: sed omnia prædicari apta sunt.

Differunt prædicabile & prædicatũ duobus modis. Prædicabile est prædicatum potentia: prædicatũ autem actu. Prædicatum enim dicitur: quatenus iam de subiecto dicitur. ex quo alterũ consequitur. Prædicatũ quâ tale est, nunquam fit subiectum: prædicabile autem etiam subiecti locum occupare potest.

Vocãtur alio nomine vniuersalia: idq́; propterea:

quòd quæ de alijs prædicari apta sunt: illa vel vniuersaliora & communiora sunt suis subiectis: vel certè æquè latè patentia.

Porrò prædicamenta classes sunt: quibus res, vocibus per medias notiones significatæ, cõtinentur: prædicabilia verò harum classium distinctiones Logicæ: hoc est, tales quoque classes sunt: quibus eædem res continentur: sed classes iam restrictiores & pauciores: quibus eædem quidem illæ res: sed non eodem modo continentur. In prædicamentis enim continentur quâ sunt: & quâ primò esse intelligũtur: in prædicabilibus verò, quâ secundò iam cognoscuntur: & quâ aliæ de alijs prædicantur: ideoq; vel generum vel specierum locum tenent. Atque hoc discrimen inter prædicamenta & prædicabilia est. Hinc factum est: vt Scholæ prædicabilia secundas intentiones siue notiones (intentio enim hîc notionem significat) vocarint: ad differentiam primarum. Primò enim res, quâ sunt, cognoscuntur: secundariò quâ prædicãtur.

Distinguuntur autem classibus istis, ceu gradibus quibusdam, res vt sic dicã, prædicamentales: hoc est, istæ classes ostendunt: quæ res quibus superiores aut inferiores: communiores aut angustiores sint: quæ generum, quæ specierum vicem teneant. Dictũ enim est: in omni prædicamento supremum, infimum & intermedia quædam dari: quæ generũ & specierum rationem habent. De istis igitur nunc præcipitur.

Apparet hinc quoq; sicut in prædicamentis non

nudæ

nudæ voces comprehendũtur: sed res vocibus per medias notiones significatæ: itaquoq; prædicabilia non nuda esse vocabula: sed easdem illas res prædicamentales. tantùm aliter atq; aliter consideratas.

Neq; hinc τερετίσματα *Platonica efficiuntur. Vniuersale enim, quà vniuersale est in animo solùm est: non extrà.*

Sunt autem classes eiusmodi & distinctiones Logicæ quinq;: genus: species: differentia: proprium: accidens.

Quinque hæc tantùm vera prædicabilia esse certum est. Quod enim ex primo Top. cap.3. & de vago indiuiduo affertur, facilè diluitur.

DE GENERE.

Genus, prout ad Logicum pertinet, simplex ac pluribus & specie differentibus communis natura est: de quibus prædicatur in quęstione quid sit.

Genus aliud Grammaticũ: aliud Politicum aliud Logicum est. Genus Grammaticum aliud masculinum &c. De hoc in præsentia non loquimur. Apud Politicos genus duplici significatione vsurpatur: pro collectione multorum hominũ: inter quos cognatio quædam est, & qui ab vno aliquo originem ducunt: siue pro tota aliqua familia: quo modo genus Hera-

clidarum, Romanorum, Hebræorum, Fuggerorum nuncupamus: collectionem illorum omnium qui ab Hercule, Romulo, Hebero, Fuggero originem ducunt, significantes: deinde pro principio ortus cuiusq; hoc est, pro ipsa origine: idq; rursus bifariam: vel parentum ex quibus: vel patriæ & loci, ex quo quis oriundus est, ratione habita. Sic dicimus: Orestes genus à Tantalo habet: Dominus Iesus à Dauide seu Iuda: id est, originē ab illo ducit. sic Plato genere est Atheniensis: seu originem ex vrbe Atheniensi ducit. Genus igitur hîc non ipse parens aut patria est: vt quidam malè existimant: sed origo illa: quam quis vel ex parentibus vel patria habet. Hæ duæ politici generis significationes, etsi ad Logicum non pertinent: similitudinem tamen quandam habent cum genere Logico. Sicut enim Politicum collectio multorū est: ita Logicum multas species complectitur, & sicut illud principium quoddam est: ita hoc principium est specierum.

Definitio verò quatuor partes habet. 1 dicitur: est simplex & communis natura. Singularia & indiuidua non sunt pluribus communia: v. g. Socrates non est quiddam multis commune: sed homo res est siue natura quædam omnibus indiuiduis, Abrahamo, Isaaco, Socrati, Aristoteli, omnibusq; hominibus cōmunis. Sic animal commune homini est, equo & omnibus quæ animalia sunt. 2 dicitur: pluribus & specie differentibus: hoc est, pluribus siue omnibus

suis

suis speciebus. Prima particula genericum specie & ceteris communis est: hac verò à reliquis distinguitur. Species enim, quæ species tantùm est, non speciebus, sed indiuiduis communis est: genus verò speciebus. Vt rectè quid genus, quidue species sit, intelligas, sic habeto. Primò indiuidua sunt & singularia: vt Abrahamus: Aristoteles: hic homo: hic equus: Bucephalus: hic catellus. Vltra & supra hæc natura quædam est: omnibus ijsdem indiuiduis: ijsdem dico, vt omnibus equis, omnibus hominibus, omnibus canibus, non autem diuersis, puta hominibus & equis simul, communis. Communis ista, omnibus singularibus hominibus, equis, bobus, canibus &c. natura, in Logica species nuncupatur. v.g. homo siue humana natura, Petro, Paulo, mihi, tibi, omnibusq; vniuersè singularibus hominibus communis, species est. Sic equus siue equina natura species est: quia omnibus singularibus equis communis est. Ita bos siue bubula natura species est: quia suis indiuiduis omnibus communis est. Et sic de reliquis. Tertiò etiamnum quædam natura specie communior est, quæ genus dicitur: magis enim iam ascendit. Sicut enim species suis indiuiduis omnibus communis est: ita genus omnibus suis speciebus. homo communis omnibus suis indiuiduis est: equus equis: bos bobus: genus verò omnibus istis speciebus. v.g. animal commune est, equo, homini, boui &c. sic igitur ascendendo ab indiuiduis ad species, & à speciebus ad genus: fa-

cilè & quid species & quid genus sit, intelliges. Quod enim proximè supra indiuidua est, et illis commune: id species dicitur: quod verò rursum proximè supra species, eisq; commune est: hoc genus est. sicut enim species se ad indiuidua habet: sic genus ad species. 3. dicitur: prædicatur: puta, cùm prædicatur. 4. prædicatur in quid est. essentiam enim speciei exprimit. v.g. quid est homo, equus, bos? animal.

Est autem duplex: summum & medium siue subalternum. Illud est: quod tantùm & semper genus est: hoc verò etiam species fieri potest.

In omni prædicamento, vt perspicuum est, supremum & infimum est. illud genus generalißimũ idcirco dicitur: quia nõ habet in suo ordine aliud se superius: cuius respectu fieri poßit species: hoc verò indiuidua sunt: quæ vno gradu superantur à specialissimis speciebus. Inter hæc, genus scilicet summum & speciem infimam, intermedia quædam sunt, & subalterna: quæ duplicem σχέσιν & respectum habent: vnum ad superiora: alterum ad inferiora: ideoq; genera, & species mediæ ac subalternæ nuncupantur. sic in categoria substantiæ medium est animal: quod respectu substantiæ corporeæ, species est: respectu hominis, equi &c. genus. sic qualitas summum genus est: scientia species specialißima: habitus verò, habitus intellectus genera & species subalternæ. habitus

1. post. cap. 16. & 17.

enim

enim intellectus genus est respectu scientiæ: species, respectu habitus animi. Et sic de reliquis. Ceterum definitio allata, vtriq; & summo & subalterno generi competit.

DE SPECIE.

Species est simplex & communis quędam natura: subordinata generi: de qua genus prędicatur in quęstione quid sit. Et: Species est simplex suisq; indiuiduis omnibus communis natura: de quibus prædicatur in quæstione quid sit.

Species aliter à Grammaticis vsurpatur: aliter in communi loquēdi consuetudine: vt cùm dicimus, speciosus præ filijs hominum: aliter hîc in Logica. hîc enim non pro forma & pulchritudine: sed pro eo accipitur: quod generi subest. Duplex definitio allata est: ob duplicem, vt mox dicemus, speciem. Sensus vtriusque ex illis quæ de genere diximus, perspicuus est. Est enim species communis natura: quæ tamen superius se quiddã habet: sub quo continetur. Vocabulum prædicatur, hîc eodem modo, quo in definitione generis, accipiendũ est. Sicut etiam genus de specie in quid est, prædicatur: sic species de suis indiuiduis. Rogant enim quid fuit Aristoteles, respondemus, fuit homo: quid fuit Bucephalus? equus. quid est Petrus? homo. Discrimen inter has duas definitiones

tiones est: quod prior omni speciei tam infimæ, quàm mediæ conuenit: posterior verò soli specialissimæ.

Est igitur species duplex: specialissima & subalterna. illa est: quæ nunquam genus fieri potest: hæc verò tā generis quàm speciei vicem tenet.

Quem ad modum genus ob duplicem, quem habet, respectum, duplex est: ita quoq; species: & quem ad modum genus generalissimū est: quod nunquam fieri species potest eò quòd nihil illo superius est: ita species specialissima: quæ nunquam potest esse genus: quia nullam sub se aliam communem naturā complectitur: sed sola indiuidua. Propterea *in istius definitione additum est quòd communis sit indiuiduis: quod quo pacto intelligendum sit: suprà est explicatum.* I*ndiuiduum verò vnum quiddam numero est: seu res quædam singularis: vt* A*ristoteles:* P*lato: hic homo: hic equus. Græcis* ἄτομον *dicitur: quòd secari seu diuidi non posit: cui vox* L*atina respondet.* E*st autē* ἄτομον *& indiuiduum: quia ex eiusmodi quibusdam proprietatibus & accidentibus constat: quæ in nulla alia re simul omnia inueniuntur. vnde indiuiduum hæc duo habere dicitur: quòd in se non sit diuisum & ab alio quocunque diuisum.* D*ocendi autem gratia sextuplex constitui potest. Aliud enim est: quod nomine proprio exprimitur: vt Abrahamus: aliud, cùm vocabulū commune pronomine demonstratiuo*

ſtratiuo ad rem certam reſtringitur: vt, hic homo: aliud indiuiduum vagum: cùm vocabulum commune aliquo quidem modo, imperfectè tamen reſtringitur: vt, aliquis homo: aliud indiuiduum ex hypotheſi: vt filius Mariæ idem eſt, quod Dominus Ieſus: poſito, id quod piè cum orthodoxa Eccleſia credimus, Mariam vnicũ habuiſſe filium: aliud cùm κατ᾽ ἐξοχὴν certum aliquem deſignamus: vocabulo tamen communi: quod illa ἐξοχῇ ad certum indiuiduum reſtringitur: vt Philoſophus pro Ariſtotele: Apoſtolus pro Paulo: aliud denique cùm περιφραστικῶς aliquem deſignamus: vt Troiani belli ſcriptor: id eſt, Homerus.

DE DIFFERENTIA.

Differentia eſt natura ſimplex: eiuſdem ſpeciei indiuiduis omnibus communis: quæ cum genere certam conſtituit ſpeciem: & de ſpecie prędicatur in quęſtione quale ſit.

Differentia trifariam vſurpatur: communiter: propriè: maximè propriè. Communis differentia omne illud eſt: quo aliquid vel ab alio, vel à ſeipſo diſcernitur: eſtq́ nihil aliud, quàm accidens ſeparabile: quod modò adeſt: modò abeſt. Sanus ab ægroto alio, & à ſeipſo differt. Propria accidens nõ ſeparabile eſt. Cùm enim aliquid ab alio, accidẽte nõ ſeparabili

bili differt, propriè differre dicitur. si coruus à cygno nigrore proprie differt. Maximè propria specifica, quam definijmus, differētia est. Est igitur communis natura: quia sicut species, homo: ita quoque differentia, rationalitas, commune quippiam est: & sicut species indiuiduis suis omnibus communis est: ita & differentia. rationalitas enim omnibus singularibus hominibus cōpetit. Ratio est: quia pars essentialis speciei est: idcirco dicitur: quòd cum genere certam cōstituat speciem. Sume igitur genus quoddam: & illud ad certam speciem restringe: & intelliges quid differentia sit. Animal genus est: adde ratione præditum, vel hinniens, latrans: & speciem habes. Animal enim ratione præditum, homo est & species: animal hinniens, equus: animal latrans, canis. Rationalitas igitur, hinnitus differentiæ sunt: quæ generi iunctæ, ad certam illud speciem restringunt: cumq; eo speciem faciunt: quæ caussa est: cur specificæ differētiæ numerentur. Prædicatur autem ista differentia de specie in quale: quia qualitatem propriè generis significat: vt in Topicis Aristoteles scripsit: quæ tamen generi iuncta in quid etiam prædicatur.

Top. 4. cap. 6.

DE PROPRIO.

Proprium, prout quartum prędicabile constituit, simplex est, sed accidentaria natura: siue accidens quoddam: omnibus eiusdem

dem speciei indiuiduis commune: specificam differentiam tanquã effectus causam necessariò consequens: ideoq; necessariò & semper inhærens: prædicaturq; de specie in quale.

Proprium quatuor modis dicitur. 1. Quod vni tantùm speciei conuenit: verum non omnibus illius indiuiduis: sed paucißimis: vt præstãtißimum Theologum: Iureconsultum: literatum Principem esse. 2. Quod omnibus indiuiduis cõuenit: sed non vni tantùm speciei: vt bipedem esse. 3. Quod & omnibus indiuiduis & vni tantùm speciei, sed non semper conuenit: vt canescere 4. Quod & vni tantùm speciei & omnibus illius indiuiduis, & semper cõuenit. atq; hoc est, de quo in præsentia loquimur.

Definitio sex particulas habet. 1. est commune quippiã. Omnia enim prædicabilia vniuersalia sunt & communia sed differẽtia specifica substantiæ pars est substantialis: propriũ verò tantùm accidens. ideò 2. additur: est communis natura sed accidentaria. 3. sicut differentia communis est omnibus indiuiduis eiusdem speciei: ita & proprium. Sicut enim rationalitas, itaquoq; docilitas mihi, tibi, omnibusq; indiuiduis competit. 4. effectus est differentiæ. Differentia enim pars est: qua species constituitur: vt ratio: proprium verò est, quod ex differentia seu composito illo necessariò sequitur: vt docilitas, risibilitas. Vnde 5. sequitur: quòd necessariò inhæreat. Quicunq;

enim

enim ratione præditus est: is etiam doctus & risibilis est. 6. prædicatur in quale. Cogita primùm esse genus, animal: adde specificam differentiam, rationem præditum, & tertium quoddā habes, speciem: compositam ex genere & differentia. hoc compositum accidens & proprietas quædam consequitur: quæ vt illi tantùm speciei: ita omnibus illius indiuiduis perpetuò inest: vt risibilitas, hoc accidens quartum prædicabile constituit.

DE ACCIDENTE.

Accidens prout quintum prædicabile constituit, natura simplex est: omnibus accidentibus communis: quæ abest & adest, citra subiecti corruptionem, de quo subiecto prædicatur in quæstioue quale sit.

Accidens duplex est: aliud commune: aliud proprium, siue per se, secundo modo. hoc non ad quintū: sed ad quartum prædicabile pertinet. Accidens igitur commune definimus. Quod commune quippiam esse dicimus: perspicuum est ex superioribus. Non enim certum accidens: sed accidens in genere, communisq́; illa omnibus accidentibus natura, quintum prædicabile constituit. Atque hoc accidens commune, tam abesse quàm adesse potest, citra subiecti corruptionem. ratio est: quia essentiam illius non consequitur: sicut alterum illud accidens proprium. nigror

gror enim, licèt non reipsa, mente tamen abstrahi à coruo, albusq́; cogitari coruus potest. prædicatur in quale. roganti enim qualis est, respondemus, literatus. Quòd ab alijs accidens definitur: quòd non per se subsistat: sed quòd esse illius sit inesse: id tam propria quàm communi accidenti competit.

Est autem commune hoc accidens duplex: separabile & non separabile.

Separabilia sunt, lætitia, tristitia, albor &c. non separabilia nigror à coruo, albor à cycno: id quod de ea quæ reipsa, non quæ mente fit disiunctione accipiendum est.

Vsus prædicabilium multiplex est. Confert eorum cognitio ad discernendos gradus rerum cuiusque prædicamenti: ad constituendas definitiones: ad diuisiones: ad demonstrationem: ad iudicandas propositionum connexiones; ac deniq; hinc liquet: specierum propriè esse definitiones: cetera verò, cùm genus & specificam differentiam non habeant, describi potiùs, quàm definiri.

Sextuplex vsus commemoratur. 1. distinctiones sunt prædicamētorum. In omni enim prædicamento supremum, infimum & media sunt. prædicabilia verò docent: quæ generum: quæ specierum rationem habeant. 2. docent definire: quia ostendunt genus & differen-

differentiam. 3. prodest eorum cognitio ad diuisiones. genus enim per differentias in species distinguitur. 4. nõ parum lucis hæc doctrina adfert arti Apodicticæ: & inprimis modis per se. aliter enim genus, aliter differentia de specie prædicatur: de quo suo loco. 5. ostendit: quæ prædicata cum quibus subiectis rectè cohæreant: genus enim de specie & indiuiduo prædicatur, non contrà. Postremò cùm omnis definitio οὐσιώδης genere constet & differentia specifica: liquet: summa rerum genera, & indiuidua non definiri. De prædicabilibus igitur, consuetudinem secuti, capite peculiari egimus: quod tamen Categoriarũ appendicem esse volumus. reuera enim in ipsis categorijs de illis agendum esset: cùm categoriæ in Logica non alio consilio tractentur: quàm quá illis secundæ notiones accommodantur; hoc est, quá prædicabilia, ex quibus deinde reliqua efficiuntur, fieri possunt. Qui verò adhuc firmam cernere rationem nequeunt: cur primus in Logica locus Categorijs debeatur: illi Aristotelem rogent: cur non ante Categorias prædicabilia præmiserit.

DE

DE INTERPRETATIONE siue de enunciationibus Liber secundus.

De Nomine & Verbo.

Cap. I.

NOmen est vox significans: ex instituto: absq; tempore: cuius nulla pars significat separatim.

Quid nomen sit, quid verbum, ex Grammaticis notum est. Hîc tamen de illis præcipitur: quà partes sunt Enunciationum. Voluit enim in libro de Interpretatione, illo suo ordine ostendere Aristoteles: quo modo à Grammatico prima sua elementa Logicus mutuetur: & quòd alia singulorum vocabulorum, nominis scilicet seorsum, & verbi seorsum: alia coniunctorum siue integrarum enunciationum, cum verbum de nomine dicitur significatio sit: quodq; res illæ quæ in Categorijs sunt & de quibus adhuc dictũ est, de se inuicem prædicentur beneficio nominis & verbi.

Est igitur nomen vox: quæ aliquid certi significat. Hæc autem duplex est: naturalis & ab hominibus imposita: naturalis: vt latratus canis: gemitus alicuius hominis: ploratus: & similia. Omnia ista aliquid significant, ab hominibus, quibus ita placuit, imposita

sita vox, est articulata: quæ non eadẽ est apud omnes gentes: sed pro varietate gentium diuersa. Sic homo Latinis animal ratione præditum significat: Germanis nihil: & quod Germanis significat: id non significat Latinis. Quocirca nomen nõ tantùm vox significans dicitur: sed etiam ex instituto. per nomẽ enim non gemitus: non latratus: sed consilio hominum impositum nomen intelligitur: vt homo: equus: Petrus: mensa &c. Sed notandum hîc est: vt aptum Enunciationibus nomen sit, recti casus, non obliqui, illud esse debere. additur absque tempore: quâ particula nomen à verbo distinguitur. verbum enim vox quoq; significans est: & quidem ex hominum instituto: sed præter rem etiam tempus designans: idq; vel præsens: vel præteritum: vel futurum: id quod nomen non facit: quod simpliciter rem aliquam designat. Cuius nulla pars separatim aliquid significat. in voce enim ista homo, neq; ho, neq; mo seorsum significat. Et sic de ceteris. Sunt tamen quædam, quorũ partes significare videntur. In prudẽs enim posterior syllaba dens significat: sed nõ aliquid illius: quod integrum vocabulum significat.

Verbum est: quod adsignificat tempus: cuius nulla pars significat seorsum: semperque illorum est: quæ de alio dicuntur.

Definitio verbi ex definitione nominis ferè intelligitur. Quem ad modũ enim partes nominis seorsum

& separatæ nihil totius significant : ita nec partes verbi.in ambulat enim,nec am, nec bu,nec lat, vim habet significandi.Vocat autem Aristoteles verbum illud tantùm:quod præsens tempus denotat: reliqua verò,quæ præteritum & futurum, casus verbi: sicut ante inter nomen & eiusdem casus distinxit. Obseruandum tamen est: omnia & sola indicatiui modi tempora, accommodata esse ad enunciationes constituendas:quippe in quibus verum & falsum locum habet. Quod in definitione dicitur. Verbum est, quod,&c.subintelligendum est: verbum esse vocem: ex instituto significantem : verùm nõ tantùm significantem, sicut nomen: sed simul etiam cum re tempus significantem: siue præsens: siue præteritum: siue futurum. Ambulat nõ rem tantùm quandam significat:puta ambulare:sed etiam tempus quo tempore ista res fiat : præsens scilicet. non sic homo , mensa, domus. Postremò adijcitur : verbum semper ex illorum numero esse : quæ prædicantur : nunquam verò ex illorum : quæ subijciuntur. verbum enim semper attributi, nunquam subiecti: appositi, nunquam suppositi locum tenet.

DE ORATIONE, ET ENVNciatione, enunciationisq; partibus.

CAP. II.

Oratio est vox significans: cuius singulæ par-

tes significant separatim: vt dictio: sed non vt affirmatio, aut negatio.

Orationis partes alio se modo habent: quàm partes nominis & verbi. nominis enim nulla pars seorsum significat: istæ significant. ratio est: quia nomen aut verbum vox vnica est: cuius syllabæ separatæ vim nullam habent significandi: oratio autem pluribus vocibus constat; quo fit: vt partes illius separatim significent: cùm quæuis vox vim habeat significandi. homo est animal ratione præditum, oratio est. huius orationis singulæ partes, puta primariæ, id est, singulæ voces integræ (nam syllabas significandi vim non habere diximus) significant. Hæc tamē partium orationis significatio vnius tantùm dictionis, siue nominis, siue verbi: non autem affirmationis, aut negationis, significatio est. Dictio enim ista homo, significat: sed nihil ait aut negat: ait autem & negat: si verbum vel nomen cum verbo substantiuo adijciatur. vt homo ambulat: homo iustus est.

Est autem oratio duplex: Enuncians: & non Enuncians. Non Enuncians est: in qua verũ & falsum locum nullũ habet: Enuncians verò: cui verum & falsum inest.

Oratio quidem omnis significat: idq́ ex instituto: sed non omnis enunciat. Est enim & imperans: & prohibens: & optans: & interrogans oratio: v g. Dicite Pontifices in templo quid facit aurum?

sed

ſed oratio iſta Enunciatio non eſt : cùm Enunciatio omnis verum aut falſum contineat. In omni enim Enunciatione aliquid de aliquo dicitur: hoc eſt, affirmatur, vel negatur : idq́ vel verè vel falsò. Reliquæ igitur orationes ad nos nõ pertinent: ſola Enuncians præſentis eſt contemplationis.

Enunciatio porrò rurſum duplex eſt : alia ſimplex : alia coniuncta. ſimplex eſt vox ſignificans: circa illud quod ineſt, vel non ineſt: prout tẽpora diuiſa ſunt. Coniuncta: quæ ex duabus ſimplicibus conſtat.

Quam Ariſtoteles ſimplicem Enunciationem vocat : eò quòd vnica ſit : vnico ſcilicet ſubiecto & prædicato conſtans : eam alij categoricã, hoc eſt, prædicantem vocarunt: reſpectu ſcilicet hypotheticæ: quòd ſimpliciter & directe aliquid de aliquo, vel ab aliquo enunciet: non cum conditione : vt hypothetica facit: cõiunctam verò ſiue compoſitam quam idcirco compoſitam Ariſtoteles dixit, quòd ex duabus ſimplicibus conſtet, hypotheticam anguſtiori paulùm vocabulo appellarunt. Hypothetica enim à ſupponendo dicitur: eo quòd aliquid ponat : nihilq́ niſi cum conditione aſſeueret: eſtq́ propriè illa Enunciatio: in qua per coniunctiuam particulam ſi, pars altera prius ponitur, altera deinde infertur: quæ neque affirmatur: neque negatur: niſi parte priori poſita: v. g. ſi aſinus volat: habet pennas. Compoſita verò latius pa-

tet. quàm hypothetica: continetq́ sub se tres species: hypotheticam: disiunctam: copulatam. De Hypothetica iam dictum est. Disiuncta est: quando duæ categoricæ enunciationes componuntur, per disiungentem particulã vel siue aut: vt, aut bene erit aliquando bonis, aut Deus iniustus est: Copulata: quando componuntur per particulam copulantem: vt, electi saluantur, & reprobi damnantur. Singulæ verò harum trium specierum, hypothetica, disiuncta, copulata, vt liquet, duabus categoricis constant: verumq́ & falsum singulæ continent.

Sed missa composita: de simplici & categorica ordine disseremus. Eam Aristoteles duobus modis definit. & duobus etiam diuersis nominibus nominat.

Cap. 5. In libro de Interpretatione ἀπόφανσιν appellat: quod nos vertere possumus Enunciationem, enunciatum, pronuntiatum: quamuis duo posteriora rem potius quæ enunciatur quàm modum enunciandi significare videantur: quod ipsum etiam ferè inter enunciationem & prædicationẽ discrimen est. enunciatio enim solam formam Logicam significat absq́ omni materia: prædicatio verò materiam respicit: prædicatioq́ dicitur: cùm quod prædicatur, subiecto

Cap. 1. reipsa inest. in primo Priorum πρότασιν vocat: quod commodiori nullo, quàm propositionis vocabulo redditur. ἀπόφανσιν ait esse vocem: quæ significet aliquid inesse, vel nõ inesse alicui: idq́ pro ratione temporum: hoc est, vt verbum, quod prædicati locũ tenet,

vel

vel præsentis sit: vel præteriti: vel futuri temporis: sed indicatiui modi (hic enim solus modus est: in quo verum & falsum locũ habet) vtq; vel aliquid subiecto attribuat: vel aliquid ab eodem remoueat. Omnes electi saluantur. enunciatio est: significat saluari inesse electis seu de electis pronunciat, quòd saluentur. Propositionem definit: quòd sit oratio: affirmans vel negans aliquid de aliquo. In neutra definitione veri aut falsi mentionem facit. causa est: quia, sicut in Prioribus Analyt. de nuda Syllogismi forma, absque omni materia agit: ita quoq; in libro de interpretatione solam Enunciationum formam absq; materia considerat. de materia enim Enunciationum in parte demum propria disserit. Quocirca si præceptoris artificium obseruare velimus: veritas & falsitas, quæ ad materiam pertinẽt, Enunciationis definitioni inserenda non erit. Potest igitur Enunciatio in hunc quoq; modum definiri: quamuis optima sit definitio Aristotelica: Enunciatio est oratio indicatiua: vnica & integra: affirmans vel negans aliquid de aliquo. Est oratio: quia vox est significans: cuius singulæ partes seorsum vim habent significandi. Sed imperans quoque & optans talis oratio est: quocirca loco differentiæ additur: primò: quòd sit indicatiua: hoc est, quòd verbum illud, quod prædicati locum tenet, sit indicatiui modi: cuiuscunque tandem temporis: quo à prohibente, & reliquis perfectis quidem, sed enunciandi vi destitutis orationibus discernitur.

vnica: vnum ſubiectum & vnũ prædicatum habens: ideoq́, vnam ſententiam abſoluens. additur hoc ad differentiam compoſitæ quæ & duobus ſubiectis: & duobus prædicatis conſtat. Integra: ſicut non plures partes habere enunciatio ſimplex debet, quàm ſubiectum vnum, & prædicatum vnum: ita quoq́, partes ſuas omnes habeat, neceſſe eſt: quòd alioquin integram ſententiam non abſolueret. Deniq́, omnis enunciatio vel ait, vel negat: enunciat enim aliquid: idq́, vel de aliquo: vel ab aliquo. Omnes electi vocantur: enunciatio eſt: eſt enim oratio ſignificans. tota hæc oratio ſignificat: & ſingulæ illius partes: tota quidem vt affirmatio: partes verò vt dictiones. Eſt indicatiua: quia verbum vocantur, quod prædicati locum tenet: modi eſt indicatiui. Eſt vnica: quia vno ſubiecto & vno prædicato conſtat: vnicamq́, ſententiam abſoluit. Eſt integra: quia omnes ſuas partes habet integramq́, ſententiam abſoluit. ait & enunciat aliquid de aliquo: de electis quòd vocentur. Sic omnes vocati iuſtificantur: omnes iuſtificati glorificantur. &c.

Partes Enunciationis duæ ſunt: nomen & verbum: ſeu ſubiectum & attributum. Subiectum eſt nomen illud recti caſus: de quo aliquid dicitur: attributum: verbum eſt, ſiue nomen etiam: quod de nomine illo enunciatur.

Partes Enunciationis essentiales & necessariæ duæ sunt. Subiectum & attributum: siue nomen & verbum. Copula pars necessaria non est: quod liquet: quia aliquando actu non ponitur. Sunt autem nomẽ & verbum, subiectum & prædicatum idem τῷ εἶναι): differunt τῷ λόγῳ. Nomen vocantur & verbum: quâ seorsum & extra enunciationem ponuntur: vt, Pompeius: vicit. Subiectum verò & prædicatũ: quatenus nomen iam subijcitur: vt de eo verbum prædicetur: vt, Pompeius vicit. Nomen igitur & verbum absolutè: subiectum & prædicatum cum respectu, quem inter se & ad totam enunciationem habent, dicuntur. suntq; in summa nomen & verbum, vocabula Grammatica: subiectum & prædicatum Logica. Verbum porrò nunquam subiecti, sed semper prædicati locum tenet: nomẽ verò aliquando etiam prædicati locum occupat: ita tamen: vt verbum sibi substantiuum adiunctum habeat: quo intercedente, cum priori nomine copulatur: quæ causa est: cur verbum istud copula nuncupetur: vt Deus est iustus.

Notandum hîc est: licèt duæ tantùm sint, teste secundum Aristotelem Auerroe, enunciationis partes necessariæ non omnes tamen enunciationes duabus tantùm aut tribus vocibus absolui. aliquando enim vnica Enunciatio simplex (de hac enim in præsentia loquimur) octo & pluribus vocibus constat: v.g. omnes lineæ rectæ à centro ad circumferentiam circuli ductæ, æquales sunt. nulli verè credentes de- 1. prior. cap. 1.

ficiunt: ita, vt veritati prorsus renuncient: vtq; impœnitentes moriantur atque damnentur. Hic multæ voces sunt: duæ tamen solùm partes necessariæ, subiectum & prædicatum: vt in priori Enunciatione, lineæ sunt æquales: & in posteriori credentes deficiunt: reliqua omnia, quæ inseruntur, descriptio sunt vel subiecti: vel prædicati: vt in priori, verba illa, rectæ à centro ad circunferentiam circuli ductæ, descriptio & explicatio subiecti sunt: in posteriori, vocula illa, verè, subiecto addita, subiecti: reliqua omnia post deficiunt, prædicati descriptio sunt & explicatio.

Partes istius, nomen scilicet & verbum, siue subiectum & prædicatū, Aristoteles terminos vocauit: cùm enunciationem quoq; propositionē appellauit. Differt igitur enunciatio quoq; à propositione: sicut nomen & verbum à subiecto & prædicato. Enunciatio est: per se & absolutè considerata: propositio quatenus ad Syllogismum refertur, & ante conclusionem ponitur. idem igitur sunt reapse. differunt tantùm ratione. Enunciatio est: Omnes electi saluātur: Enunciatio etiam ista est, Omnes verè credētes sunt electi: sed si in formam syllogisticam duas istas enunciationes redigas: conclusionemq; inferas, hoc modo: Omnes electi saluantur: omnes verè credentes sunt electi, g. Omnes verè credentes saluantur: propositiones habes: quia ante conclusionem, tanquam munimentum conclusionis, ponuntur. Hæc causa est: cur

Ari-

Aristoteles πρότασιν non antea vocarit: quàm postquam iam ad tractationem syllogismi accessit. Deducitur enim vocabulum προτάσεως à verbo προτείνω: quod militare est: & clypeum obijcere significat. Quemadmodũ enim milites clypeos suos obijcere solebant ad ictus hostium excipiendos: ita Logicus propositiones, tanquam munimentum conclusionis, obijcit: ad excipiendos ictus aduersarij: ne conclusionem lædat. stantibus enim & concessis præmissis: stat & conceditur conclusio. Ex quibus liquet: non maiorem tantùm: sed minorem etiam propositionem vocari: idq́ eò magis: quòd ad syllogismum vnica propositio non sufficit. Assumtio quidem minor vocari potest: respectu maioris: sub qua assumitur: respectu verò conclusionis, à qua syllogismus nomen habet, non assumtio, sed propositio dici debet: quia ante eam ponitur: velut munimentum illius. Idem planè discrimen inter enunciationem & conclusionem, siue inter propositionem & conclusionem est: propositio dicitur: quatenus ante conclusionem ponitur: conclusio: quatenus ex propositionibus concluditur.

DE

DE DIVISIONIBVS ENVNciationum simplicium.

CAP. III.

I. diuisio.

Enunciationum alia naturalis est: alia contra naturam. Naturalis est: quando id, quod extra animum subest, subijcitur: & quod extra animum inest, prædicatur. Contra naturam: quando id prædicatur, quod extra animum subest: & subijcitur, quod extra animum inest.

1.Post.cõt. com-137. & cõt,148. *Diuisio hæc & ab Aristotele & ab Interpretibus passim traditur. Naturalis est: quæ viam & ordinem naturæ sequitur: estq; naturæ ordo: vt substantia, maximè prima, reliquis omnibus, tam substantijs secundis, quàm accidẽtibus: ijsq; tum communibus: tum proprijs & differentijs substet: Contra naturam: cum hic naturæ ordo inuertitur. Naturalis illa est: homo est animal: homo est ratione præditus: docilis: albus. Contra naturam: animal est homo: album est homo.*

II.

Naturalis rursum duplex est: propria & impropria seu figurata. propria est: quando inter subiectũ & prædicatum affinitas est figu-

figurata: quando inter subiectum & prædicatum naturale dissidium est: quæ idcirco iungi non possunt: nisi per aliquam figuram.

Propria est: quando duo prædicabilia de se inuicem naturaliter dicuntur: Figurata autem: in qua prædicatum cum subiecto non propriè, sed per figuram aliquam, quæcunque tandem illa sit, copulatur: estq́ue disparatorum & pugnantium, Scripturis sacris admodum familiaris. Exempla illius sunt: Petrus est homo: homo est animal, docilis, albus istius, Herodes est vulpes: Christus est via: ostium: panis: panis Eucharisticus est corpus Christi: petra est Christus. Panis enim verus, & corpus humanum disparata sunt: iungiq́ue naturaliter non magis possunt: quàm Herodes & vulpes: cùm corpus humanũ neque genus sit: neque species: neque differẽtia: neque proprium: neque accidens panis. Ex quo efficitur: corporis de pane Eucharistico prædicationem figuratam esse: cùm omnis prædicatio aut propria sit: aut figurata.

Addunt quidem aliqui tertium modum, inusitatum: quem in illis enunciationibus siue prædicationibus ponunt: quæ sunt de Filio Dei: vt, cum Scriptura dicit: Deus est homo: homo est Deus: Verbum caro factum est: existimantq́ue in istis & similibus enunciationibus prædicationem esse quasi disparatorum: sed non ita Thomas & alij: immò non ita veritas. Sic enim Thomas scribit: Et ideo hoc nomẽ homo vni- (quæst. de vnion. verb. incar. art. 2. resp. ad 4.)

vniuocè dicitur de Christo & Petro: quia vtrobique significat vnam naturam, scilicet humanam: compositam ex anima & corpore: sed in Christo supponit suppositum æternum: quod non supponit in Petro. *Hæc Thomas. Et sic res habet. in istis enim, quæ sunt de Christo, Dei filio, enunciationibus, siue Deus, siue homo subijciatur, semper τοῦ λόγου ὑπόστασις supponitur: & de ea prædicatum enunciatur: sed homo ratione carnis assumtæ: Deus respectu Verbi assumentis. Itaque nihil disparatum hic: nihil inusitatum cum eiusmodi locutiones in Scripturis sint vsitatæ: & si hæ inusitatæ dicendæ essent: etiam figuratæ inusitatæ forent: quãdo inusitata enunciatio aliud reuera nihil est, quam impropria. Omnis igitur naturalis enunciatio, vel propria est. vel impropria & figurata.*

III.

Propria in binariam & trinariam subdiuiditur. illa est: quę duabus vocibus, nomine & verbo constat: hęc: quę ex tribus vocibus, verbo scilicet substantiuo, & duobus nominibus conflatur.

1. prior. c. 1. in epitom. in lib. de interp. ca. 4. *Hæc quoque diuisio Auerrois est. Omnis enunciatio, vt suprà dictum est, duabus essentialibus partibus indiget, subiecto & prædicato. v. g. Pompeius vicit. Plurimæ tamen tribus absoluuntur: quod sit, cum prædicatum nomen est. tum enim verbo substantiuo*

indi-

indiget: quod tertio loco adijcitur: & pars quædam prædicati est: quæ causa est: cur Aristoteles dicat: verbum illud προσκατηγορεῖσθαι, vt Deus est iustus.

IIII.

Vtraque & binaria & trinaria, in affirmantem & negantem tribuitur. affirmans est: quæ aliquid de aliquo enunciat: negans: quæ aliquid ab aliquo enunciat.

Enunciationem suprà definiuimus, vocem esse significantem aliquid vel inesse, vel nō inesse. ait igitur vel negat omnis enunciatio: ideoq; rectè in affirmantem & negantē tribuitur. Affirmationem Aristoteles ἀπόφανσιν τινὸς κατὰ τινὸς esse dicit: quæ aliquid de aliquo enunciet: negationem verò ἀπόφανσιν τινὸς ἀπὸ τινὸς: quæ aliquid ab aliquo enunciet. affirmans igitur enunciatio est: quæ aliquid de aliquo enūciat: hoc est, quæ prædicatū subiecto inesse eiq; competere enunciat: siue quæ prædicatū subiecto attribuit: vt electi vocantur: Deus est iustus. negans verò, quæ aliquid ab aliquo enunciat: hoc est, quæ dicit: prædicatum subiecto non inesse, eiq; non competere: siue quæ prædicatum à subiecto remouet: idq; particula negante, conueniente loco posita: v.g. Reprobi non saluantur. Deus nō est prosopoliptis. Ponitur autem negans particula conueniente loco: cùm prædicatum à subiecto verè remouet: remouet: cùm in binaria enunciatione ipsi prædicato seu verbo apponitur, de Interpret. ca. 6.

ponitur, & præponitur: in ternaria verò non prædicato, sed copulæ. v.g. Iudas prodidit Christum: Iudas non prodidit Christum. Christus est saluator mundi: Christus non est saluator mundi. Ista verò, Christus est non saluator mundi. & similes, non negant sed aiunt, ratio mox explicabitur.

V.

Affirmans in finitam & infinitam distinguitur. finita est: quæ finitum & certum quid de subiecto enunciat: infinita: quæ infinitum & interminatum quid enunciat.

Exempla finitæ sunt, homo est animal: Deus est iustus: Christus est saluator mundi: infinitæ, homo est non doctus: Christus est non saluator mundi. videntur istæ negare: cùm tamen affirment: sed incertum & interminatum quid: quæ causa est: cur infinitæ dicantur. Vt particula negandi verè negantem enunciationem constituat, necesse est: vt in binaria quidem, quemadmodum paulò antè diceba-mus, ipsi attributo proximè præponatur in ternaria verò, non prædicato, sed copulæ. Ratio est: quia verbum, non nomen, vim habet aliquid certi asseuerandi, verumq; à falso diuidendi. Cum igitur in binaria attributum verbum sit: necesse est vt verè negans sit enunciatio, particulam negandi ipsi attributo præponi: v.g. Iudas prodidit Christum: Iudas non prodi-

dit

dit Christum. si dicas, Iudas prodidit non Christum: affirmatio non negatio est: quia aliquid incertum & infinitum affirmas: quia verbum prodidit absq; particula negandi ponitur. Sic in ternaria se res habet. Quia enim tam prædicatum, quàm subiectum nomē est: idcirco neutrum vim habet asseuerandi: quam ob rem tertia copula adijcitur: quæ aliquid asseueret: verumq; à falso, teste Aristotele, diuidat: v. g. huius enunciationis, heretici sunt astuti, verè negans ista est, hæretici non sunt astuti. si dicas, hæretici sunt non astuti: ais nō negas. verbum enim substantiuum affirmat: sed nō illud prædicatum quod exprimitur: cùm adiunctam particulam negantem habeat: sed aliud: quod non determinatur. Talis igitur enunciatio non negans est, sed affirmans: affirmans scilicet infinita.

de interp. cap. 6.

VI.

Vtraque verò rursum, tam negans, quàm affirmās, in vniuersalem, particularem, indefinitā & singularem tribuitur. vniuersalis est: quæ signum vniuersale additum habet, particularis: quę particulare: indefinita: cuius subiectū terminus quidem cōmunis est: sed sine signo positus: singularis: cuius subiectum nomē est singulare, siue proprium: indiuiduum aliquod designans.

Diuisio enunciationum hæc est ratione quantitatis. Signa vniuersalia sunt eaq́; affirmantia: omnis, quilibet, quisquis, quicunque, & qui, pro quicunque positum: negantia, nullus, nemo, nihil: & aduerbia, nunquam, nusquam. Quandocunq; igitur subiecto enuntiationis aliquod istorum signorum præponitur, vniuersalis est enunciatio: si signum affirmans: vniuersalis affirmans: si negans: negans: v.g. Omnes electi saluantur: Nulli reprobi saluantur. Signum hoc non efficit enunciationem vniuersalem: sed indicio est: eam vniuerse vsurpari quæ causa est: cur signũ appelletur. Signa particularia sunt: aliquis, quidam, nonnulli, multi, pleriq;, reliqui: Enunciatio particularis: cuius subiecto signum particulare additum est: vt, Quidam credentes deficiunt. Indefinita vocatur: cuius subiectum vocabulum quidem commune est: sed sine signo positum: quo fit: vt enunciatio non sit determinata: neq; vniuersalis: neq; particularis vere: vt anima est immortalis: homo est mortalis: homo est literatus. Respondet tamen, & æquipollet indefinita, si materiam siue rem ipsam, quæ enunciatur, non formam enunciationis respicias, vel vniuersali: vel particulari: vniuersali: si prædicatum de toto subiecto, omnibusq́; quæ sub illo subiecto continentur, enuncietur: quod fit: cùm prædicatum vel genus est: vel differentia: vel proprium: vel tale accidens: quod toti subiecto inest: particulari: cùm prædicatum accidens est commune: atq; ita commune: vt non omnibus,

In hac indefinita enuntiatione, forma enuntiationis spectanda est, non materia; si tamen materiam [illegible] ipsa spectes, [illegible] respondet vniuersali, [illegible] prædicato [illegible] consideratio

bus,

bus, quæ sub illo subiecto comprehenduntur, sed aliquibus tantùm insit: v.g. istæ, homo est animal: homo est ratione præditus: homo est doctrinæ capax: homo est mortalis: vniuersalibus respondent: istæ verò, homines sunt electi, literati, particularibus. Hæc tamen omnia sic accipienda sunt: vt indefinita ab vniuersali & particulari distincta maneat. Est enim species ἀντιδιῃρημένη. *Singularis est: vt, Christus est saluator mundi: Petrus est homo.*

VII.

Singulæ rursus istarum Enunciationum, vel ponunt: vel priuant: siue vt vsitatè appellãtur, vel positiuæ sunt: vel priuatiuę: positiuæ: quarum prædicatum, vel nomen, vel verbum perfectum est: priuatiuæ: quarum prædicatum nomen est, vel verbum priuans.

Ponens siue positiua dicitur: cuius prædicatum formam aliquã, siue rem, & vt loquũtur, positiuum quid significat. vt, Deus est iustus. Ceterum in trinaria prædicatum nomẽ est: & perfectum dicitur: quia formam significat: vt Deus est iustus: in binaria, verbum: & perfectum: quia rem aliquã quæ subiectum perficit, significat: vt Christus redemit Ecclesiam. priuans verò nomen aut verbum est: quod non formam, sed priuationem formæ significat: vt, Socrates est cæcus: Plato ægrotat: infernus est tenebrosus. Diuisio est Auerrois. in Epit. in lib. de interp. c. 4.

Hic verbi substantiui vis notanda est. Existimant aliqui: aliam illius in priuantibus & figuratis: aliam in ponentibus & proprijs enunciationibus potestatem esse: & in his quidem hyparxin significare: in illis verò copulæ tantùm officio fungi. Atqui verbum substantiuum semper substantiuum est: ideoq; semper hyparxin & esse significat: quem ad modum etiã semper quotiescunq; tertio loco adijcitur, copula est: siue enunciatio sit figurata: siue propria. Sciendum igitur est: dißimilitudinẽ enunciationum, si de figuratis enunciationibus sermo sit, neq; in subiecto, neq; in prædicato: cùm eadem subiecti ad prædicatũ, quæ huius ad illud est, ratio sit: neq; etiã in copula: sed in tota prædicatione: hoc est, in respectu prædicati ad subiectum, consistere. Quia enim tale prædicatum cum tali subiecto, disparatum scilicet cum disparato, copulatur: idcirco alia ratione copulatur: quàm si cognatum cum cognato coniungeretur. exemplis rem declaremus. in ista enũciatione: Herodes est *vulpes: subiectum profectò pro illo indiuiduo, de quo* Dominus *loquebatur, accipitur: attributum quoq; non pro signo, figura aut similitudine: sed pro ipsa vulpecula, & bestia illa astuta: copula pro est, nõ pro significat:* Ergóne Herodes *vulpes est naturaliter? nequaquam. in tota prædicatione, qua disparata iunguntur, tropus est.* Herodes *est vulpes, metaphoricè: hoc est: si explicetur, est similis vulpi, natura vulpina præditus. Tales multæ sunt figuratæ enunciationes:*

in

in quibus tropus neque in prædicato, neque in copula poni potest. Talis est: Christus est panis: neque est pro significat accipi potest: neque pro pane signum panis substitui. Sic igitur omnes figuratæ enunciationes explicandæ sunt. Septem boues sunt septem anni hîc tropus neque in solo prædicato: neque in sola copula statuendus est: ideoq; neque pro septem annis typus septem annorum substituendus: neque pro est significat: sed in tota attributione tropus est: Septem boues sunt septem anni: figuratè & metonymicè: quia signo nomen rei signatæ tribuitur: vt de similitudine hîc nihil dicam. Quòd si hoc explices: rectè dicis: septem boues significant septem annos: rectè etiam: septem boues sunt typus septem annorum: sed primò singulorum vocabulorum in se consideratorum propria significatio, & genuina totius enunciationis sententia retinenda est. hoc est, Grammaticè & Logicè iudicanda est: quando nō in omnibus, vt dictum est, illa interpretatio locū habet. Quanta enim cum vtilitate germana hæc explicatio coniuncta sit: ego, vt de me solo dicam, experientia didici. Reuera enim tropum in copula non consistere: ex eo etiam liquet: quia retenta copula siue verbo substantiuo, tropum in attributo ponere possum: v.g. Panis Eucharisticus est corpus Christi: id est. est signū corporis. est, significat est. rursus etiam in attributo non consistere: ex eodem planū est: quia tropum in copula ponere possum: attributo eodem permanente: panis significat

corpus Christi. Neutra igitur vera est, & prima istius enunciationis interpretatio: licèt vtraq; secundariò vera sit. Primò enim, vt diximus, enunciatio ex Logica est dijudicanda: quæ docet: omnem enunciationem vel propriam esse: vel figuratam; copulamq; semper, quotiescunq; tertio loco adijcitur, copulā esse: ideoq; prædicatum cum subiecto vel propriè, vel figuratè copulare. Sicut igitur illi in ista Domini enunciatione: hoc est corpus: reprehendendi sunt: qui subiectum vitiant: ita quoq; illi, & fortaßis magis culpandi sunt: qui prædicatum corrumpunt: & pro vero corpore signum tantùm & frigidam figuram substituunt: quales illi fuerunt: aduersus quos Paschasius scripsit: qui Bertramum non rectè intellexerunt. Omnino enim verum Domini corpus, & quidem quâ crucifixum est, vt sequentia verba euincunt, de vero pane enunciatur. In tota prædicatione tropus est: quia copula duo disparata coniungit. Panis igitur Eucharisticus est verum Christi corpus. quomodo? non propriè: corpus enim Saluatoris neque genus neque differentia est &c. figuratè igitur siue quòd eôdem redit sacramentaliter. Alia paulò est priuantis enunciationis ratio. ibi enim non prædicati ad subiectum, sed tantùm prædicati ad copulam respectus consideratur. Quia enim verbum substantiuum existentiam significat, ideoq; aliquid ponit: prædicatum verò non existentiam sed absentiam: ideo pugna quædam est. v.g. Plato est cæcus, mortuus. copula aliquid ponit: præ-

prædicatum verò priuat. Sed facilis res est : etiam in istis verbum substantiuum vim suam retinet : ideoq́ʒ aliquid ponit: si non formam vel rem : at rei & formæ priuationem.

VIII.

Vtraq; denuò vel modo prædita est : quam modalem dicunt: vel modo destituta.

Modi quatuor sunt, necesse, poßibile, impoßibile, contingens. Quæcunque igitur enunciatio aliquem ex istis quatuor modis adiunctum habet, modalis dicitur: v.g Necesse est tandem bonis bene esse. Contingens est indoctum fieri doctum. Hæc quoque diuisio Auerrois est. in Epit. cap. 4.

IX.

Modalis denique enunciatio vel necessaria est: vel imposibilis vel posibilis: vel cõtingens. Necessaria est: quæ modum additum habet necessarium: imposibilis: quæ imposibilem; posibilis: quæ posibilem; contingens: quæ contingentem.

Sicut modus quadruplex est : ita quoque modalis enunciatio. v. g. necesse est venire scandala : contingens est pauperem euadere diuitem : poßibile est amicum fieri inimicum : impoßibile est duo contradicentia simul vera esse. Hæc sola modalis enunciationum neceßitas & contingentia huc pertinet : vbi de

sola enunciationum forma præcipitur: illa materiæ alterius est loci. Quòd igitur vulgò duas illas enunciationum partitiones, quibus in veras & falsas: in necessarias contingentes & impoßibiles, pro ratione triplicis materiæ, diuiduntur, vsitatè huc referunt id faciunt non obseruato artificio Aristotelico. Enunciationum sanè alia vera est: alia falsa. vera rursum vel summè vera est & necessaria: vel probabiliter vera: & sicut verum à falso: sic necessarium verum à probabili verò distinguendum est: sed hæc omnia ad materiam pertinent. Vestigijs igitur Præceptoris insistentes, de necessarijs & summè veris, hoc est, de propositionibus per se, & illis ex aduerso respondentibus per accidens & contingentibus, in libro de Demonstratione: de probabilibus in Dialectica: de falsis in Sophistica præcipiemus: de modalibus etiã paulo post, capite peculiari, plura dicturi.

Ceterum ad quantitatem & qualitatem enunciationum facilius dijudicandum, notari hîc potest vulgata illa quærendi formula: quæ, qualis, quanta. Particula quæ, de his tribus in primis quærit, simplex ne sit an composita: naturalis an contra naturam: propria an figurata: qualis de qualitate. est autem qualitas enunciationum, quòd vel affirment vel negent: quanta de quantitate: quantitas consistit in signis. Verbum erat Deus, quæ, qualis, quanta? enunciatio simplex: naturalis: propria: affirmans: singularis. Verbum enim siue λόγος secundam Trinitatis

per-

personã designat, Deus est homo, Quæ, qualis, quanta? simplex: naturalis: propria : affirmans: singularis. Nulli reprobi saluantur. Quæ, qualis, quanta? simplex: naturalis: propria: vniuersè negans: Iohannes est Elias, Quæ, qualis, quãta? simplex: naturalis, figurata : affirmata: singularis. Si credis, saluaberis. Quæ, qualis, quanta? composita: hypothetica: naturalis: propria: affirmãs: singularis. & sic de reliquis.

DE OPPOSITIONE *Enunciationum.*

CAP. IV.

Oppoſitio Enunciationum aliud nihil eſt, quàm pugna quædam inter illas. Pugnãt autem & opponuntur ſibi quinque modis: contrariè: ſubcontrariè: cõtradictoriè: indefinitè: ſingulariter. Cõtrariè opponuntur duæ vniuerſales: quarum altera ait: altera negat: ſubcõtrariè: duæ particulares: altera affirmãs: altera negans: contradictoriè: vniuerſalis affirmans & particularis negans : vel vniuerſalis negans & particularis affirmans : indefinitè: duæ indefinitæ : quarum altera ait: altera negat: ſingulariter : duæ ſingulares: vna affirmans: altera negans.

Quandoquidem omni affirmationi negatio, & huic illa contraria est: idcirco inter enunciationes pugna quædam est, & oppositio. Est autem oppositio duplex: alia simplicium terminorum: alia integrarum enunciationum. de illa libro primo in post prædicamentis diximus: hæc præsentis est instituti. Recensent autē vulgò tres tantùm oppositarum Enunciationum modos: vnum contrariè: alterum subcontrariè: tertium contradictoriè oppositarum: cùm tamen quinque recenseat Aristoteles. Contrariè oppositarum vnica tantùm species est. Tantùm enim duæ vniuersales: quarum altera ait, altera negat: cōtrariè opponuntur. Omnes electi vocantur: nulli electi vocantur. Subcontrariæ dicuntur: quæ sub contrariis comprehenduntur: suntque subcontrariè oppositæ, duæ particulares: quarum altera ait: altera negat: quidam credentes saluantur: quidam credentes non saluantur. Contradictoriè oppositæ, sunt, vt Auerroes loquitur, duorum modorum: hoc est, duplicis generis. contradictoriè enim opponuntur vniuersalis affirmans, & particularis negans: omnes electi saluantur. non omnes electi saluantur: vel quidā electi non saluantur: vtroque enim modo particularis negans effertur: vel è contrario, particularis affirmans, & vniuersalis negans: quidam vocati saluantur: nulli vocati saluantur. Sic igitur duas enunciationū species, quæ ex quantitate oriuntur, habemus: vniuersales scilicet & particulares: quæ tres contradictionis

De interp. cap. 7. & 8.

nis siue oppositionis modos constituunt. Restant duæ reliquæ: indefinitæ scilicet & singulares. duas indefinitas vel ad contrarias, vel ad subcontrarias reuocari, autor est Aristoteles. Licet enim omni signo & nota, siue, vt Auerroes loquitur, clausura & sepimẽto careant: ad alterutras tamen, vel vniuersales, vel particulares, vt idem Auerroes quasi ex ore præceptoris acceptum, docuit, reducuntur. Quæ igitur idẽ cum vniuersalibus valent eæ contrariè opponuntur: quæ idem cum particularibus, subcontrariè. 1. prior. cap. 20. de interp. cap. 5. 1. prior. cap. 20.

Sed obijcitur autoritas Aristotelis: qui expreßè negat: duas indefinitas contrarias esse. Respondemus: Aristotelem solam formam enunciationum absque omni materia ibi considerare. Si igitur formam respicias: reuera indefinita neq; vniuersalis est, neque particularis: ideoq; etiam duæ indefinitæ neq; contrariæ sunt, neque subcontrariæ: sin materiam siue res, quæ indefinitè enunciantur, siue vt Aristoteles loquitur, τὰ δηλούμενα cõsideres: alterutris, vel vniuersalibus, vel particularibus sunt ἰσοδυναμοῦσαι: itáq; vel cõtrarijs vel subcontrarijs annumerantur. de interp. cap. 7.

Quamuis autẽ ad contrarias & subcontrarias indefinitæ reuocantur: quia tamẽ de nuda enunciationũ, vt crebrius monui, forma, non de materia hîc agitur: omnino peculiaris locus indefinitis est aßignandus: quemadmodũ nos præceptorẽ secuti, fecimus. Reuera enim alia est ista enunciatio, si enunciandi formam & modum respicias: homo est mortalis: & alia, si di-

cas: Omnis homo est mortalis. Licet enim altera eandem, ratione materiæ, vim habeat: non tamen certò constat: quo pacto vsurpetur: donec signum vel vniuersale vel particulare adijciatur.

Quinto loco opponūtur duæ singulares, vna aiens, altera negans. His quoq; proprium contradicendi locum cum Aristotele & Auerroe aßignamus. Duæ enim singulares neque contrariæ sunt: neq; subcontrariæ: neq; indefinitæ: neq; etiam, si propriè loquamur, contradicentes: licèt ad contradicentes quàm proximè accedant. Relinquitur igitur: illas propria quadam ratione pugnare: quæ à contradicentium pugna non admodum declinat. e. g. Abraham vidit diem Domini: Abraham non vidit diē Domini. Christus est prior Abrahamo: Christus non est prior Abrahamo. Pugnant ista sine fine: si τὸ ὡσαύτως, κτλ τὸ αὐτὸ & reliqua obseruentur: de quibus suo loco.

de interp. cap. 7. & 8. & in epit. cap. 4.

Proprium est non solùm contradicentiū, sed etiam singulariū: vt semper altera vera sit: altera falsa. Cōtrariæ nunquam quidem ambæ veræ: aliquando verò simul falsæ sunt. Subcontrariæ verò, quem ad modum & indefinitæ, simul veræ inueniuntur.

Quem ad modum contradicentium: ita singularium quoq; semper alterutra falsa est. Duæ contrariæ sicut nunquam simul veræ sunt: ita in materia contingente simul falsæ sunt: vt omnis homo literatus est: nullus homo literatus est: indefinitæ & sub-

con-

contrariæ contra ſimul veræ: vt quidam homo literatus eſt: quidam homo non eſt literatus: homo literatus eſt: homo non eſt literatus. Sub contrariæ igitur in nulla materia ſimul falſæ ſunt: ſed ſicut in contingente materia ſimul veræ ſunt: ita in neceſſaria verum à falſo diuidunt: vt Quidam homo animal eſt: quidam homo non eſt animal. Indefinitarum eadem ratio eſt, ſi materiã ſpectes, quæ contrariarũ & ſubcontrariarum. ad alterutras enim reuocantur.

Sed notandũ eſt: duas indefinitas in materia contingenti ſimul quidem veras, perinde vt ſubcontrarias, cum quibus idem in materia contingenti ſemper valent, eſſe poſſe: ſimul autem falſas in nulla materia inueniri. ratio eſt: quia in materia contingenti, hoc eſt, cùm accidens commune, quod mutabiliter adeſt, de ſubiecto dicitur, ſemper indefinita particulari ἰσοδυναμοῦσα eſt: vniuerſali autem in materia tantum neceſſaria: quando ſpeciei vel genus: vel differentia, vel proprium, vel etiam tale accidẽs attribuitur: quod in proprium quaſi degenerauit: vt eſt mortalitas reſpectu hominis. In hac autem materia verum à falſo ſemper diuidit. Duæ igitur indefinitæ, quotieſcunque vniuerſalibus & contrarijs æquipollent, neque ſimul veræ, neque ſimul falſæ ſunt: cùm verò particularibus: ſemper ambæ veræ ſunt.

Exiſtimare denique aliquis poſſet: duas indefinitas etiam contradicentibus ἰσοδυναμούσας eſſe. Si enim priorem vniuersè: poſteriorem in parte acci-

pias:contradicentes habes:e.c.homo est animal, hoc est, omnis homo est animal: homo non est animal: hoc est, quidam homo. Sed postulat necessitas: vt sicut affirmans in materia necessaria, vniuersè accipitur: ita quoq; negans eodẽ modo accipiatur. Reuera igitur indefinita enunciatio indefinita est, & indisterminata, à ceterisq; distincta. Incertum enim est: quo modo vsurpetur.

Vsus doctrinæ de euunciationum oppositione conspicitur in reductione imperfectorum Syllogismorum, quæ dicitur per impossibile. in illa enim necesse est in promptu habere: quæ quibus contradictoriè opponantur.

DE CONVERSIONE ENVNciationum.

CAP V.

Conuersio Enunciationum est transmutatio subiectiin prædicatum, & prædicati in subiectum: ea: qua vna ex altera verè & ritè consequitur: hoc est, qua fit: vt vtraque enunciatio, & conuertens & conuersa vera sit.

Conuersio in doctrina Aristotelica triplex est: 1. simplicium vocabulorum. sic homo & ratione præditum conuertuntur: sic equus & hinniens: & similia. Sic pater filij pater est: & filius patris filius.

2. enun-

2. enunciationum est: de qua in præsentia: tertia in syllogismis perspicitur: de qua in Analyticis agitur. Conuertere igitur Enunciationem est ex subiecto prædicatum, & ex prædicato subiectum facere. ita enim fit vt tota enunciatio inuertatur. v. g. Nulli verè credentes pereunt: g. nulli qui pereunt, verè credentes sunt. Conuersa dicitur illa prior enunciatio, quæ postea immutatur: conuertens, iam immutata: quia per illam prior conuertitur. Obseruandum autem est: vt ritè inuertatur: vtramque veram esse debere nam si conuertens falsa sit: non conuersio est: sed euersio vt testatur Auerroes. Ita hæc non couersio sed euersio est: Omnis homo animal est. g. omne animal homo est.

li. 2. prior. cap. 8.

1. prior. cap. 2.

Est autem cõuersio triplex: simplex: per accipens: & per cõtrapositionẽ. Conuersio simplex est: quando simpliciter ex subiecto prædicatum fit: & ex prædicato subiectum: manente eadem quantitate & qualitate: Conuersio per accidens: in qua præterquam, quòd ex subiecto prædicatum fit, & ex prædicato subiectum, etiam quantitas mutatur: sola qualitate remanente: Per contrapositionem verò: quando & subiecto & prędicato conuertentis particula negans adiicitur: qua in conuersa vtrunque carebat.

Aristoteles de conuersione propositionum præcipiens duarum priorum tantùm meminit: quòd solæ reductionibus Syllogismorum seruiant: tertia species ab aliјs adiecta est. Simplex igitur cõuersio omnium planißima & facilima est. Conuertuntur simpliciter vniuersalis negans: & particularis affirmans. Nulli verè credentes dãnantur.g.nulli qui damnantur, sunt verè credentes. Quidam hypocritæ sanctè viuunt.g.quidam qui sanctè viuunt: hypocritæ sunt. Quædam voluptas bona est.g. quoddam bonum voluptas est.

1.prior. cap.2.

Ratio cur vniuersalis negans simpliciter conuertatur, est: quia in eo duo contraria siue disparata à se inuicem remouẽtur: quæ nulla ex parte iungi possunt. Ratio cur particularis affirmans sic conuertatur, est: quia quemadmodum subiectum in parte solùm ponitur: ita quoque prædicatum. Particularem verò negantem nõ necesse est ita conuerti. v.g. quoddam animal non est homo. g. quidam homo non est animal. Conuersio per accidens est: in qua non solùm extrema, sed quantitas etiam immutatur; hoc est, ex vniuersali affirmante fit particularis affirmans. Conuertitur hac conuersione vniuersalis aiens: omnes electi vocantur.g.quidam qui vocantur, electi sunt: omnis homo animal est: g. quoddam animal homo est. Ratio istius cõuersionis est: quia genus cum sua specie cõuertitur: cùm attributum vt plurimum communius sit subiecto. Dicitur conuersio per accidens:

dens: quia conuertenda seu prior enunciatio, nō proximè, & per se in suam conuertentem immutatur: sed interueniente alia tertia enunciatione: v. g. ad istam, Omnis homo animal est, non statim & proximè ista sequitur, quoddam animal homo est: sed prius sub vniuersali illa, Omnis homo animal est, sumenda eius particularis est, quidam homo animal est: ad hāc proximè & primò sequitur, g. quoddam animal homo est: secundariò verò ad vniuersalem. Ita vniuersalis illa, Omnis homo animal est, cùm ista, quoddam animal homo est, ex accidente non per se cōuertitur. Conuertitur tamē aliquando etiam simpliciter vniuersalis aiens: cùm scilicet terminis reciprocis constat. Tertia conuersionis species est per contrapositionem: sic dicta: quòd vtriq; & subiecto & prædicato conuersæ subiectū & prædicatū conuertentis contraponatur: quod fit: dum vtrunq; particulam negandi in conuertente additā habet: qua inconuersa vtrunq; carebat. Mutantur igitur in hac cōuersione primùm extrema: deinde qualitas: sola quantitate remanente: hoc est: ex vniuersali aiente fit etiam vniuersalis: sed negans: v. g. omnes verè credentes seruantur: g. quicunq; non seruantur, non sunt verè credētes. Ratio istius conuersionis est: quia de quocunq; genus negatur, & quod vniuersalius est: de eo etiam negatur species, & quod angustius est. Omnis homo animal est: g. quodcunque animal non est: id quoq; homo non est. Cōuertuntur hoc modo vniuersalis aiens, & par-

ticularis negans: vt, Quidam credentes non saluantur: ergo quidam qui non saluantur, non sunt non credentes.

Confert hæc enunciationum conuersio ad imperfectos syllogismos perficiēdos: seu ad reducendum syllogismos secundæ & tertiæ figuræ ad primam.

Conuersionem enunciationum idcirco Aristoteles tradidit: vt illius beneficio syllogismi imperfecti ad primam figuram reduci: atque ita perfici possent: quæ causa est: cur de illa agere voluerit: cùm iam ad tractationem syllogismorum accessisset.

li.1.prior cap.1.

DE MODALIBVS.

CAP. VI.

Enunciatio modalis dicitur: quæ vnum ex hisce quatuor modis adiectū habet: necesse: impossibile: possibile: contingens.

Modi qui verè & propriè modalem enunciationem constituunt, quatuor tantùm sunt: necesse: contingens: possibile & impossibile. Verum quidem est: cùm subiecto aut prædicato adiectiuum aliquod additur, illud etiam quodam modo limitari: vt, cùm dico, homo iustus imperat: iste imperat benè: sed ista de-

scri-

scriptiones potius quædã sunt subiecti & prædicati, quam veri modi. Veri igitur modi quatuor tantùm sunt. Modus autẽ aliud nihil est, quam dictio enunciationem certa quadam ratione afficiens: siue vt Auerroes loquitur, significans qualitatem inuentionis siue dispositionis prædicati cum subiecto: qua scilicet ratione & modo attributum subiecto attribuatur. In quacunq; igitur enunciatione aliquis istorum quatuor modorum inuenitur: illa modalis est enunciatio. siue ab initio: siue in medio: siue in fine modus adijciatur: siue vt nomen: siue vt aduerbium adijciatur. Necesse est venire scandala: scandala venire necesse est: scandala necesse est venire: scandala necessariò veniunt. Necesse fuit Christum tertia die resurgere: Christus necessariò tertia die resurrexit. Iudas Christum necessariò prodidit: Iudas Christum contingenter prodidit: & sic de ceteris. in epit. in lib de int. cap. 4.

Est autem necesse siue necessarium, quod aliter se habere non potest: estq; quadruplicis generis: aliud necessarium necessitate absoluta: vt Deus est iustus, verax: aliud necessitate definitionis: homo est animal ratione præditum: corpus est longitudo, latitudo cum profundo. quæ enim ad naturam & definitionem rei pertinent: ea ex necessitate insunt: quia per se: de qua re in libro de demonstratione plura. Aliud necessarium est necessitate physica: vt ignis necessariò vrit: sol necessariò mouetur. Nota: hæc extraordinario illo modo immutantur: quemad-

modum in pugna Iosuæ & fornace Babylonica accidit: superiora non. illa enim sine contradictione mutari non possunt. sic non potest corpus absq; quantitate esse: aut quantitate quidem præditum: sed non quantitatiuè: vt Scholastici loquuntur. Aliud deniq; necessarium est necessitate consequentiæ siue ex hypothesi: estq; necessitas ex hypothesi: quando aliquo posito, aliud non potest non consequi. Sic Christus necessariò tertio die resurrexit: necessitate ex hypothesi: quia sic erat prædictum. Sic Iudas Christum necessariò prodidit: quia sic à Deo erat definitum. Sic filij Iacobi Iosephum fratrem necessariò vendiderunt: quia voluit Iehoua per illum suo populo consulere. Ceterum necessitas ista non pugnat cum contingentia: (neminem enim cogit:) & nihil absurdi est: idem & necessarium esse: & contingens: diuersarum causarum respectu: necessarium: respectu immoti decreti diuini: contingens: respectu secundarũ causarum, contingenter agentium. Impossibile, Græcis ἀδύνατον, est, quod fieri simpliciter nullo modo potest. Impossibile est Deum mentiri: impossibile est corpus verè humanũ nostris ὁμοούσιον, vbiq; esse: estq; hoc quodam modo oppositum necessario. Possibile, siue τὸ δυνατὸν, impossibili opponitur: & significat quod fieri potest: Contingens verò & impossibili & necessario. possibile est, quod non est impossibile: siue possibile sit & fieri posit necessariò: siue non necessariò. Contingens verò est, quod possibile est, & non impossibile:

ßibile: sed ita poßibile: vt non necessariò fiat: sed liberè. Vtrunq; igitur & τὸ δυνατὸν *&* τὸ ἐνδεχόμενον *mutabile est: sed ita propriè discernuntur: vt poßibile aliquid tunc dicatur: cùm non est: cùm esse poßit: contingens autem: cùm est: cùm non esse posit. Atq; hæc propria* τοῦ ἐνδεχομένου *significatio est. Quocirca Aristoteles* τὸ ἐνδεχόμενον *sic definit:* Voco autē contingere & contingens, quo nō existente necessariò: posito verò quòd insit: nihil propter hoc erit impossibile. *Contingens igitur non fit necessariò: si tamen accidat: nullam propterea datur impoßibile potuit enim vel planè non, vel aliter fieri: v. g. Contingenter mercatores illi Aegyptij, Iosepho in cisterna posito aduentarunt. Contingenter etiam fratres fratrem vendiderunt: si in causas secundas intueamur: potuerunt itaq; non vendere: hoc est, naturaliter apti erant etiā ad oppositum agendum: propter æternum tamen Dei decretum, quod naturam non abolet, nō potuerunt non diuendere. Hæc nō pugnant cum illo quod ante dicebamus. Licet enim contingens & impoßibili & necessario opponatur: nihilosecius tamen vnum & idem contingens esse potest, & necessarium: diuerso respectu. Opponitur enim contingens necessario absoluto, & necessario ex hypothesi: sed quâ contingens: non quâ necessarium est.*

li. 1. prior. cap. 8.

Estque modalis Enunciatio duplex: diuisa

& composita. Diuisa est: cuius prædicatum à subiecto modi interpositione diuiditur: composita: cuius prædicatum à subiecto modi interpositione non diuiditur.

Quando modus Enunciationi categoricæ adijcitur, vel ab initio ante subiectum adijcitur: vel in fine post attributum: vel in medio inter attributum & subiectum, Si in medio: prædicatum à subiecto seiungit: itaque modalem diuisam constituit: sin ab initio aut fine, compositam: quia prædicatum à subiecto modi adiectione non seiungitur: v. g. necesse est scandala venire: vel scandala venire necesse est: composita sunt: istæ verò diuisæ: scandala necesse est venire: vel scandala necessariò veniunt. Videtur ista distinctio necessaria: quia alia coniuncta: alia diuisæ vis est. fit enim non rarò: vt diuisa vera sit: composita falsa: v. g. iustum possibile est esse iniustum: sanum possibile est esse ægrum: hæ veræ sunt: potest enim qui modò iustus aut sanus est, iniustus fieri aut æger: hæ verò, possibile est iustum esse iniustum: possibile est sanum esse ægrum, dicere videntur: ac si iustus & sanus simul quoque iniustus & æger sit: quod falsum est.

Oppositionis paulò alia ratio in modalibus est quàm in ceteris enunciationibus. In ceteris enim negãdi particula verbo apponitur.

ponitur: hîc non verbo, sed modo adijcienda est.

Omnis negatio opposita & contraria est affirmationi: & vice versa. In enunciationibus autem modo destitutis, vt vera sit negatio, particula negans adijcienda est, in binarijs quidem enunciationibus, prædicato siue verbo: in ternarijs copulæ: in modalibus verò non item. Nam si verbo aut copulæ adijciatur: fit: vt affirmatio & negatio de eadem re simul veræ sint: quod fieri nullo modo potest: v.g. possibile est Petrum ambulare: possibile est Petrum non ambulare: possibile est Petrum esse sanum: possibile est Petrum non esse sanum: vtraque vera est. ergo posterior non est vera prioru negatio. Ne igitur impossibile falsum cōcedatur: quod cōceditur: si in modalibus negationem verbo aut copulæ adijciamus (tunc enim vtraque & aiens & negās de eadem re simul vera erit) fatendū est: negandi particulam ipsi modo esse adijciendam: istiusque, possibile est Petrum ambulare, veram negantem esse, non hanc, possibile est nō ambulare Petrum, sed istam, non possibile est ambulare Petrum. Sic isti, possibile est Petrum esse sanum: opposita hæc est: non possibile est, vel non est possibile Petrum esse sanum. Hæ duæ sibi opponuntur, & inter se pugnant. Eadem ratio reliquorum trium modorum est: Contingens est Antichristum depopulari Ecclesiam: non contingens est Antichristum depopulari Ecclesiam. Necesse

est venire scandala : non necesse est venire scandala. ratio, cur negatio modo adijcienda sit, est: quia sicut in enunciationibus ternarijs nõ modalibus, vt secundum Aristotelem docuit Auerroes, copula se habet ad subiectum & prædicatum : ita hîc se modus ad copulam habet. sicut enim in ternaria subiectum & prædicatum res sunt: copula verò additamentũ : verum à falso diuidẽs : ita hîc copula instar rei fit quæ subijcitur: modus autẽ insuper adijcitur: qui verum à falso diuidat. vnde efficitur : sicut ibi negans particula copulæ apponitur : ita hîc modo esse adijciendam.

de interp. cap.16. 1. prior. cap.1.

Oppositæ igitur & quidem contradictoriè oppositæ sunt: possibile est scandala esse: non possibile est scãdala esse : contingẽs est scandala esse: non contingens est scãdala esse: impossibile est scandala esse: nõ impossibile est scandala esse : necesse est scandala esse: nõ necesse est scandala esse: Possibile est scãdala non esse : non possibile est scandala non esse: contingens est scandala non esse : non contingens est scandala non esse: impossibile est scandala non esse : non impossibile est scandala non esse: necesse est scandala nõ esse: non necesse est scandala non esse.

Octo istæ modales oppositiones cõtradicẽtes sunt: qua-

quarum quatuor priores finitæ : quatuor posteriores infinitæ sunt: sequentes enunciationes æquipollentes sunt, seq; mutuò consequuntur:

Poßibile est scandala esse:
Contingens est scandala esse:
Non impoßibile est scandala esse:
Non necesse est scandala non esse.
Non poßibile est scandala esse:
Non contingens est scandala esse:
Impoßibile est scandala esse:
Necesse est scandala non esse:
Poßibile est scandala non esse.
Contingens est scandala non esse:
Non impoßibile est scandala non esse:
Non necesse est scandala esse.
Non poßibile est scandala non esse:
Non contingens est scandala non esse:
Impoßibile est scandala non esse:
Necesse est scandala esse.

Sumitur ista varietas ex varia oppositione: & diuerso particulæ negantis situ. Quatuor autē sunt, vt liquet, modaliū æquipollentiū syzygiæ: quarū singulæ quatuor cōtinent enunciationes: vt ad numerū sedecim sint modales æquipollētes: inter quas talis σχέσις *est: vt quæuis modalis, quocunq; tandē modo prædita, alias tres enūciationes habeat, tribus scilicet reliquis modis præditas* ἰσοδυναμούσας*: v.g. Enūcia-*

tio de posibili, enunciationem habet de contingenti, necessario & imposibili. & sic de reliquis.

Conuersio modalium eadem est, quæ reliquarum enunciationum modo carentium: tantum contingentium, in quibus cõtingens siue τὸ ἐνδεχόμενον propriè accipitur, alia ratio est.

Vniuersalis negans vniuersè & simpliciter conuertitur: vniuersalis & particularis aiens in parte. Particularis verò negans non conuertitur: quemadmodũ suprà de absolutis dicebamus. Necesse est nullum electum perire: g. necesse est, nullum pereuntem esse electum. necesse est omnem hominem esse animal: ergo necesse est quoddam animal esse hominem: necesse est quosdam homines esse iustos: ergo necesse est quosdam iustos esse homines. Contingentium alia ratio est. in illis enim vniuersalis negans non conuertitur vniuersè & simpliciter: licèt particularis conuertatur: de qua re Aristotelem consule.

1. prior. cap. 1. & 3.

Vsus doctrinę de modalibus non in eo tantùm consistit: vt inter necessaria & non necessaria discernere: & quę enunciationes quibus oppositæ æquipollentésve sint, cernere posimus: verùm etiam vt sciamus: quales & quo modo ex illis Syllogismi construantur.

DE

DE SYLLOGISMO
Liber tertius.

Quid terminus sit & quotuplex.

CAP. I.

TErminus est: in quem resoluitur propositio: videlicet prædicatum: & illud de quo prædicatur; siue adijciatur: siue separetur esse, aut non esse.

Propositionem hîc denuò non definimus: ne fortè rudiores turbentur. Quo verò consilio id fecerit Aristoteles: & quo pacto ab enunciatione differat: satis à nobis libro præcedente est explicatum. Nunc de terminis: in quos omnis propositio resoluitur: sicut omnis syllogismus in propositiones. Termini sunt subiectum & attributum. Verbum substantiuum siue copula terminus non est: quia pars necessaria non est ad constituendam propositionem, sicut subiectum est & attributum; cùm multæ propositiones inueniantur: in quibus copula actu non continetur. Quocirca in definitione dicitur: siue adijciatur: siue separetur esse aut non esse: hoc est: siue copula tertio loco, subiecto & prædicato, vt in ternarijs fit adijciatur; siue non adijciatur: vt in binarijs: tamen prædicatum solum & subiectum termini sunt: id quod ex eo etiam perspicitur. Terminos Aristo-

teles vocauit subiectum & attributum ob similitudinem. Quem ad modum enim termini agrorum aut regionum, extremitates illæ sunt: quarum altera principium est: altera finis: spatium illud intermedium intra se concludentes: quod vltra illas non producitur: sicut terræ sanctæ termini Dan & Berseba fuerunt: quibus tota regio Israëlitica concludebatur: ita subiectum & prædicatum propositionis duo extrema sunt: propositionem vtrinque terminantia.

Sicut autem propositionem: ita quoque terminos tunc demum Aristoteles appellauit: cùm ad syllogismi tractationem accessit. Causa est: quia, sicut propositio, ita termini quoque respectum ad syllogismum habent.

Liquet ex his: inter terminos & extrema discrimen quoddam esse. Termini vocantur subiectum & prædicatū alicuius propositionis: tam minoris: quàm maioris: & tam medio quàm duobus extremis hæc termini appellatio competit: cùm nulla detur propositio: in qua non medius terminus vel subijciatur, vel prædicetur: extrema verò tantùm subiectum & prædicatum conclusionis: idque respectu medij termini: qui medium in prima figura locū obtinet: maioreque extremo angustior: minori communior est.

Liquet etiam: nomen & verbum quadruplicem appellationem obtinere. primò nomē & verbum vocantur: deinde subiectum & prædicatum: tertiò termini: quartò extrema. Prima appellatio Grammatica

tica est: & instar proprij nominis: reliquæ tres Logicæ & officij, siue dignitatis. alteram sortiuntur respectu enunciationis, duas extremas ratione syllogismi.

Sunt autem termini tres: maior, minor: medius. Maior est attributum quæstionis. dicitur maior: quia minorem sub se cōplectitur. minor est subiectum quæstionis. dicitur minor: quia sub maiori continetur. Medius est ratio siue argumentū illud: quod ad probandam quæstionem, prædicatū scilicet subiecto vel inesse, vel non inesse assumitur. dicitur medius: virtute & situ.

Medium quoque, terminum appellari: & idcirco tres terminos esse: tum ex suprà dictis: tum ex Aristotele manifestum est. Ceterum quis & cur maior vel minor terminus dicatur, in contextu satis explicatur. Medium duabus de causis dici: virtute scilicet & positione, ex Aristotele colligimus. Virtute medius dicitur: quia illius virtute conclusio colligitur: hoc est: quia causa est: qua intercedente media inter subiectum & prædicatum quæstionis, prædicatum cum subiecto illo vel cohærere vel non cohærere monstratur. Atque hoc pacto medius in omnibus tribus figuris est. θέσει verò & positione medius dicitur: quòd medium inter subiectum & prædicatum lo-

1. prior. cap. 2.

2. post. c. 1. 1. prior. cap. 2.

cum obtineat. Tria enim in Syllogismo loca sunt: primus seu supremus: infimus siue tertius: & medius. primum locum ille terminus occupat: qui in neutra propositione subijcitur: sed qui in vtraque prædicatur: tertium: qui in vtraque subijcitur: medium: qui in altera subijcitur & in altera prædicatur. Hoc pacto in sola prima figura medius est.

Medium terminum aliqui argumentum appellare malunt: sed id faciunt: non obseruato artificio Aristotelico: Medium enim vocauit non solùm ob vim & virtutem: sed vel in primis propter situm. hoc verò argumenti vox non innuit. Deinde medium vocauit, quicquid ad probandam quæstionem tertio loco assumitur: siue verum sit: siue falsum. formam enim syllogismi solam absque materia considerauit. argumentum autē non nisi illam rationem declarat: quæ fidem rei dubiæ facit. Denique argumentum est, & dicitur tam extra syllogismum: quàm in syllogismo: medium verò extra duo extrema & idcirco extra syllogismum locum nullum habet.

Argumentum etiam & argumentatio differunt: sicut totum & pars. argumentum enim ratio illa dicitur: quæ ad quæstionis alicuius probationem assumitur: argumentatio verò tota illa oratio est: quæ ex argumento cum quæstione coniuncto constat.

DE

DE SYLLOGISMO QVID & quotuplex sit.

CAP. II.

Syllogismus est ratio: in qua positis quibusdam diuersum quid à positis, ex necessitate accidit: eò quòd hæc sunt.

Constituunt aliqui argumentationem genus: eiq; species quinque subijciunt, Syllogismum, Inductionem, Enthymema, Exemplum, & Soriten. sed hoc Peripateticorum placitis & ipsius rei veritati non parum aduersatur. Vis omnis concludendi, vt mox docebimus, ex dicto de omni & de nullo pendet: hæc autem duo principia Syllogismos primæ figuræ constituunt: ad quos omnes tum syllogismi, tum argumentationes reducendæ sunt: vt in illis appareat naturalis illa consequentiæ necessitas: quæ per dictum de omni & de nullo significatur. Quemadmodum igitur omnis argumentatio idcirco concludendi vim habet: quia vis dicti de omni aut de nullo in ea latet: præter quam nulla datur inferendi necessitas: ita quoque idcirco concludit: quia syllogisticam concludendi necessitatem habet: cùm vis syllogistica & dicti de omni aut de nullo eadem sit. Si igitur formam respicias: differt inductio aut enthymema à syllogismo: sin concludendi necessitatem: inductio Syllogismus est: quem virtute continet. Atque hæc causa

est: cur omnis concludendi vis syllogistica nuncupetur. Hoc significauit Aristoteles: & cùm scripsit: omnem fidem, siue omnem fidei faciendæ rationem per aliquam ex tribus figuris fieri debere: hoc est, potestate, licèt non actu, syllogismum esse: ideoq; ad figuram & modum reduci posse: & cùm se totius artis Logicæ, secundum Deum, primum inuentorem & conscriptorem appellare volens, ait: se primum de syllogismo præcepisse: syllogismi nomine ceteras argumentationes omnes complectens. Genus igitur commune istis omnibus aßignari nō potest: idq; hanc etiam ob causam: quòd syllogismus tantùm & inductio ad Logicum pertinent: reliqua verò ad Rhetorē: nihilq; aliud sunt Enthymema & Exemplum: quàm syllogismus & inductio Rhetorica.

2. prior. cap. 23.

Sophist. Elench. lib. 2. c. 9.

Ad syllogismi igitur definitionē accedamus: quæ vt plenius intelligatur: primùm vis Græci vocabuli notanda est. Syllogismus à συλλογίζεσθαι est: συλλογίζεσθαι ἀπὸ τῆς συλλογῆς: quod collectionē significat: quia in syllogismo collectio fit: non collectio propositionum (sic enim syllogismus omnis oratio esset: in qua enunciationes colliguntur: & quæ ex enunciationibus constat:) sed rationis: quæ colligi dicitur: cùm conclusio infertur. A conclusione igitur non à præmißis nomen syllogismus habet: quæ causa est: cur conclusio crebrius syllogismus ab Aristotele nuncupetur: vtpote forma & præcipua pars syllogismi: de qua re mox plura. Syllogismus enim discursus, vt sic perspicui-

ſpicuitatis cauſa appellem, mentis eſt: quo à noto ad naturaliter ignotum tranſit & diſcurrit qui naturalis quidem eſt: ſed arte, h.e. præceptis perficitur: & ſic perfectus opus Logici eſt.

Ex quo luce meridiana clarius liquet: concluſionem ſyllogyſmi partẽ eſſe: idq́ eò magis etiam: quòd λόγος *in ſyllogiſmi definitione non orationem ſed rationem, ſiue diſcurſum illum, vt iam iamq́ dicemus, ſignificat: qui ſine concluſione conſiſtere nequit. Simul liquet: eos, qui concluſionem ſyllogiſmo colligi pro effici dicunt, non malè loqui: cùm, vt dictum eſt, collectio in ea rationis fiat. Hæc de vocis notatione.*

Definitio, quam poſuimus, Ariſtotelis eſt, in pri- cap.1.
mo Priorum. Verba illius ſunt: συλλογισμός ἐστι λό-
γος· ἐν ᾧ τεθέντων τινῶν ἕτερόν τι τῶν κειμένων ἐξ
ἀνάγκης συμβαίνει· τῷ ταῦτα εἶναι. *Eade defini-* cap.1.
tio in primo Topicorum repetitur: niſi quòd pro extremis illis verbis, τῷ ταῦτα εἶναι, *iſta ponãtur,* διὰ τῶν κειμένων: *ſenſu prorſus eodem. Genus igitur ſyllogiſmi ratio eſt, h.e. diſcurſus ſiue tranſitus à noto*
ad naturaliter ignotum. λόγος *enim, vt ex multis* lib.1.Poſter.cõt.1.
Ariſtotelis locis colligitur, & a quo nomẽ Logica ha- & 2 Poſt.
bet, cùm argumentationi tribuitur, non ſermonem cont. 107.
aut orationem, ſed tranſitum illum ſignificat à noto & alibi.
ad ignotum: quem etiam ſignificant διάνοια *& ſyllogiſmus.*

Etſi verò ſyllogiſmo propriè rationis & διανοίας: *nomẽ competit: qui ſolus à noto ad naturaliter igno-*

tum transit: tamen quia reliquis etiam ratiocinandi formis tribui quodam modo potest: idcircò quinque differentiæ adijciuntur: quæ simul omnes sicut omni: ita soli competunt syllogismo. Prima est: ἐν ᾧ τινῶν: *in qua ratione quædam sunt: altera:* τεθέντων: *h.e, non tantùm sunt: verùm etiam certo quodam modo posita: tertia:* ἕτερόν τι τῶν κειμένων συμβαίνει: *diuersum quid, non à syllogismo cuius pars nō sit, sed à positis , siue quibusdam illis quæ in syllogismo seu ratione principij loco posita sunt, accidit, & sequitur: quarta:* ἐξ ἀνάγκης, *necessariò: extrema* τῷ ταῦτα εἶναι: *eò quòd hæc sunt: siue per & propter illa, quæ posita sunt.*

Primùm igitur quædam non vnum tantùm requirit: quia ad syllogismum vnica propositio non sufficit: & sicut vnica non sufficit: ita quoque plures duabus esse nequeunt: vt suo loco demonstrabimus. Cur igitur, inquies, Aristoteles non expreßè dixit, positis duabus propositionibus? Quia nō duas tantùm propositiones, sed simul etiam tres terminos voce quibusdam innuit. Omnis syllogismus bonus in figura est & modo. Vtrunque igitur, & quidem primò figuram in definitione syllogismi respexit. Est autem figura terminorum dispositio: sicut modus propositionum. Non debuit igitur, nec potuit Aristoteles aliter loqui.

Deinde non solùm duæ sunt propositiones siue tres in syllogismi termini: verùm etiam positi: hoc est,

certo

certo & legitimo modo dispositi: in figura & modo: vt præcipietur : vt scilicet medius terminus vel in vtraque propositione prædicetur : vel in vtraq; subÿciatur: vel in maiori subÿciatur, & in minori prædicetur: non autem vt in minori subÿciatur, & in maiore prædicetur : & quæ sunt huic similia. τεθέντα igitur & κείμενα promiscuè vsurpat: illisq; aliud nihil intelligit Aristoteles : quàm legitimam terminorum & propositionum dispositionem. Alÿ τεθέντα concessa interpretantur : sed duæ me rationes ab ista interpretatione, quæ Auerrois etiam est, auocant: altera : quia syllogismum in genere Aristoteles definit: non tantùm Dialecticum: cuius propositiones rogabantur & concedebãtur: (Demonstratiui enim propositiones non rogantur: sed sumuntur : quia necessariæ:) altera: quia in Prioribus Analyticis nudam formam, nudumq; syllogismum, abstractum ab omni materia, considerat. conceduntur autem vel nõ conceduntur propositiones: quia vel veræ vel falsæ sunt: verũ autem & falsum ad materiam pertinẽt : quam ob causam illorum mentionem nullam fecit : cùm propositionem definiuit. Accedit tertia. si per quædam non tantùm propositiones, sed termini quoque intelligendi sunt : locum nullum habet ista interpretatio: cùm termini quæsiti neque rogentur neque concedantur.

3. Igitur est : diuersum quid à positis : hoc est, conclusio. Conclusio enim est & esse debet di-

uersa à propositionibus: idq́ propterea: quia nihil ad sui ipsius probationē assumitur: propositionesq́ notiores esse debent conclusione, quæ per illas probatur: cùm ignotum per notius demonstretur. diuersa igitur est conclusio à propositionibus: vt ex quouis syllogismo liquet: forma: non materia. res eædem ex quibus conclusio constat, in præmißis duabus continentur: sed non eodem modo dispositæ, vt in conclusione: cuius rei causa est terminus medius interueniens. Prudenter igitur Aristoteles conclusionem non conclusionem, sed diuersum & aliud quid à propositionibus appellauit: vt scilicet & principij petitionem excluderet: & simul tacitè innueret: propositiones notiores esse debere conclusione. Alioquin conclusio inferri potest: quæ non legitima est conclusio: siquidem alterutra propositionum concludi potest. Diuersum *igitur dixit Aristoteles.*

4. Ex necessitate: *hoc est, neceßitate formæ, non materiæ: qua particula syllogismus non solùm à falsis illis syllogismis, in quibus promiscuè iam affirmatio, iam negatio concluditur: sed ab hypotheticis etiam distinguitur: qui precariò solùm obtinēt quod obtinent.*

1. Prior. cap. 1. 5. Eò quòd hæc sunt: *hoc est, vt ipse seipsum Aristoteles interpretatur: vt conclusio propter posita tantùm sequatur: nulloq́ extrinsecus termino indigeat ad inferendum necessarium: hoc est: vt termini illi siue duæ propositiones causæ sint necessariæ consequen-*

sequentiæ: non indigentis alio præterea termino: cuius adminiculo cõclusio necessariò consequatur: quasi dicat: non satis est: vt in syllogismo quædam sint: vt legitimè disposita sint: vt diuersum quid à positis cõsequatur: vt ex necessitate consequatur: sed etiam vt per & propter illa tantùm, quæ posita sunt, consequatur. Occurrit Aristoteles vltima hac particula exceptioni illi: quæ contra quartam particulam fieri posset. Syllogismus ex necessitate colligit: atqui etiam enthymema & inductio necessariò colligũt: cùm vim inferendi syllogisticam habeãt: ergo syllogismus sunt: etiam formæ, de qua hîc agitur, respectu. Respondet Philosophus: illa quoque necessariò colligere: sed virtute syllogismi: ad quem reuocantur: id quod fieri non potest: nisi aliquid adijciatur: de quo suo loco dicemus. Definitio hæc hoc modo explicata omni & soli syllogismo conuenit: ideóq; bona est. Qui postremam definitionis particulam, eò quòd hæc sunt, *omittit: loco perfectæ imperfectam adfert definitionem: syllogismumq; cum illis ratiocinationibus confundit: quæ potestate solùm concludendi vim habent. Qui contra hanc Aristotelis definitionem illam Virgilianam tempestatis descriptionem obijcit: Venti incubuêre mari: crebris micat ignibus æther: densi funduntur ab æthere nimbi: g. tempestas est: quasi hic &* λόγος *sit: & quædam posita: & aliud siue diuersum quid ex necessitate sequatur: eò quod hæc sunt: is & quid* λόγος *sit ignorat: quod etiam ignorauit: qui*

illius loco διάνοιαν posuit: & Sophistā agit. non enim materiam, sed solam formam, abstractam ab omni materia, in Prioribus Analyticis, Aristoteles considerauit: ideoq́ non de materiæ, sed formæ tantùm necessitate locutus est: nec quemuis situm, sed legitimam solum terminorum dispositionem intellexit. Optima igitur definitio Aristotelis est: quia sophismata contraria dissoluere potis est: quæ non postrema bonæ definitionis virtus est.

Est autem syllogismus duplex: perfectus & imperfectus. perfectus est: qui nullo alio eget, præter ea, quæ sumta sunt: vt appareat necessariũ: imperfectus: qui vel vno: vel pluribus eget: quæ necessaria quidem sunt, per suppositos terminos: nõ tamen sumta sunt per propositiones.

Syllogismus ratione materiæ, in Apodicticũ, Dialecticum, & Sophisticum distinguitur. sed de ea in præsentia nõ agitur. de forma quæstio est: & quidem de formæ perfectione, quò ad nos: qualis scilicet nobis esse videatur. Omnes quidem syllogismi, cuiuscunq́ figuræ & modi sint, figuræ tamen & modi vtilis, necessario concludũt: necessitatemq́ consequentiæ habent: sed in aliis manifesta est, omnibusq́ perspicua ista necessitas: quales sunt syllogismi primæ figuræ: qui idcirco perfecti dicuntur: in aliis latet, & non

ita cõspicitur: quales sunt syllogismi secundæ & tertiæ figuræ: qui idcirco imperfecti nominantur: quia perfectione indigent: non vt fiant necessarij: sed vt necessitas eorum conspicua fiat: quæ causa est: cur Aristoteles in descriptione perfecti & imperfecti syllogismi nõ dixerit, προσδεόμενον ἄλλου πρὸς τὸ γενέσθαι τὸ ἀναγκαῖον· sed πρὸς τὸ φανῆναι τὸ ἀναγκαῖον. Perfectus igitur nulla planè perfectione indiget: imperfectus indiget: ad eamq́ue vel vnum tantùm: vel plura requiruntur. Vno tantùm opus est, ad syllogismum imperfectum perficiendum: quando sola conuersio sufficit: vt fit in Cesare: pluribus: quando & conuersio & transpositio propositionum requiritur: vt fit in Camestres: & modis alijs: in quibus & transpositione & duplici conuersione opus est. Quod deniq; subijcitur: ista necessaria quidem esse per suppositos terminos, non tamen assumta esse per propositiones: eo significatur: in reductione imperfectorum syllogismorum ad perfectos, eosdem quidem terminos remanere: sed non easdem propositiones: quippe quæ conuertuntur: illasq́ue in quas priores conuertuntur, potestate & re ipsa in prioribus contineri: licèt non ita assumtas & formatas: quales postea per conuersionem & transpositionem efficiuntur. Ratione igitur terminorum ibi sunt: non propositionum.

1. Prio. c. 1.

DE PARTIBVS SYLlogismi.

CAP. III.

Partes syllogismi tres sunt: propositiones duæ, & conclusio.

Quòd neque plures, neque pauciores, quàm duæ in syllogismo propositiones sint, mox ostendemus. Conclusionem verò partem syllogismi esse, non solùm è syllogismi definitione liquet: sed ex eo etiam: quòd propositiones, vt Aristoteles docuit, materiæ: conclusio formæ rationem habet: in primis verò ex dicto de omni & de nullo manifestum est. Accedit huc: quòd syllogismus à conclusione, vtpote forma sua nomen habet: quòd in ea collectio fiat: quæ causa est: cur Philosophus conclusionem crebrius syllogismum nuncupari: veluti cùm ait: necesse est: extremorum syllogismum perfectum esse: *&*: antequam verò inducat: & syllogismum accipiat: *id est: conclusionem: & iterum:* demonstrationes finé quodam modo syllogismum vel conclusionem habent: *vbi syllogismum & cõclusionem pro eodem accipit: vt perspicuum sit: conclusionem de sentẽtia Philosophi ad syllogismum pertinere: illiusq; partem esse: quippe quæ illius forma est. Quòd igitur alibi scripsit: conclusionem veram esse posse: licet nihil illorum quæ in syllogismo sunt, verum sit: non ita*

lib.2. phys. cont.31.

1 Prior. c. 1.

1. Poster. cont. 4.

1 de anim. cont. 48.

2 Prior. cap. 4.

accipiendum est: quasi ad syllogismum conclusio non pertineat: sed in syllogismo esse aut poni ibi dicuntur: ex quibus consecutionis ratio pendet: quod præmissis propter medium competit.

Constant autem duæ istæ propositiones, & tertia illa, quæ nomine mutato, conclusio idcirco dicitur: quia ex duabus prioribus concluditur, tribus tantùm terminis: maiore: minore & medio: & sicut terminorum alius maior est: alius minor: sic propositionum alia maior dicitur: alia minor. maior dicitur: quæ ex medio & maiori: minor: quæ ex medio & minori termino constat.

De terminis capite primo satis dictum est. Cur autem propositionum duarum altera maior, altera minor dicatur, ex contextu liquet. Tantùm restat: vt breuiter demonstrem: in syllogismo nec plures: nec pauciores, quàm tres terminos & duas propositiones esse: quæ principij vicem tenent.

Primò igitur sciendum est: nos, cùm de syllogismo construendo cogitamus, non temere ad ratiocinandum accedere: sed propositam nobis esse certam quæstionem siue problema: quod probare volumus: v. g. vtrum Christi corpus vbique sit. ad probandum hoc problema, siue in partem affirmantem siue in negan-

tem, de syllogismo cogitamus. Huc respexisse Philosophum, cùm de syllogismi structura præciperet, Alexander & Auerroes testantur. Illa porrò quæstio, cùm secundùm modum prædicationis (sic loquitur Auerroes) profertur: hoc est: cùm ex quæstione seu problemate enunciatio formatur: vt ex nostra quæstione, corpus Christi non est vbiq;: duas partes habet: subiectum & attributum: siue vt communiter appellamus, prædicatum. Ad probandum igitur hosce duos terminos, subiectum scilicet & prædicatum inter se vel cohærere, vel non cohærere, non assumitur eadem propositio, corpus Christi non est vbiq; (nihil enim fidem sibiipsi facit) neq; etiam alia planè diuersa: qualis ista est, Mundus est creatus: sed tertius quidam terminus: vel vtriq;: vel saltem alterutri extremorum affinis: qui medium & causa est: cur prædicatum subiecto vel artribuatur: vel ab eo remoueatur. Vt verò hic tertius & medius terminus verè coniunctionis vel remotionis prædicati & subiecti causa sit: necesse est: eum cum vtroq; termino, maiore scilicet & minore semel coniungi. ita enim fit: vt quia medius terminus cum vtroq;, & subiecto & prædicato, coniungitur: illa quoque propter illum inter se cohæreant: & quia cum alterutro coniungitur, ab alterutro verò remouetur: illa quoq; idcirco à se inuicem remoueantur: non secus atq; si ego in medio duorum constitutus, vtriq; affinitate iunctus essem: illi quoque duo aliquo modo affines essent; sin alteri solùm

de secund. figur. li. 1. prior. & in epit. c. 1.

solùm iunctus sanguine essem: etiam illi duo consanguinei nullo modo essent. Sic igitur problema nostrum, quod probare institueramus cõcluditur: quod tunc mutato nomine, conclusio dicitur.

Ex his autem perspicuum euadit: tres tantùm in syllogismo terminos esse: illisq; duas tantùm propositiones constitui: quæ causa sunt conclusionis. Semel enim coniunctus medius terminus cum prædicato quæstionis, propositionem maiorem: semel cum subiecto, minorem constituit. Quo verò pacto medius terminus & cum prædicato, & cum subiecto quæstionis coniungendus sit, paulo post explicabimus.

DE FVNDAMENTO ET RADICE *omnium syllogismorum concludentium, omnisq; bonæ consequentiæ, h.e. de dici de omni & de nullo.*

CAP. IV.

De omni prædicari est: quando nihil est sumere subiecti: de quo alterum non dicetur. De nullo prędicari eodem modo est: quando nihil est sumere subiecti: de quo alterum non remouebitur.

Duo ista principia, quod acutissimus ille Arabs vidit, fundamenta sunt omnium syllogismorum concludentiũ: prius quidẽ affirmantiũ: posterius negan- in epit. c. 2.

tium. Sensus verborum est: Dici siue prædicari seu dictum de omni est: quãdo nihil sumi potest subiecti: seu, quãdo nihil sub illo subiecto assumi potest: de quo alterum, hoc est, prædicatum, quod de subiecto illo dicitur, nõ etiam dicatur. Contrà dictum de nullo est: quando nihil potest sumi subiecti: de quo prædicatũ, quod de subiecto illo remouetur, nõ etiam remoueatur. Volunt hæc duo dicta: prædicatum subiecto vniuersalius & communius esse debere: subiectum autẽ communius illo tertio: quod sub illo assumitur. atque hæc primæ figuræ dispositio est. Apparet igitur ex simplici ista horum dictorum siue principiorum descriptione: ea non simplices esse propositiones: sed integros, vt mox explicabimus, syllogismos. Cùm enim dicitur: dictum de omni est: quando nihil sub subiecto sumi potest: de quo alterum non dicatur: duæ propositiones, & tertia conclusio indicatur: maior propositio: quia subiecti & prædicati mentio fit: minor: quia assumtio sub subiecto ponitur: conclusio: quia coniunctionis & remotionis prædicati, cum, vel ab illo, quod sub subiecto assumtum erat, mẽtio fit. Prædicari siue dici de omni Aristoteles aliis quoque verbis expreßit: his videlicet, ἐν ὅλῳ εἶναι ἕτερον ἑτέρῳ: esse in toto alio: quod fit: cùm ita sub prædicato subiectum comprehenditur, prædicatumq; de subiecto ita dicitur: vt simul de omnibus dicatur: quæ sub illo subiecto comprehenduntur.

Ceterùm vt consilium Aristotelis, cur ista princi-

pia syllogisticæ arti præmiserit, resq́; ipsa plenè intelligatur: reuocandum est in memoriam, quod ab initio primi libri docuimus: duplicem esse Logicam: naturalem & artificiosam: & hanc ex illa dimanasse. Inseruit Deus humanis mentibus sicut lucem & facultatem quandam: qua componere & diuidere, quæ componenda & diuidenda sunt, possent: ita quoque vim raciocinandi, & aliud ex alio concludendi. Ista à Deo nobis insita ratiocinandi vis, naturalis ars est, & syllogismus. sic rusticus aliquis naturalis instinctu ratiocinabitur: Omnia quæ terra repunt, interitui obnoxia sunt: omnes homines terra repunt: ergo interitui obnoxij sunt. Hunc naturalem discursum Aristoteles istis duobus principijs innuit: dicto quidē de omni affirmantem: dicto verò de nullo negantem. Dictum igitur de omni nō vnica tantùm, & vniuersalis propositio aiens est: vt quidam toto cælo errantes docent: sed integer syllogismus: omnibus hominibus naturaliter impressus. Declaro. Cùm dicitur, Dici de omni est, quando nihil &c. non hoc dicitur: prædicatum ita de toto subiecto affirmari: vt nihil sit sub illo subiecto, de quo non etiam prædicatū affirmari poßit: si fortè illud assumatur: quasi in vna, v.g. ista propositione: Omnis homo mortalis est: dici de omni fit: licèt sub subiecto nihil amplius assumatur: sed hoc dicitur esse de omni prædicari: quando naturali instinctu vniuersalem propositionē, puta istam: Omnia quæ terra repunt, interitui obnoxia

ſunt: cõcipio: & ſimul eodem naturali inſtinctu ſubſumo, Omnes homines terra repunt: ſimulq́; eodem inſtinctu: & eadem luce naturali concludo, ergo omnes homines interitui obnoxij ſunt. ſic, inquit Auerroes, exercetur intentio dicti de omni. Hoc eſt dictum de omni, naturalis iſte diſcurſus & lux illa, à Deo hominum mentibus inſita: qua ſyllogiſtici diſcurſus neceßitas perſpicitur. Dicti de nullo eadem ratio eſt: niſi quòd dictũ de omni principium eſt ſyllogiſmorum omnium aientium: dictum verò de nullo, principium negantium.

In epit. c. 2.

Poſtulat igitur, vt liquet, & Auerroes docet, dictum de omni & de nullo duas conditiones: alteram: vt maior ſemper vniuerſalis ſit: ſiue aiens: vt in dicto de omni: ſiue negans: vt in dicto de nullo: alteram: vt minor ſemper aiens ſit: ſiue vniuerſalis ſit: ſiue particularis. Ratio eſt: quia hæc duo principia volunt: vt prædicatum latius pateat ſubiecto: de quo prædicatum illud vniuerſe vel affirmatur vel negatur: vtq́; ſubiectum latius pateat tertio: quod ſub illo ſubiecto aſſumitur: & de quo ſubiectum affirmatur. Ex quo liquet: ſubiectum illud medium terminum eſſe: duobusq́; iſtis principijs primæ figuræ diſpoſitionem deſignari: in qua medium maiore extremo anguſtius eſt, minore verò vniuerſalius: in qua ſola etiã expreßè cernitur naturalis iſte mentis ac rationis noſtræ diſcurſus: dictiq́; de omni & de nullo vis & intentio. Quapropter in prima figura ſumma eſt neceſ-

1. prior. Anal. cap. 5. 20.24.

ſitas: eaq́ omnibus manifeſta: quia naturâ nota: in ſecunda & tertia figura etiam eſt neceſſitas: ſed non ita conſpicua: quia vis dicti de omni in illis non ita, vt in prima, elucet: mediusq́ terminus non ita ſe habet ad vtrunque extremum, ſicut in prima: quæ vis tunc in illis quoque apparet: cùm ad primam reducuntur: quæ cauſa eſt: cur Auerroes dixerit: dictum de omni in prima figura actu eſſe: in reliquis verè duabus tantùm poteſtate. 1. priori cap. 24.

Iam igitur & conſilium Ariſtotelis, & ſingulare ipſius artificium perſpicimus: qui ideo hæc duo principia ſua de ſyllogiſmis tractationi præmiſit: vt ſignificaret: ſe nihil aliud de ſyllogiſmis traditurū: quàm quod ex naturalibus principijs deduceretur: naturâq́ notum eſſet: ideoq́ tali terminorum & propoſitionum diſpoſitioni neceſſariò aſſentiendum eſſe: cùm ipſa ſit veritas & lux à Deo in mentibus hominum accenſa. Ita nemo iam non videt: cur in ſyllogiſmis neceſſitas ſit conſequentiæ: eumq́ qui hæc axiomata negat, perinde facere: ac ſi in ipſa meridie diem inficiaretur. Sed quo modo hæc Magiſtris noſtris placent: qui Logicam ex Theologia exterminant? Ex his deniq́ duobus principijs plurima pendent: numerus modorum: cur in prima figura minor non poſſit eſſe negans: cur ex puris particularibus nihil ſequatur: & ſimilia.

DE FIGVRIS QVID *& quot ſint.*

CAP. V.

Figura eſt legitima trium terminorum, maioris, minoris & medij diſpoſitio: qua medius ſemel cum maiore, ſemel cum minore coniungitur: atque ita duas propoſitiones conſtituit: ex quibus neceſſario tertia, ab illis duabus diuerſa, concluditur.

Figura terminorum non propoſitionum diſpoſitio eſt. nam ſi propoſitionum diſpoſitio eſſet: plures figuræ eſſent: ſicut plures modi. Quia verò termini triplici tantùm ratione variari, vt mox dicemus, poſſunt: fit: vt triplex quoque tantùm figura ſit: quæ cauſa eſt: cur terminorum non propoſitionum diſpoſitio figura ſit appellanda.

Sunt autem figuræ tres tantùm: prima: ſecunda. & tertia. prima figura eſt: quando medius terminus in maiore propoſitione ſubijcitur: in minore verò prędicatur: ſecunda: quādo in vtraq; prędicatur: tertia contrà: quando in vtraq; ſubijcitur.

Duo hîc probanda nobis ſunt: vnum: cur medius terminus in prima figura maiori extremo ſubijciatur:

tur: de minore verò prædicetur: alterũ: cur tres tantùm figuras numeremus. prioris ratio ex dicto de omni & de nullo pendet. illa enim, quibus primam constitui figuram diximus, exigunt vt medium maiore extremo angustius, minore verò communius sit: quæ causa est: cur illi subijciatur: huic verò attribuatur. hinc reliquæ duæ figuræ iudicandæ sunt.

Trinum autem figurarum numerum Aristoteles inuenit ex varia coniunctione medij termini cum vtroq; extremo Medius enim terminus vel in vtraq; propositione & de vtroque extremo prædicatur: atq; ita primum locum obtinet: vel in vtraq; & vtrique extremo subijcitur: tertiumq́; locum occupat: vel in maiore & maiori extremo subijcitur, in minore verò & de minore extremo prædicatur: itaq; positione medius est. Si primum locum obtinet, secunda figura: si tertium, tertia: si medium, prima exoritur. Nõ dantur autem, siquidem naturali via procedere velimus, vel plura vel pauciora his tribus loca. ex quo efficitur: neque plures, neque pauciores esse, quàm tres figuras. Hæc est sententia & doctrina Aristotelis de numero figurarum.

Contra hanc sententiam Aristotelis à Galeno & sectatoribus illius obijcitur: dari quartum locum: g. & quartam figuram. Vel enim, inquiunt, medius terminus vtrobique prædicatur: vel vtrobiq; subijcitur: vel in maiori subijcitur, & in minori prædicatur: vel cõtrà in minori subijcitur, & in maiori præ-

dicatur. v.g. Omnis homo animal est, omne animal est corpus: g. quoddam corpus homo est. Respondemus breuiter ex Auerroe: Aristotelem totam ratiocinandi artem ex naturali ratiocinatione, vt modo diximus exstruxisse. non considerauit igitur, nec considerare voluit modum illum, qui contra naturam procedit. Dispositionem autem istam Galeni contra naturam procedere, ex eo manifestũ est: quia dum subiectum quæstionis prædicatum fit in syllogismo, prædicatum verò subiectum: prorsus inuertitur via procedendi naturalis, super quæsito determinato. In exemplo enim allato, corpus, subiectum conclusionis, in minori prædicatum fit: & prædicatum, homo in maiori subiectum: itaque medius terminus, animal, quodam modo de se ipso dicitur: quia dum de prædicato quæstionis dicitur: & prædicatum de subiecto: subiectumq́ rursus de medio: consequitur etiam medium de se ipso dici. quod enim maiori maius est: id etiam minori maius est. Reuera autem absurdum est: aliquid maiori maius esse: minore verò minus: perinde ac si quis ipso principe maior sit: famulo autem principis minor. ita enim se ipso quoque maior fuerit: quod est contra naturam. Summa: si cogitaueris: omnem ratiocinationem super quæsito determinato fieri videbis: Medicam figuram cõtra naturam procedere. Vt vt igitur quartum locum siue sedem esse contendant: quæ reuera nulla est: naturalis tamẽ præter tres illas ab Aristotele aßignatas, nulla planè

1. prior ca. 8. & 28.

planè datur. Est igitur hæc quarta figura nihil aliud, quàm inuersio & peruersio primæ. Hæc de quarta figura satis sunto.

DE REGVLIS GENERALIbus syllogismorum.

CAP. VI.

Regula I.

Ex puris particularibus nihil sequitur.

Hoc est: Si vtraque præmissarum particularis sit. conclusio ex necessitate nulla sequitur. Ratio duplex est: quarum altera ex dictis de omni & de nullo pendet: altera hæc est. non est necesse: si duo in vno tertio communi in parte conueniant: ea inter se quoque conuenire. v.g. quoddam animal homo est: quoddā animal equus est. g. quidam equus homo est. equus & homo in vno tertio communi, animali, conueniunt: sed in parte solum: quæ causa est: cur non necesse sit: ea inter se conuenire.

Regula II.

Ex puris negantibus nihil sequitur.

Sensus idem ferè est, qui prioris: Ratio quoque duplex: quarum prior ex dicto de omni, sicut & prioris

regulæ pendet: posterior hæc est. Oportet medium terminum causam esse: cur prædicatum in conclusione subiecto vel attribuatur: vel ab eodem remoueatur. vt hoc præstet, necesse est: eum minimùm de altero extremorum affirmari. nam si de vtroque negetur: causa non est: cur in conclusione prædicatum de subiecto vel affirmetur vel negetur. v. g. nullus lapis baptizandus est: nullus infans lapis est. g. nullus infans baptizandus est. Non sequitur: *immò contrarium potius hinc effici videtur. perinde se res habet: ac si quis medius inter duos constituatur: qui neutrum affinitate attingat: non sequitur propterea: illos duos affines esse non posse.*

III.
Conclusio sequitur partem deteriorem.

Præstantia propositionum in qualitate & quantitate posita est. præstantior aiens est: deterior negans. præstantior vniuersalis: deterior particularis. Sensus igitur est: si alterutra præmissarum particularis sit: conclusionem quoque talem esse debere: si negans: negantem. Ratio regulæ manifesta est. infirmius enim & deterius, firmius & præstantius producere non potest: & quando medius terminus de alterutro extremorum remouetur: etiam duo illa extrema, propterea à se inuicem in cõclusione remouentur. & sic de particulari quoque.

IV. Non

IV.

Non ſit plus in concluſione, quàm in præmiſsis.

Hoc eſt, neque alia concluſio, quàm quæ ex præmiſsis ſequitur, inferatur: neque aliud peregrinum quippiam concluſioni attexatur: quod in præmiſsis non continebatur: vel actu: vel poteſtate. v. g. peccata non ſunt à Deo: in venditione Ioſephi multa concurrerunt peccata: ergo venditio illa non fuit à Deo. alia infertur concluſio: ſequitur tantùm, g. peccata illa quæ concurrerunt cũ venditione, non fuerunt à Deo. hîc verò: Omnes electi ab æterno ſeruantur: Omnes verè credentes ſunt electi ab æterno: g. omnes verè credentes ſeruantur, ita vt nullus ipſorum, ab vllo hoſte lædi poſsit, aut affligi: attexitur, quod vi præmiſſarum non ſequitur: quippe quod nec actu, nec poteſtate in illis continetur.

V.

Medius terminus concluſionem ingredi non debet.

Senſus perſpicuus eſt: ratio quoque non obſcura: quia ſi ingrediatur: non concluditur quæſitum determinatum. v. g. quæſtio eſt, vtrum verè credentes perire poſsint. Concludere volo partem negantem: nulli verè credentes pereunt: medio iſto: quia ſunt

electi. nulli electi pereunt: omnes verè credentes electi sunt: g. nulli electi pereunt. hoc non erat quæsitum. Concludendum igitur est, nulli verè credentes pereunt: quia propter medium in præmißis cum vtroque extremo certo modo iunctum, etiam duo extrema in conclusione coniunguntur.

VI.

In Syllogismo non sint quatuor termini.

Quatuor in syllogismo termini sunt: cùm vel duo, hoc est, vocibus & loquendi forma discrepantes termini assumūtur: vel cùm vna quidem & eadem vox assumitur, sed ambigua: quæ alia significatione cum maiori: alia cum minori termino cōiungitur. Exemplum prioris: Omnis Magistratus politicus ius habet gladij: Petrus est Apostolus: g. ius gladij habet. hîc duo media sunt, Magistratus politicus & Apostolus. Tale etiam istud est: Dextra Dei vbique est: Christus iuxta humanitatem ad dextram sedet. g. iuxta humanitatem vbique est. Quatuor termini sunt. aliud enim est dextera ipsa: aliud sedere ad dextram. Exemplum posterioris. Omnes credentes saluantur: omnes diaboli credunt: g. saluantur. Medius terminus ambiguus est: & aliter in maiori, aliter in minori accipitur in maiori quidem pro viuo illo credere, quod cum πληροφορίᾳ coniunctum est: in minori pro mortuo credere: quo historia tantùm creditur. Ratio istius

regulæ

regulæ manifesta est. Si enim medium alia ratione cum maiore, alia cum minore extrema cohæreat: nō est causa: cur illa duo in conclusione vel coniungantur: vel à se inuicem remoueantur.

DE FIGVRA PRIMA: VBI & de modis.

CAP. VII.

Prima igitur figura, vt dicebamus, est: quādo medius terminus in maiore subijcitur: in minore verò prędicatur. Hęc quatuor species siue modos cōcludendi habet. vel enim ex duabus propositionibus vniuersè aientibus, conclusionem colligit vniuersalem aientem: vel ex maiore vniuersali negante, & minore vniuersali aiente, conclusionē vniuersalem negantem: vel ex maiori vniuersali aiente, & minore in parte affirmante conclusionem particularem affirmantem: vel deniq; ex maiori vniuersali negante, & minore particulari aiente, conclusionem particularem negantem.

Primæ figuræ quatuor modi sunt. Vocant autem modos, diuersas in qualibet figura concludendi species. Est igitur modus nihil aliud: quàm legitima

duarum propositionum & conclusionis dispositio: cũ legitima qualitate & quantitate coniuncta. Sicut enim figura terminorũ dispositio est: ita modus propositionum: quæ causa est: cur plures modi sint, quàm tres: quia propositiones multiplici variari ratione possunt: cùm termini trifariam tantùm varientur. Est autem qualitas legitima: vt vel vtraque præmissarum, vel minimùm altera affirmans sit: (ex puris enim negantibus nihil sequitur) quantitas legitima: vt vel vtraque, vel minimùm etiam altera præmissarum vniuersalis sit: (ex puris enim particularibus nihil efficitur. Ex his nemini obscurum esse arbitror: quodnam & quotuplex inter figuram & modum discrimen sit.

Porrò primum modum, docendi causa, in Scholis Barbara vocarunt: alterum Celarent: tertium Darij: quartum Ferio: in quibus vocibus, quod ad præsens quidem institutum attinet, nihil præter vocales animaduertendum est. A enim vniuersalem aientem: E vniuersalem negantem: I particularem aientem: O particularem negantem significat. Prima igitur vox Barbara, quæ tria A continet, illum modum denotat: qui ex vtraque vniuersali aiente conclusionem colligit, vniuersè aientem: & sic deinceps: altera alterum: tertia tertium: & postrema postremum. Semper prima vocalis maiorẽ propositionem: altera minorem: tertia conclusionem ostendit. Exemplis res fiet perspicua:

Barb

Barb Omnes electi in Christo saluantur:
ar Oẽs verè credentes sunt electi in Christo:
a Ergo omnes verè credentes saluantur.

Cel Nulli electi in Christo damnantur:
ar Oẽs verè credentes electi sunt in Christo:
ent Ergo nulli verè credentes damnantur.

Dar Omnes verè credentes saluantur:
i Quidam mensæ Dominicæ participes verè credunt:
i Ergo quidam mensæ Dominicæ participes saluantur,

Fer Nulli verè credentes damnantur:
i Quidam in Ecclesia sunt verè credentes:
o Ergo quidam in Ecclesia non damnantur.

Illud hîc notandum est: etsi de singularibus propositionibus nihil speciatim præcipiatur: eo quòd ad syllogismum reuera non pertineant: quam ob rem Alexandro & Philopono testibus, mentionem illarũ nullam Aristoteles in primo primi priorum capite fecit: illas tamen quoq; nonnunquam, loco particularium, syllogismum ingredi: ita tamen: vt altera tantùm, & quidem minor, singularis sit: quod cùm fit: syllogismus syllogismi nomen & perfectionem aliquo modo amittit.

Restat: vt quatuor tantùm primæ figuræ modos esse comprobemus. Hactenus demonstrauimus: pri-

mò: in syllogismo tres tantùm esse terminos: deinde: duas quoque tantùm ibidem esse propositiones: tum: quare formæ syllogisticæ sit assentiendum: præterea: cur medius terminus in prima figura maiori extremo subijciatur: de minori verò prædicetur: & sic de reliquis duabus figuris: quintò: tres tantùm esse figuras: nunc denique etiam numerus modorum est demonstrandus.

In vna quaq; igitur figura, pro varietate qualitatis & quantitatis. 36 modi dantur: quod sic ostenditur. Vel enim duarum illarum propositionum, ex quibus conclusio colligitur, vtraque aiens erit: vel vtraque negans: vel vna aiens, & altera negans: idq; rursum bifariam: vel maior aiens, & minor negans: vel maior negans, & minor aiens. Ita ratione qualitatis, quatuor modi constituuntur.

Rursum propositiones istæ siue aientes, siue negantes, vel ambæ vniuersales erunt: vel ambæ particulares: vel ambæ indefinitæ: vel maior vniuersalis & minor particularis: vel maior particularis & minor vniuersalis: vel maior vniuersalis & minor indefinita: vel maior indefinita & minor vniuersalis: vel denique maior indefinita & minor particularis: vel maior particularis, & minor indefinita. Sic nouem modi ratione quantitatis constituuntur: quos si in superiores illos quatuor duxeris: sex & triginta habebis: cùm quisque istorum nouem, quadrifariam, ratione qualitatis, varietur. Ponantur enim duæ pro-

propositiones vniuersales: vel altera vniuersalis, altera particularis: istæ duæ propositiones: vel ambæ affirmantes erunt: vel ambæ negantes: vel maior affirmans & minor negans: vel è contrario maior negans & minor aiens. & sic de reliquis. Vulgus Dialecticorum 23. tantùm numerat: sed nostra ex Auerroe petita, & Peripatetica sunt. 1. Prior. cap. 5 & in epit. cap. 6.

Ceterum ex his 36. modis, quatuor tantùm vtiles in prima figura: in secunda itidem quatuor: in tertia sex relinquuntur. Etenim vt conclusio ex præmissis necessariò efficiatur, necesse est: vt semper minimùm altera præmissarum affirmãs sit: eodemq; modo vt minimùm altera vniuersalis sit. rationes suprà allatæ sunt. Reijcitur igitur ratione qualitatis ille modus: in quo vtraq; negans est: reijcitur in prima figura modus ille: in quo maior aiens, minor negans est. Causa ex dicto de omni liquet. Ita ratione qualitatis duo solum modi in prima figura remanẽt: cùm scilicet vel ambæ aientes sunt: vel maior negans, & minor aiens. Ratione quantitatis reijciuntur illi modi: in quibus vel vtraq; particularis, vel vtraq; indefinita est: nisi forte vniuersè vsurpentur. reijcitur etiam in prima figura modus ille: in quo maior particularis est, & minor vniuersalis. Summa: quia indefinitarum eadem quæ vniuersalium & particularium ratio est: manifestum est: sicut ratione qualitatis duo tantùm modi vtiles & concludentes relinquuntur: ita quoque ratione quanti-

tatis hosce duos tantùm remanere: vt vel vtraq; vniuersalis sit: vel maior vniuersalis, minor verò particularis. In prima itaq; figura, vel vtraq; propositionum vniuersalis aiens erit: & hic est primus modus: vel vtraque vniuersalis, sed minor solum aiens, maior verò negãs: & hic est alter modus: vel vtraq; aiens erit: sed maior vniuersalis, minor particularis: qui est modus tertius: vel denique minor tantum aiens erit, & particularis: maior verò negans vniuersalis: qui modus est quartus. Eadem ratio ceterarum duarum figurarum est: tantùm postrema sex modos habet: quia maior ibi etiam particularis esse potest: eaq; vel aiens, vel negans: quo fit: vt duos modos amplius quàm priores duæ recipiat, Disamis scilicet & Bocardo.

Primæ figuræ proprium est: vt maiorẽ semper habeat vniuersalem: item: vt minorem semper habeat affirmantem, nunquam negantem.

Vtrumque ex dicto de omni pendet: & suprà explicatum est. Tantùm breuiter hîc aliquid notandum est de propositione minore. Videtur nonnunquã minor esse negans: cum reuera affirmans sit: idq; propterea: quia finita existimatur qua infinita est. Accidit hoc: quoties particula negandi in maiore, subiecti descriptioni inseritur: siue maior illa negans sit, siue aiens. Exemplum: Nullum dogma, non expressum

pressum in Scripturis, Christianis est obtrudendum: dogma Vbiquitatis nō est expressum in Scripturis: g. hîc minor ait non negat. ratio est: quia reuera non finita est: sed infinita. Liquet hoc ex maiori: in qua particula negandi non ad prædicatum siue copulam sed ad descriptionem subiecti pertinet. Vt ut igitur in minore verbo siue copulæ præponatur: non tamen ad copulam, sed ad subiecti descriptionem pertinet: quo fit: vt minor non finita sit, sed infinita. Sic enim minor formanda erat: Nullum dogma non expressum iu Scripturis, Christianis est obtrudendum: Vbiquitas est dogma non expressum. g. hîc quilibet videt: minorem infinitam esse. Ceterùm cur infinita non neget, sed affirmet, libro secundo docuimus. necesse enim est: vt verè negans enunciatio sit: particulam negandi in binarÿs quidem, ipsi prædicato: in trinarÿs vero non prædicato, sed copulæ proximè præponi. ratio ibi explicatur. possunt præterea termini isti, qui negare videntur, in verè affirmantes conuerti: vt cuiuis manifestum sit: minorem non esse negantem: vt in priori exemplo: Nullū dogma, quod Scriptura tacet, est obtrudendum: Dogma Vbiquitatis Scriptura tacet g. Talis est illa Pharisæorum raciocinatio: Iste homo non est à Deo: quia non seruat sabbathum: Qui non seruat sabbathum, is non est à Deo: iste non seruat sabbathum: g. minor infinita est & idcirco aiens: perinde atque si dicam: nullus homo nō seruans sabbathum à Deo est: iste est homo non ser- Ioh. 9.

uans sabbathum.g. Mutari etiam potest in terminos actu aientes. Qui sabbathum violat, non est à Deo: iste sabbathum violat:g.& sic de reliquis. potest tamen hic syllogismus etiam in Baroco formari: Qui ex Deo est is seruat sabbathum: iste non seruat sabbathũ: g.non est ex Deo. Reliqua ex Aristotele petantur.

1.prior.ca. 27. ibi Auer. cap.32.

DE SECVNDA FIGVRA. CAP. VIII.

Secunda figura est: in qua medius terminus de vtroque extremo prædicatur. Modos itidem quatuor habet. Vel enim ex duabus vniuersalibus, maiore negãte, & minore aiente, conclusionem vniuersalem negantem: vel ex duabus vniuersalibus, maiore aiente & minore negante, conclusionem vniuersalem negantem: vel ex maiore vniuersali negante, & minore in parte affirmante, conclusionem particularem negantem: vel deniq; ex maiori vniuersali aiente, & minore particulari negante, particularem negantem colligit conclusionem.

Modi isti in Scholis his nominibus appellantur: primus Cesare: alter Camestres: tertius, Festino: postremus Baroco.

Ces	*Nulli reprobi ſaluantur:*
ar	*Omnes verè credentes ſaluantur:*
e	*Ergo nulli verè credentes reprobi ſunt.*
Cam	*Quicunque verè credunt ſaluantur:*
eſtr	*Nulli temporarij ſaluantur:*
es	*Ergo nulli temporarij verè credunt.*
Feſt	*Nulli temporarij ſaluantur:*
in	*Quidam credentes ſaluantur:*
o	*Ergo quidã credentes non ſunt tẽporarij.*
Bar	*Omnes oues Chriſti in ouili manent:*
oc	*Quidam vocati in ouili non manent:*
o	*Ergo quidam vocati nõ ſunt oues Chriſti.*

Proprium eſt ſecundæ figuræ : vt maiorem ſemper habeat vniuerſalem, nunquam particularem: vt concluſio ſemper ſit negans, nunquam affirmans: ideoq; vt alterutra præmiſſarum negans ſit: ex puris enim affirmantibus in ſecunda figura nihil efficitur.

Vtriuſque duplex ratio eſt: & prioris quidem altera hæc eſt. ſi maior particularis ſit: neceſſe eſt : vt minor ſit vniuerſalis: ne puræ ſint particulares. Hoc poſito: à particulari ad vniuerſale proceditur, & concluſio colligitur vniuerſalis : contra præceptum illud, quo præcipitur: vt deteriorem partem concluſio ſequatur. Alia enim ratione in hac figura, in qua

duo disparata aut opposita à se inuicem remouentur, proceditur: alia in tertia: vbi ex angustiori siue specie, genus siue communius in parte concludimus: v. g. quoddam animal sentit: nullus lapis sentit, g. nullus lapis animal est. Altera ratio est. Si in hac figura maiore particulari, minor sit vniuersalis: fiet quandoque: vt ex præmissis veris, falsa efficiatur conclusio. talis autem modus inutilis est: cum ex vero nō nisi verum consequatur. exempli gratia: Quidam homo albus est: nullus Aethiops albus est. g. nullus Aethiops homo est. Ex puris quoque affirmantibus nihil in hac figura concludi: ideoq́ & alterutram præmissarum, & conclusionem negantem esse debere: iisdem ferè duabus rationibus ostēditur. Primò enim quia disparatorum figura est, quæ sibi inuicem tribui non possunt, efficitur: illam negantem concludere. Deinde si ex vtraque aiente aiens inferatur conclusio: fiet: vt ex veris præmissis falsum efficiatur. omnis homo animal est: omnis asinus animal est. g. omnis asinus homo est.

DE TERTIA FIGVRA.

CAP. IX.

Tertia figura est: in qua medius terminus vtrique extremorum subijcitur. Species siue modos sex habet. Vel enim ex duabus propositionibus vniuersè aientibus par-

particularem aientẽ: vel ex maiore vniuersali negante, & minore vniuersali affirmante particularem negantem: vel ex maiori in parte affirmante, & minore vniuersali aiente, particularem aeintem: vel ex maiore vniuersali aiente, & minore particulari aiente, particularem aientem: vel ex maiore in parte negante, & minore vniuersè affirmante in parte negantem: vel denique ex maiore vniuersali negãte, & minore in parte aiẽte, particularẽ negantẽ colligit conclusionem.

Nomina modorum hæc sunt: Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Bocardo, Ferison. Exempla singulorum sunt ista:

Dar	*Omnes iustificati glorificantur:*
apt	*Omnes iustificati sanctè viuunt:*
i	*Ergo quidam qui sanctè viuunt, glorificantur.*
Fel	*Nulli hypocritæ glorificantur:*
apt	*Omnes hypocritæ sanctè viuunt:*
on	*Ergo quidam qui sanctè viuunt non glorificantur.*
Dis	*Quidam verè credentes grauiter peccant:*
am	*Omnes verè credentes glorificantur:*
is	*Ergo quidam qui glorificantur grauiter peccant.*

Dat Omnes verè credentes pacem habent cum Deo:
is Quidam verè credentes grauiter peccant:
i Ergo quidam qui grauiter peccant, pacem habent cum Deo.

Boc Quidam credentes non seruantur:
ard Omnes credentes assentiuntur verbo Dei:
o Ergo quidam qui assentiuntur verbo Dei, non seruantur.

Fer Nulli reprobi iustificantur:
is Quidam reprobi participant Sacramēta:
on Ergo quidam qui Sacramenta participant, non iustificantur.

Huic figurę proprium est: vt minorem semper habeat affirmantem: & cōclusionem particularem, nunquam vniuersalem.

Posterioris ratio est. Cùm in hac figura à specie & angustiori, ad genus & communius procedatur: non potest conclusio non esse particularis: cùm posita specie, genus in parte solùm ponatur: prioris verò: quia, si minor negans sit: ex veris falsum efficietur. v. g. Omnis homo animal est: nullus homo asinus est: g. quidam asinus animal non est.

DE

DE IMPERFECTORVM SYLLOGISMORUM perfectione: hoc est, de expositione: & duplici reductione.

CAP. X.

Expositio siue ἔκθεσις, forma quædam est concludendi: quæ perinde ferè vt syllogismus, duabus propositionibus constat: ex quibus tertiam conclusionem colligit: cuius medium terminus est singularis: & subiecti locum in vtraque propositione tenet.

Quod Aristoteles expositionem tantùm siue ἔκθεσιν appellauit: id recentiores syllogismum expositorium idcirco nuncuparunt: quia & syllogisticam formam imitatur: dum ex duabus propositionibus tertiam conclusionem infert: & ad syllogismos tertiæ figuræ quàm proximè accedit: dum medium illius in vtraque propositione subijcitur. Sed nec syllogismum esse, nec syllogismi nomen mereri: ex eo liquet: quòd ad syllogismum ratio necessaria est: quæ in expositione locum nullum habet: quippe cuius consideratio tota sensilis est, & à sensu pendet. vbi enim nihil vniuersale est, sed omnia singularia: ibi nullus rationi & dianoiæ locus relinquitur: sed totum officium sensus exsequitur: qui in singularibus versatur. Quia igitur & duæ propo-

ſitiones, & concluſio ſingularis eſt in expoſitione: quod contrà fit in ſyllogiſmo: ſyllogiſmus iure dici non poteſt. Hæc cauſa eſt: cur expoſitionem Ariſtoteles neque inter ſyllogiſmos collocarit: neque ſyllogiſmi nomine dignatus ſit.

Hic error illorum deprehenditur: qui in prima quoque & media figura, ſyllogiſmos ſingulares ſiue proprios, h. e. σιδηρόξυλον, *ponunt: quales ſunt: Iulius eſt Papa: ego ſum Iulius: g. ſum Papa. Algazel fuit Sophiſta: Auerroes non fuit ſophiſta: Auerroes igitur non fuit Algazel. Quaſi verò hîc ratiocinatione opus ſit: cùm ſenſus duo ſingularia, hunc hominẽ, & hunc equum, abſque medio diſcernat. Syllogiſmus enim inſtrumentũ eſt: hominibus idcirco à Deo conceſſum: vt quod ſenſu non percipi, vtpote ſub ſenſum non cadens neque mente etiam ſatis conſiderari, & per ſe, abſque medio cognoſci poteſt, quippe ignotum naturaliter: id ſyllogiſmo & per medium colligatur: pleneq́ dijudicetur: vt taceam ſyllogiſmi finem demonſtrationem eſſe: quæ vniuerſalium eſt, non ſingularium & corruptione obnoxiorum. Exempla expoſitionis ſunt iſta.*

Iudas eſt damnatus:
Iudas fuit Apoſtolus:
Ergo quidam Apoſtolus eſt damnatus.
Petrus grauiter lapſus eſt:
Petrus verè credidit:
Ergo quidã qui verè credidit, grauiter lapſus eſt.

Dauid

Dauid fuit adulter:
Dauid fuit ſanctus:
Ergo quidam ſanctus fuit adulter.

Iſte eſt Muſicus:
Iſte eſt claudus:
Ergo quidam claudus eſt Muſicus. Et ſic de reliquis.

Fundamentum expoſitionis eſt: Quæ duo in vno tertio ſingulari cõueniunt: ea inter ſe conueniunt: & quæ duo in vno tertio ſingulari non conueniunt: illa quoq; inter ſe non conueniunt.

Prius affirmantis, poſterius negantis expoſitionis fundamentum eſt. Quæ in vno tertio communi conueniunt: ea inter ſe non conueniunt: niſi minimùm alterum vniuersè in illo communi ſit. Contrà verò, quæ in vno tertio ſingulari conueniunt: illa ſemper inter ſe conueniunt: quæcunque tandem illa ſint: ſiue æqualia: ſiue inæqualia: ſiue animi, ſiue corporis accidentia: modò concluſio legitimè inferatur: v. g. Ariſtoteles fuit macie præditus: Ariſtoteles fuit Philoſophus. g. quidam Philoſophus fuit macie præditus. Iſte eſt claudus: iſte eſt Orator. g. quidam orator eſt claudus. Quòd ſi hoc pacto concludas: iſte eſt claudus: iſte eſt Orator: g. eſt claudus Orator: contra regulam medium terminum concluſioni inſeris. me-

dius.n.terminus in hac cõclusiõe potestate cõtinetur.

Seruit ἔκθεσις, ob quem finem etiam ab Aristotele tradita est. Syllogismis imperfectis perficiendis: siquidem ea veluti sensus testimonio tertiæ figuræ Syllogismi confirmantur.

ἔκθεσις *aliud nihil est: quàm sensilis siue ad sensum prouocans expositio: ad hoc ab Aristotele tradita: vt ea tertiæ figuræ Syllogismi exponantur: quodq́; vim concludendi necessariam habeant, demonstrentur. Tertiæ igitur figuræ tantùm expositio competit. Hinc non obscurum est: cur expositio dicatur. Exponitur enim terminus communis per terminum singularem: h.e. medius terminus Syllogismi alicuius tertiæ figuræ, qui communis est, per singularem exponitur & explicatur: atque ita totius illius syllogismi necessitas demonstratur.*

1. Prior. cap.4.

Fit autem istud hoc modo. Sub medio illo termino syllogismi alicuius tertiæ figuræ, assumitur quippiam singulare, tanquam pars sub toto: quod vtriq; extremo & maiori & minori, perinde vt ante in syllogismo, terminus ille communis, subijcitur: qua dispositione eadem conclusio efficitur: quæ ante syllogismo concludebatur, v.g. Omnis homo ratione præditus est: omnis homo animal est: g. quoddam animal ratione præditum est. Istius syllogismi bonitas & necessitas expositione comprobatur: si modò loco medij istius, singulare sumas, quod sub illo continetur: Socrates

crates est ratione præditus. Socrates est animal: g. quoddam animal est ratione præditũ. Sic in negantibus: colligit enim expositio aientem & negantem conclusionem: Nullus verè credens peccat peccato ad mortem. Omnis verè credens peccat: g. quidam qui peccat, non peccat peccato ad mortem. Petrus non peccat peccato ad mortem: Petrus peccat: g. quidam qui peccat non peccat peccato ad mortem.

Quamuis autem ἔκθεσις syllogismus non sit: syllogismi tamen loco non rarenter ea vtimur. Atq; hæc de expositione.

Reducere verò est ex syllogismo secũdę aut tertiæ figurę, conficere syllogismum primæ figuræ: atque ita necessitatem illius palam demonstrare.

Reducuntur isti syllogismi ad primam figuram: vt dictum de omni, & de nullo, siue naturalis ille syllogismus, actu in illis cernatur: de quo iam antè diximus. Porrò expositio syllogismus tantùm tertiæ figuræ ancillatur: reductio verò & tertiæ & secundæ figuræ syllogismis ex æquo communis est. In reductione quoq; ostendente, siue vt vsitatè vocatur, ostensiua semper eadem cõclusio in prima figura infertur, quæ in syllogismo imperfecto erat: tantùm in Camestres & Disamis non: vbi conuertens infertur: quæ tamen idem valet cum conuersa.

Est autem reductio duplex: ostensiua & per impossibile. Ostensiua est: quando syllo-

giſmus aliquis ſecundæ vel tertiæ figuræ ſola propoſitionum cõuerſione & tranſpoſitione, ad primam figuram reuocatur: per impoſsibile autem reducere eſt bonitatem ſyllogiſmi oſtendere per id: quo aduerſarius ad abſurdum & impoſſibile deducitur.

Duo illi modi Baroco & Bocardo, vt mox oſtendemus, per impoßibile tantum reducuntur: ceteri verò omnes vtroque modo. Solemus tamen illos oſtenſiuè potius reducere, quàm per impoßibile: quia illa via planior eſt & expeditior. Vbi enim recta via progredi licet: ibi de obliqua non ſumus ſolliciti.

Ad oſtenſiuam igitur reductionem hæc duo, quæ idcirco etiam inſtrumẽta oſtenſiuæ reductionis nuncupantur, requiruntur, cõuerſio & tranſpoſitio propoſitionum: ita tamen: vt aliquando ſola conuerſio ſufficiat: aliquando verò & conuerſione & tranſpoſitione opus ſit. Quid conuerſio ſit, ſecundo libro dictũ eſt: tranſpoſitio aliud nihil eſt: quàm quòd minor loco maioris, & hæc illius, quandoq; ponenda eſt. Hoc primum eſt.

Secundò obſeruandæ ſunt quatuor illæ vocales a, e, i, o: de quarum vi & poteſtate h. e. qualitate & quantitate antea diximus. hîc idcirco illarum mentio fit: vt ordo illarũ obſeruetur: & quam qualis proximè conſonans ſequatur. Oſtendit enim illa conſonans,

nans: quæ propositio vel transponenda: vel conuertenda: & quomodo sit conuertenda.

Tertio igitur loco notandæ sunt hæ quatuor consonantes: quæ in modis secundæ & tertiæ figuræ reperiuntur: S.P.M.C.S. significat conuersionem simplicem: h.e. propositionem illam, quæ per vocalem illud S. proximè præcedentem significatur, simpliciter esse conuertendam: P. conuersionem per accidens: h.e propositionem, quæ per vocalem illam, quam P. proximè cõsequitur, denotatur, per accidẽs esse conuertendam: M. μεθάτεσιν: h.e. propositionem illam, quam M. subsequitur transponendam esse: C. modum illum non ostensiuè, sed tantùm per impoßibile reduci posse: sed C. in medio modi, siue in mediã dictione positum: vt in Baroco & Bocardo. in principio enim modorum, aliũ vsum habet. In quo igitur modo præter S. nulla ex his quatuor consonantibus reperitur: ibi quoque sola conuersio simplex sufficit: in quibus verò plures inueniuntur: ad illos reducendos pluribus opus est. De his quatuor consonantibus, tale distichon circumfertur: S. vult simpliciter verti, sed enim P. per acci: M. vult transponi, C. per impoßibile duci.

Quartò notandæ sunt primæ singulorum modorum literæ: à quibus modi incipiunt. Indicant illæ: qui modi secundæ aut tertiæ figuræ, ad quos primæ figuræ modos sint reducendi. Quilibet enim secundæ aut tertiæ figuræ modus, ad illum primæ modũ reducendus est: cum quo primam literam communem &

tandem habet. Sic ad Barbara reducuntur omnes illi modi secundæ & tertiæ figuræ: quorum prima litera B. est: Ad Celarent omnes: quorum litera prima C. est: & sic de reliquis.

Ex his iam non fuerit difficile: singulos secundæ & tertiæ figuræ modos, ad primæ modos reducere. Cesare igitur ad Celarent, cum quo literam primam eandem habet, reducitur: tantùm maiore simpliciter conuersa: quod indicat litera S: quæ sola ex quatuor illis consonantibus in hoc modo reperitur: & quidem statim, post primam vocalem siue primum e: quod maiorem indicat propositionem. Exemplum. Nulli verè credentes damnantur: omnes reprobi hypocritæ damnãtur: ergo nulli reprobi hypocritæ sunt verè credentes. Syllogismus est in Cesare. reducitur ad Celarent: Nulli qui damnãtur sunt verè credentes: omnes reprobi hypocritæ damnantur: ergo nulli reprobi hypocritæ sunt verè credentes. Omnes verè credentes saluantur: nulli Diaboli saluantur: ergo nulli Diaboli sunt verè credentes. Syllogismus est in Camestres. reducitur ad Celarent: maiore transposita: minore verò & conclusione simpliciter conuersa: quod indicant M. S. S. Nulli qui saluantur sunt Diaboli: omnes verè credentes saluantur: Ergo nulli verè credentes sunt Diaboli. Nulli electi damnantur: quidam homines damnantur: ergo quidam homines non sunt electi. Est in Festino: reducitur ad Ferio: tantùm maiore simpliciter conuersa: Nulli

qui damnantur sunt electi: quidā homines damnantur: ergo quidam homines non sunt electi. Baroco ostensiuè, vt diximus, non reducitur: ratio est: quia in reductione ostensiua minimùm alterā propositionem cōuerti oportet: in hoc autem modo neutra propositionum illi conuersioni apta est: quæ primæ figuræ conueniat. maior enim, cùm vniuersalis affirmans sit, in parte solùm conuertitur: minor, quia particularis negans, neque simpliciter, neque per accidens. Baroco igitur sicut & Bocardo, quod litera C. indicat, per impoßibile tantùm reducitur. Darapti ad Darij reducitur: minore per accidens conuersa: quod indicat litera P: post alterum à posita. Omnis homo mortalis est: omnis homo substantia est: ergo quædam substantia mortalis est. Omnis homo mortalis est: quædam substantia homo est: ergo quædam substantia mortalis est. Felapton ad Ferio: minore eodem modo per ancidens conuersa: Nullus homo perpetuus est: omnis homo substantia est: ergo quædam substantia perpetua non est. Nullus homo perpetuus est: quædam substantia homo est: ergo quædam substantia perpetua non est. Disamis ad Darij: maiore & conclusione simpliciter conuersis: & minore transposita. Quidam homo literatus est: omnis homo animal est: ergo quoddam animal literatum est. Omnis homo animal est: quoddam literatum homo est: ergo quoddam literatum animal est. Datisi quoque ad Darij: minore tantùm simpliciter

conuersa. Omnis homo animal est: quidam homo literatus est: ergo quidam literatus animal est. Omnis homo animal est: Quidam literatus homo est, ergo quidam literatus animal est. Bocardo per impossibile: Forison autem ad Ferio reducitur. Nulli hypocritæ seruantur: quidam hypocritæ honestè viuunt: ergo quidam, qui honestè viuunt, non seruantur. Nulli hypocritæ seruantur: quidam qui honestè viuunt, hypocritæ sunt, Ergo, quidam qui honestè viuunt non seruantur.

Reductio verò per impossibile, ad quam neq; conuersio, neq; transpositio requiritur, hoc pacto fit. Assumitur contradictio conclusionis syllogismi imperfecti, cuius præmissas tanquàm veras cõceßit aduersarius: sed conclusionem non vult concedere: eò quòd talem dispositionem vim necessariæ illationis habere neget: & simul cum conclusionis contradictione, altera præmissarum: altera relicta: atq; ita conclusio in prima figura efficitur: quæ relictæ propositioni contradicit: quo eò aduersarius redigitur: vt vel negare cogatur, quod ante aiebat: cùm vtramq; præmissarum veram esse affirmabat: vel concedere: duas contradicentes simul veras esse: vel denique prioris syllogismi bonam esse consequentiam. Fundamentum igitur istius reductionis est, quòd in omni contradictione altera pars vera sit: & quòd ex duabus veris propositionibus, in prima figura legitimè dispositis, non nisi vera conclusio efficiatur. Exemplum in Baroco:

roco: Omnis homo est ratione praeditus: quaedam substantia non est ratione praedita: ergo quaedam substãtia nõ est homo. Omnis homo est ratione praeditus: omnis substantia est homo, ergo omnis substantia est ratione praedita. Maior eadem est, quae antea: loco minoris, conclusionis contradictio est: & infertur contradictio minoris relictae. Exemplum in Bocardo: quidam homo non est iustus: omnis homo est ratione praeditus: ergo quidam ratione praeditus nõ est iustus. Omnis ratione praeditus iustus est: omnis homo ratione praeditus est: ergo omnis homo iustus est. Hi duo modi hac tantùm reductione reducuntur: ceteri verò & ostensiua & ista.

Notandum hîc est: primò, si mediae figurae syllogismus hac reductione reducendus sit contradictionem conclusionis loco minoris ponendam esse: & maiorem imperfecti syllogismi suo loco relinquendam: atq; ita minoris relictae contradictionem concludendam: cõtrà si postremae figurae syllogismus hoc pacto perficiẽdus sit: conclusionis contradictionem maioris loco ponendam: & minorem suo loco relinquendam: ideoq; maioris relictae conclusionem inferendam esse. Ratio, cur contradictio cõclusionis in media figura loco minoris: in postrema verò loco maioris ponatur, est medij termini varietas. Quia enim is in media figura de vtroq; extremo praedicatur: idcirco necesse est conclusionis contradictionem loco minoris poni: vt primae figurae dispositioni syllogismus ille cõueniat. Hinc

tertia quoq; figura dijudicãda est. Deinde obseruandum est: in tertia figura non semper conclusionem effici: quæ relictæ propositioni contradicat: sed aliquando solùm contrariam: idq; in duobus illis modis, Darapti & Felapton. Omnis homo ratione præditus est: omnis homo animal est: ergo quoddam animal ratione præditum est. Nullum animal ratione præditum est: omnis homo animal est: ergo Nullus homo ratione præditus est. In Felapton: Nullus homo perpetuus est: omnis homo animal est: ergo quoddam animal perpetuum non est. Omne animal perpetuum est: omnis homo animal est: ergo omnis homo perpetuus est.

Deniq; sciendum est: hac reductione modos non ad illos primæ figuræ modos reduci: cum quibus primam literam eandem habent: sed quibus qualitas & quantitas contradictionis & propositionis ex imperfecto syllogismo assumtæ respondet. Festino enim non ad Ferio: sed ad Celarent: Datisi non ad Darij: sed ad Ferio reducitur. Et sic de ceteris. Hoc interim verum est: Baroco & Bocardo ad Barbara reduci. sed hoc est ex accidente. Quia enim vtriusq; modi conclusio particularis negans est: manifestum est: contradicentem vniuersalem aientem esse: & quia vtriusq; modi altera propositio vniuersalis aiens est: fit: vt in reductione vtraque propositio vniuersalis aiens sit: cũ conclusionis contradictio in media figura loco minoris, in tertia verò loco maioris ponatur.

Quo verò pacto primæ quoq; figuræ modi in parte concludentes, ad vniuersales reducãtur: & quæ sunt huius generis alia: ex ipsis fontibus est hauriendum: nobis satis est: si præcipua breuiter perstringamus. li.1. Prior. cap.5.

DE ABVNDANTIA PROPOSITIONUM: & medij termini inuentione.

CAP. XI.

Rerum quæ sunt quædam eiusmodi sunt: vt de alia nulla dicantur: licet de illis aliæ dicantur: quędam verò de aliis dicuntur: de quibus aliæ priores nõ dicuntur: quędam verò de aliis dicuntur: quibus vicissim aliæ attribuuntur.

Adhuc genesis syllogismi: sequitur euporia. Neq; enim satis est: vt ait Aristoteles: rationem generandorum syllogismorum nosse: nisi facultate quoque ad generandum præditi simus. Idcirco in primo Priorum postquam de genesi syllogismi præcepit: viam etiam præscribit: qua terminum medium inuenire: & copiam nobis propositionum comparare possimus. Antequam verò quid in medij termini inuentione spectandũ sit, doceat: res omnes in tres ordines partitur: earumq; quasdã esse dicit: de quibus aliæ quidem: ipsæ verò de alia nulla dicuntur. Tales indiuidua substantia sunt: vt Socrates: hic homo. li.1. Prior. cap.19. cap.19.

De Socrate enim homo, animal dicitur: Socrates autem nulli attribuitur: nisi fortè ex accidente: vt cùm dicere solemus: nigrum illud, istic ambulans Socrates est. Econtrario quædã sunt: quæ aliis attribuuntur: de quibus aliæ priores nullæ dicuntur: cuius generis summa rerum genera sunt: quibus nihil prius est aut superius. In omni enim Categoria, vt è Categoriarum libro liquet, summum est & infimum: de quibus sicut hoc tantùm subijcitur: eò quòd nihil illo inferius est: ita illud tantùm prædicatur: quia nihil superius habet: cuius respectu subiectum fieri posit. Inter hæc duo extrema media quædam sunt: species & genera, vt vocantur, subalterna: quæ ad vtrunq; & ad subijciendum, & ad prædicandum apta sunt: de quibus etiam omnes ferè, vt hîc testatur Aristoteles, quæstiones & disputationes instituuntur: quæ etiam causa est: cur hãc rerum partitionem præmittere voluerit: antequam de euporia præciperet. Vel hinc luce meridiana clarius liquet: Categorias materiam Logici esse: cùm inde omnes & rationes, & quæstiones depromantur: librumq; Categoriarum, quem hîc breuiter innuit, Aristotelis esse: & primum illi in Logica locum deberi.

Oportet autẽ propositiones circa quanq; rẽ sic inde accipere: posita primùm ipsa re & definitionibus, & quæcunque propria illius rei sunt: deinde quæcunq; rem con-

conſequuntur:rurſusq́ue quibus conſequens res eſt: quæq́ue illi ineſſe non poſſunt: quibus verò ipſa ineſſe non poteſt, illa non ſunt ſumenda: eò quod priuans conuertatur. Diſcernendum verò etiam inter conſequentia eſt: quæ ſcilicet in eo quod quid eſt:quæ vt propria: & quæ vt accidentia prædicantur:& inter hęc:quę ſecundum opinionem, & quæ in rei veritate prædicantur. Eligere autem oportet non quæ aliquã, ſed quæ vniuerſam rem conſequuntur: ſimiliterq; quæ ipſa vniuerſa cõſequatur. ipſum verò conſequẽs non eſt ſumendũ totum ſequi. Cùm autem ab aliquo ſubiectum continetur:cui conſequentia accipere oportet: illa quidem quæ vniuerſale ſequuntur aut non ſequuntur, in his non ſunt eligenda (in illis enim accepta ſunt:)quæ verò cuiuſq; propria ſunt accipienda ſunt. neque igitur vt vniuerſalis antecedentia eligenda illa ſunt:quibus conſequẽs eſt quod ſub eo cõtinetur. Sumenda verò ſunt, & quæ plerũque conſequuntur: & quæ antecedunt. Præterea quæ omnibus cõſequentia ſunt, illa non ſunt eligenda.

Pars iſta Logices de euporia ſiue copia propoſitio-

num inſcribitur: quia modũ docet: quo multos medios terminos inuenire: itaq; propoſitionibus abundare poßimus: cum medium extremis iunctum propoſitiones conſtituat. Ceterum de medij inuentione Ariſtoteles, quem ad modum & nos, veſtigijs illius diligenter inſiſtentes, bifariam præcipit: generatim: & ſpeciatim: generatim hîc in libro de ſyllogiſmo: vbi docet: vnde & quo modo promendum medium ſit: ſiue apodicticum: ſiue dialecticum: ſiue Sophiſticum ſit: ſpeciatim in parte propria: in qua modos & conditiones præſcribit neceſſariarum, probabilium & Sophiſticarum propoſitionum.

Generalis hæc de euporia doctrina duabus primarijs partibus conſtat: quarum prior materiam: poſterior formam reſpicit ſyllogiſmi. prior docet: vnde: quo modo: qualia inuenienda media ſint, ad problemata ſyllogiſmo concludenda: poſterior: quo modo in quaq; figura quoduis problema concludatur. De priori nouem præcepta Philoſophus præſcripſit: quæ nos nude de verbo ad verbum recitauimus.

Primum eſt: primò omnium, antequam de medio vel medijs propoſitionumq; copia cogitemus, rem, h. e. problema ſiue quæſtionem illam, quam monſtrare volumus (nunquam enim temerè ad ratiocinandum accedimus) ponendam eſſe: ſimulq; cum ea, quæ illius, hoc eſt, tum ſubiecti tum prædicati definitiones ſunt & propria. definitiones enim genera, differentiæ, quibus definitiones conſtant, propriaq; terminum

minum medium suppeditant, ad probandam quæstionem siue conclusionem nostram: veluti quòd homo ratione præditus sit, quia risibilis: vel quòd risibilis, quia ratione præditus, vel animal ratione præditum: item quod homo substantia sit corporea, quia animal. idem efficitur: si attributi definitiones & propria sumas.

Alterũ præceptum est: vt tum rei siue problemati, subiecto scilicet & attributo consequentia ponantur & sumantur: tum verò etiã antecedentia eorũ: siue quibus subiectũ & prædicatũ quæstionis consequentia sunt. Consequẽtia hîc attributa dicuntur: quæ de alijs prædicantur: antecedentia verò subiecta: de quibus alia dicuntur. Tũ illa igitur quæ subiecto & prædicato problematis attribui possunt eligenda sunt: tũ illa: quæ ijsdem subijci possunt: quòd alioquin syllogismus non fieret: vt ex sequentibus planum fiet.

Præter hæc, quod tertium præceptum est, extraria quoque sumenda sunt: quæ scilicet rei inesse & attribui nequeunt: quæ ad negantem conclusionem efficiendam prosunt: siquidem alteri quæstionis siue rei parti non attribui: alteri verò attribui poßint. quibus verò ipsa res attribui aut inesse non potest: illa non est necesse sumere: eò quòd vniuersalis negans enunciatio simpliciter conuertatur. Qui igitur nouit: quæ rei inesse non possunt: simul etiam nouit: quibus illa inesse nequit.

Quartum præceptũ secundi subdiuisio quædã est:

discernendum inter illa consequentia esse: quænam ex illis ἐν τῷ τί ἐστι prædicentur: id quod tota definitio, genus, & differentia generi iuncta, facit: quæ vt propria & per se accidentia: quæ vt communia accidentia: & horum communium accidentium rursus quæ opinione solum, & quæ reapse de re prædicentur. Rationem istius præcepti Philosophus hanc adfert: quia eò citius & facilius aliquis propositam quæstionem concludet: quò pluribus horum abundauerit: eoq; firmius demonstrabit: quò firmiora media habuerit. Quis igitur ita cæcus est: vt non videat: generalem inuentionis modum hîc præscribi?

Quintum est: & ipsum secundi quædam appendix: non illa consequentia eligenda esse: quæ alicui, sed quæ vniuersæ rei consequentia sunt: h.e.: non quæ in parte de partibus quæstionis de subiecto & prædicato: sed quæ vniuersè de vtroque prædicantur. Est quidem etiam particularibus propositionibus in syllogismo locus: si altera solùm particularis sit: sed Philosophus de exactißimo modo præcipit: quia in genere de inuentione medij præcipit: sub qua apodicticarum etiam propositionũ, quas vniuersales esse oportet, inuentio continetur: & quia nullus esse syllogismus potest: in quo non minimùm altera vniuersalis sit. Vniuersalium igitur propositionum copiam comparari vult. Quem ad modum verò eligi vult: quæ rem vniuersam consequuntur: ita vicißim nos sumere illa vult: quæ res vniuersè consequitur: siue de quibus

bus vniuersè prædicatur: vt tum illa, consequentia, de re siue partibus quæstionis: tum res de antecedentibus, quibus ipsa consequens est, generaliter enuncietur. ipsum verò consequens, inquit, seu prædicatum: siue consequens rei sit: siue res respectu sui antecedentis: non est sumendum totum consequi: hoc est, signum vniuersale prædicato non est adijciendum: veluti omnis homo est omne animal: quòd & inutilem, & impoßibilem constitueret propositionem.

Sequitur sextum. Quando subiectū seu subiectus terminus qui tum subiectum, tum prædicatum quæstionis esse potest, cui consequentia sumere oportet, ab aliquo, tanquam communiore comprehenditur: hoc est: quando inter illa, quæ accipimus, huius subiecti termini consequentia, aliquod reperitur: quod illius genus est: illumq́; tanquam speciem sub se complectitur: necesse non est: vt huius generis & vniuersalioris consequentia eligamus: vtrum scilicet & ipsa speciem & subiectum terminum consequantur. Si enim genus & comprehendens subiectum terminum consequitur: eundem etiam consequuntur quæcunq; generi & vniuersaliori siue cōprehendenti sunt consequentia. ita si animal homini consequens est, deq́; eo prædicatur: simul etiam illi consequentia sunt quæcunq; animal consequuntur. Consequentia igitur generum & vniuersaliorum siue comprehendentium in ipsis vniuersalioribus & seorsum eligenda non sunt: cùm iam accepta in illis, puta, in suppositis

terminis, sint. Cùm enim suppositi termini, hominis, v. g. consequens animal accepisti: simul potestate in & cum animali omnia illius consequentia accepisti. Hæc igitur seorsum accipienda non sunt: potius opera danda est: vt illa accipiamus quæ speciei, siue subiecti termini propria sunt: illíque cum genere illo à quo comprehenditur non communia.

Septimum consectarium sexti est. Sicut generis, vt modò diximus, consequentia eligenda non sunt, an scilicet speciem consequantur: ita vice versa opus non est: vt speciei & subiecti termini antecedentia eligantur: an de illis genus prædicetur. quod enim de specie & communiori dicitur: id de omni eo, quod sub illo & angustius est, prædicatur.

Octauum est: sumenda esse quæ rem plerunque tum consequuntur: tum antecedunt. ex his enim Topici syllogismi generantur. Hîc omnes fere Interpretes annotarunt: de generali inuentione præcipi: vt mirum sit: quid in mentem nouo Logico venerit.

Extremũ: illa, quæ omnibus consequẽtia sunt, h. e, quæ vtranq; problematis partem subiectum & prædicatum tantùm consequuntur: neutram verò antecedunt: sumenda non sunt: quia ad syllogismum inepta sunt: cùm puras affirmantes in secunda constituant. Atque hæc nouem præcepta ad materiam syllogismi attinent: copiamq; propositionum & mediorum

diorum terminorum inuenire docent: qui è re, è subiecto vel prædicato vtpote genera propria & accidentia eorum sumuntur: quæ causa est: cur verbo ἐκλαμβάνειν καὶ ἐκλέγειν *vsus sit Aristoteles.*

Construere igitur aliquid de aliquo toto volentibus in illius quidem quod construitur respiciendum subiecta est: de quibus illud dicitur: in illius verò de quo dici debet, consequentia: quæ nam illud consequantur. si enim horum aliquid idem sit: alterum alteri inesse necesse est. Sin non omni sed alicui inesse construendum sit: spectanda illa sunt: quæ vtrunque extremum antecedunt. si enim horum aliquid idem fuerit, alicui inesse necesse est. Si verò nulli inesse oporteat: in illius quidem cui non inesse oportet, consequentia respiciendum est: illius autem quod inesse non oportet spectanda illa sunt, quæ illi adesse nequeunt: vel è contrario illius quidem cui non inesse oportet spectanda illa sunt: quæ illi adesse non possunt: illius autem quod inesse non debet respiciendum in cõsequentia est. Quòd si alicui non inesse construendum sit: illius quidem cui non inesse de-

bet consideranda antecedētia sunt: illius autem quod inesse non debet, spectanda illa sunt: quæ illi inesse nequeunt.

Altera εὐπορίας pars: ad formam pertinens: & præcepta quatuor complectens: quorum primo vniuersalem affirmantem: altero particularē affirmantem: tertio vniuersalem negantem: extremo particularem negantem concludere conclusionem docemur. Problemata enim vbi ad enunciationes seu conclusiones reuocantur, vel vniuersè vel in parte affirmantia: vel in toto vel in parte negantia sunt. Construere igitur siue monstrare, quod primum præceptum est, aliquid de aliquo toto siue conclusionē vniuersè affirmantem concludere volentibus tum in illa intuendum est: quæ prædicatum quæstionis antecedunt: tum in illa: quæ subiectum quæstionis consequuntur: quorum inueniendorum ratio ante tradita est. quòd si aliquid repertum fuerit: quod vtrunq; sit: & consequens subiecti: & antecedens prædicati: appositum mediū erit ad vniuersalem affirmantem conclusionem concludendam. maiori enim extremo subijcietur: minori verò attribuetur: quæ primæ figuræ dispositio est: in qua sola vniuersalis affirmās concluditur. exemplum: cōcludere volo: omnes verè credentes saluari. quærendum medium est: quod de subiecto conclusionis prædicetur, prædicato verò subijciatur: cuiusmodi est pacem cum Deo habere. Qui pacem

cem cum Deo habent , ſaluantur: Omnes credentes pacem cum Deo habent: g. Eodem modo ſi particularis affirmans in prima concludenda ſit: conſequentia & antecedentia quæſtionis conſideranda ſunt. Si aliquid fuerit: quod prædicatum quæſtionis vniuersè antecedat: ita vt de eo toto prædicatum dicatur : & quod ſubiectum aliquod cōſequatur: appoſitum medium erit ad particularem affirmantem in prima concludendam. Verùm Ariſtoteles Darij ſub Darapti complexus eſt.

Si itaq; in parte affirmans concludenda concluſio ſit: quod alterum præceptum eſt: antecedentia quæſtionis inſpicienda ſunt : & ſi aliquod ex illis fuerit: quod vtranq; quæſtionis partem, ſiue vtrunq; extremum antecedat: medium erit : quo in parte affirmãs in tertia in Darapti colligetur: v. g. concludere volo: quandam ſubſtantiam mori : antecedentia ſubiecti ſunt homo: bos: animal &c. prædicati: ægrotare. homo: bos. &c. homo igitur bos , vtriuſque & ſubiecti & prædicati antecedentia ſunt: ideoq; apta: quæ medium in Darapti fiant: Omnis homo moritur: Omnis homo ſubſtantia eſt: g. quædam ſubſtantia moritur. Sub Darapti Diſamis, Datiſi & Darij comprehenduntur: cùm vniuerſalis propoſitio, ſiue maior, ſiue minor ſit, in particularem facile conuerti : Darapti autem ad Darij reuocari poßit.

Tertium præceptum geminum eſt. Quia enim bifariam concludi vniuerſalis negans poteſt: idcirco

geminus illius concludendæ modus præscribitur: quorum alter est: vt subiecti consequentia spectentur, & quæ prædicato adesse nequeunt: siue extraria: quæ tum illa sunt: de quibus prædicatum quæstionis dici nequit: tum illa: quæ de illo dici non possunt. Si aliquid sit subiecti consequens: quod ipsum quoque prædicato vel non subijciatur: vel non de eo dicatur: aptum medium erit ad vniuersalem negantem in Celarent & Cesare concludendam: ac in Celarent quidem: si prædicato non subijciatur: in Cesare autem: si de eodem non dicatur exemplum. Sit conclusio, nulli verè credentes damnantur. Consequentia subiecti inter cetera sunt, renatum esse: grauiter labi: pacem habere cum Deo: iustificatum esse: de quibus primum & duo postrema prædicato adesse non possunt: eiq; nec subijci: nec de eo dici. aptum igitur quodq; horum est ad vniuersalem negantem in Celarent vel Cesare concludendam. Nulli pacem cum Deo habentes damnantur: O. verè credentes pacem cum Deo habent: g. N. damnantur. in Cesare: Nulli qui damnantur pacem cum Deo habent: O. vere credentes pacem cum Deo habent: g. Nulli verè credentes damnantur. Alter modus est: vt subiecti extraria, quæ de eo dici nequeunt, & prædicati consequentia considerentur. Si sit quod de prædicato dicatur: subiecto verò attribui nequeat: accommodatum erit: quo conclusio in Camestres concludatur: exempli causa:

ſa: Omnes qui damnantur reprobi ſunt: Nulli verè credentes reprobi ſunt: Nulli igitur verè credentes damnantur. reprobum enim eſſe prædicato quæstionis. Vtrum verè credentes damnentur, conſequens: à ſubiecto verò alienum eſt.

Quartum præceptum. Si in parte negans colligenda concluſio ſit: antecedentia ſubiecti: & quæ prædicato ineſſe nequeunt, inſpice. ſi aliquod fuerit, quod vtrunque ſit: antecedens ſubiecti: & alienum à prædicato: cauſa erit: cur in parte negans concludatur. Esto concluſio: quidam credentes non ſeruantur. antecedentia ſubiecti ſunt renatum eſſe: pacem cum Deo habere: temporarium eſſe: quorum extremum vtrunque eſt: antecedens ſubiecti: & repugnans prædicato. Syllogiſmus igitur erit: in Feriſon: Nulli temporarij ſeruantur: quidam temporarij ſunt credentes: g. quidam credentes non ſeruantur. Conuerte minorem ſimpliciter: & ſyllogiſmum in Ferio habes. rurſus maiorem in Ferio conuerte: & ſyllogiſmum in Festino habes: de qua re alibi Philoſophus præcepit. Qui plura ad euporian attinentia cognoſcere volet: is Ariſtotelem ipſum conſulat. li. 1. Prior. cap. 26. li. 1. Prior. cap. 20.

DE DIVISIONE, ET SYL-logismo illius.

CAP. XII.

Diuisio, generatim accepta, oratio est: qua totū aliquod in partes suas distinguitur.

Etsi plures diuisionis species sunt: illa tamen sola vera diuisio est: qua genus in species per differentias distinguitur: quæ sic definienda est: Diuisio est oratio: qua à genere noto ad species ignotas, per differentias notas proceditur. Animal aliud bipes est: aliud quadrupes. Oratio hæc diuisio est: quia genus in species, siue totum in partes diuidit. Totum, quod diuiditur, & à quo diuisio incipit, diuisum dicitur: partes, in quas totū illud diuiditur, membra diuisionis.

Recensentur autem quinq; diuisionis species: alia, qua genus in suas species: alia, qua subiectum in sua accidentia: alia, qua accidens in accidentia: alia, qua totum in partes: alia denique, qua nomen homonymon in suas significationes distinguitur.

Diuiditur genus in suas species differentijs, vt vocare solemus, specificis. differētia enim generi iuncta,
Lib. 1. ca. 3. *genus vt suprà dicebamus, ad certam speciē restringit. quòd si duas, vel plures differentias generi iungas,*

gas,

gas, diuisionem habes: v.g. animal aliud ratione præditum est: aliud ratione destitutum: ratione destitutum aliud terrestre: aliud volatile: aliud aquatile. per genus autem hîc non infimum solùm sed quoduis genus, etiam medium & summum accipiendum est. Sic diuisio generis in species ista oratio est: corpus aliud animatum: aliud inanimum est. animatum aliud sentiens: aliud non sentiens.

Alia diuisio subiecti in sua accidentia est: e.c. homo alius literatus: alius illiteratus est: animalium aliud nigrum: aliud album est.

Alia accidentis in accidentia est: veluti: flauum aliud dulce: aliud amarum est.

Alia totius in partes est: vt hominis alia pars animus: alia corpus est. Sunt autem partes duplicis generis: essentiales: quæ essentiam rei constituunt: vt materia & forma: anima & corpus essentiam animalis: integrantes, vt vocant: quæ integrum quid efficiunt: vt caput, thorax, venter &c. corpus animalis. in partes integrum efficientes totum quantum: veluti corpus animalis in sua membra: in essentiales compositum vel species diuiditur: vt homo in animū & corpus: corpus naturale in materiam & formam. Ceterùm diuisio ista reuera non diuisio, sed tantùm partitio est: cùm totū in partes partiatur. Talis Logices in communem & propriam partem diuisio est.

Postrema homonymi vocabuli in suas significationes diuisio est: vt electio alia æterna est & ad vi-

tam æternam: alia ad officium: alia in tempore fiti qua è Mundo eligimur. Fides alia viua: alia mortua est. Hæc quoq; diuisio non diuisio, sed tantum diuersarum significationum enumeratio est.

Ceterùm diuisio non est syllogismus: multò minus syllogismus apodicticus: quo essentia alicui inesse demonstretur: vt antiqui putarũt. Syllogismus enim quæsitum suum demõstrat: diuisio verò precariò obtinet: deinde in demonstrationibus, quibus aliquid alicui inesse monstratur medium maiore extremo communius esse non debet: quod contrà fit in diuisione: in qua medium maiore extremo communius est.

Diuisioni plurimum tribuere solitus est secundũ Socratem Plato: vt ex Phædro apparet. & reuera non parum vtilitatis vera diuisio habet: quippe quæ perspicuitatem, sicut omnis distinctio, gignit. Ac licet definitiones, vt antiqui putabant, non demonstrent: plurimum tamen, ipsomet Aristotele teste, confert ad definitiones indagandas: quam ob rem passim rerum definitiones, vt ex naturæ, fortunæ, animæ, & aliorum definitionibus liquet, diuisione venatus est.

lib. 2. Poster cont. 73. & seq. item cont. 25. lib. 2. Phys. cõt. 3. & 48. lib. 3. de anim. cõt. 2. & 3.

Verbis, quæ scripsimus, duo complectimur: conclusio-

clusionem: & conclusionis confirmationem. Conclusio quadripartita est: Diuisio non est syllogismus, aut vi syllogistica prædita: multò minus syllogismus apodicticus: & multò minus demonstratio, qua aliquid alicui inesse: & quidem quòd hoc istius definitio sit, demonstretur. Ratio primi est: quia quod cõcludere vult, id petit. exemplum: concludere diuisione volo, hominem ratione præditum esse: idq; vt definitionem hominis consequar. Sumo genus hominis notum, animal: idq; differentijs notis diuido: v.g. Omne animal vel ratione præditum est: vel ratione destitutum: homo animal est: quid sequitur? hoc: g. vel ratione præditus est: vel ratione destitutus. alterum verò, quod concludere volo, vi diuisionis non efficitur: sed precariò solùm obtinetur: immò hoc quoque, ergo vel ratione præditus est vel ratione destitutus, non alia quàm syllogistica vi efficitur.

Si ergò syllogismus non est: multò minus demonstratio est: & si demonstratio non est: multò minus demonstratio vniuersalem affirmantem conclusionẽ colligens (vtranque enim demonstratio colligit affirmantem & negantem vniuersalem) & quidem multò minus definitionem & τὸ τί ἐστι demõstrans: cùm hoc domonstrari nequeat: de qua re in Cõmentario nostro in Posteriora. Alia conclusionis ratio, qua probatur, diuisionem demonstrationem nõ esse: demonstrationem scilicet: qua aliquid alicui inesse mõstretur: qualẽ illã esse oportet: qua essentia & de- lib.2. a cont. 20. vsque ad cont. 36.

finitio rei concludenda est, hæc est. In demonstratione medium maiore extremo communius non est: in diuisione verò communius est: diuisio ergò demonstratio non est. Maior è libro de demonstratione liquebit: καθόλȣ *enim semper maior propositio in demonstratione* τȣ̃ διότι *est: ideoq; terminis reciprocis constans: minor patet. per medium enim animal in nostro exemplo concludere de homine voluimus: eum ratione præditum esse.*

Neque valet obiectio: diuisum cum membris diuisionis, si totum in illa cadat, v.g. animal cum ratione prædito & ratione destituto reciprocare. Diuisio enim vtrunque, vel si plura duobus membra sint, singula seorsum sumit: quia vnum tantum vult eligere: vt diuisum cum illo nullo modo reciprocet. vt hoc li. 1. Prior cap. 22. *significaret Aristoteles, dixit:* diuisio verò contrarium vult.

DE ANALYSI SYLLOgismorum.

CAP. XIII.

Primùm eniti oportet: vt duæ syllogismi propositiones excerpantur: videndumq; est: vtra in toto & vtra in parte sit: & si nó vtraque sumta sit, altera ponenda est: deinde in terminos faciéda diuisio est: mediusq; terminus ille statuendus: qui in amba-

ambabus propositionibus dicitur. Si enim medium prædicetur simul & subijciatur: aut ipsum quidē prędicetur: aliud autem de eo negetur, figura prima erit. & sic de ceteris duabus figuris. Quoniā autē habemus: quale problema in quaq; figura concludatur: & in qua vniuersale: in qua particulare concludatur: planum est: non ad omnes figuras respiciendum esse: sed ad cuiusq; problematis propriā. quæcunq; verò in pluribus concluduntur: è medij situ figura cognoscetur.

Adhuc duæ partes, ad naturam syllogismi attinentes, explicatæ sunt: tertia sequitur in analysi. ἀναλύειν *seu resoluere est conclusione posita, causas & principia inquirere: ex quibus conclusa est: videreq;: num rectè nec ne conclusa sit: quod fit: cùm ad figuram & modum syllogismus reuocatur. Resolutionis istius tria his verbis ex Aristotele præcepta cōplectimur: quorum primum est: vt appareat: an concludendi vim Syllogismus aliquis habeat: & an reuera conclusionē probet: primò excerpendæ ambæ propositiones sunt. facilius enim in maiores & compositas partes, cuiusmodi propositiones sunt, syllogismus resoluitur: quàm in simplices & minores: quæ sunt tres syllogismi termini. Prima quidē cura in resoluendo aliquo scripto esse debet: vt quæ principalis* li. 1. Prior. cap. 23.

quæstio siue conclusio sit, videamus: sed Aristoteles hîc de syllogismi analysi, cuius conclusio nota est, præcipit. primum igitur conclusionis notæ excerpendæ propositiones sunt: deinde vidēdum: vtra in toto siue maior: vtra in parte seu minor sit: tum si alterutra omissa est, illa supplenda est. Eodem modo agendum est: si vel vtraque, vel alterutra præmissarum rursus probetur: ne probari existimemus: quæ reuera non probatur. Hoc primum est.

Alterum præceptum est: vt propositiones, ita excerptæ in terminos resoluantur: mediusq́ terminus ille statuatur, qui in vtraque propositione semel reperitur. si talis nullus sit: etiam syllogismus nullus est. Quòd si hic terminus medius attribuatur simul & subijciatur: vel non quidem subijciatur: sed tantùm attribuatur: aliud autem de eo negetur: figura prima est: in qua medium minori extremo semper attribuitur: maiori autem vel subijcitur: vel ab eo maius extremum remouetur. Quòd si alteri extremorum attribuatur: de altero verò negetur: figuram mediam constituit: Sin vel vtrique subijciatur: vel alterum de eo dicatur: alterum autem ab eo remoueatur: figuram tertiam.

Tertium præceptum est: in analysi ista syllogismorum. quæ ad figuras & modos reuocantur, non ad omnes simul tres figuras respiciendum esse: sed ad illam tantum: in qua syllogismus quisque construitur.

Colli-

Colligitur hoc vel ex problemate siue conclusione: vel ex collocatione medij. Si enim vniuersalis affirmans conclusio sit, ad solam primam pertinet: sin vel vniuersalis negans: vel in parte negans aut affirmans, non amplius è problemate colligitur: cum vniuersalis negans in prima & secunda: in parte aiens in prima & tertia: particularis verò negans in omnibus tribus figuris colligatur: sed ex collocatione medij.

Accidit autem crebrius: vt in syllogismis decipiamur: eò quod necessarium quid ex illis quæ posita sunt, consequatur: aliquando verò: ob similitudinem collocationis terminorum.

His verbis duæ erroris causæ continentur: quibus fit: vt syllogismum esse putemus, qui non est: altera necessarium: altera collocationis terminorum similitudo. In omni quidem syllogismo conclusio ex necessitate efficitur: sed nõ omnis oratio, in qua aliquid ex necessitate sequitur, syllogismus est: nisi ob talem terminorum, de qua dictum est, dispositionem consequatur. Ita syllogistica vi destituta hæc oratio est: Quod homo est, id animal est: quod animal est id substantia est: g. quod homo est, id substantia est: exemplũ hoc Aristotelis est: Apparet ergo liquidò, Soriten, quia ad hunc modũ colligit, syllogismum, de sententia Aristotelis, non esse. Quòd si propositiones hoc pacto

collocentur. Quicquid animal est, id substantia est: O. homo animal est: g. syllogismus bonus est: Sin verò semper præcedentis propositionis prædicatum subiectum sequentis fiat: non legitimo modo se habēt propositiones: vt hîc ait Aristoteles. Atque hinc quoque responsio sumitur ad Talæi tempestatem, qua ille abreptus fuit, dissipandam, Venti incubuêre mari &c.

Altera erroris causa est consimilis terminorum collocatio. Si enim medius terminus maiori extremo subijciatur: de minore verò dicatur: syllogismus esse putabitur, qui nihil minus est: idq; propterea: quòd ad nullum modum quadret: quòd vel maiorem particularem in prima habeat: vel minorem negantem: vel alias ob causas. Non satis igitur est: vt ad figuram syllogismus quadret: nisi cum modo quoq; congruat. Exemplum ab Aristotele hoc adfertur: Intelligibilis Aristomenes (intelligibilis autem dicitur: quâ in mente aliquorum vel alicuius est: & quâ in memoria viuit: sicut intelligibilis Aristoteles etiam hodie est & viuit: quantumuis mortuus) semper est: Aristomenes, siue hoc indiuiduum hîc ambulans, intelligibilis Aristomenes est: g. semper & perpetuus est: & nunquam interit. Collocatio terminorum legitima est: sed non legitima propositionum quantitas: quia maior non est vniuersalis in prima: quo fit: vt falsa ex veris præmissis cōclusio efficiatur. Hoc igitur in analysi syllogismorum quoq; diligenter considerandum est: ne satis esse putemus: si legitima in syllogismo termino-

mino-

minorum collocatio ſit. Hinc liquet: qaid de ſyllogiſmis illis nouorum Dialecticorum ſentiendũ ſit: Iulius eſt Papa: ego ſum Iulius: g. Papa: quibus ſimpliciter locus non eſt in figura prima: cuius maiorem totum quiddã eſſe oportet reſpectu minoris: vt ex dicto de omni & de nullo liquet: & origo iſtorum ſyllogiſmorum ignorantia fuit illorum principiorum. Qui plures erroris cauſas cognoſcere volet: is Ariſtotelem conſulat.

Autorem igitur aut ſcriptum: vel caput aliquod reſoluturo primò omnium videndum eſt: quæ primaria illius quæſtio ſiue concluſio ſit: id quod ex ſcopo autoris colligitur: deinde, vt hîc præcipit Ariſtoteles, quæ & quales propoſitiones, quibus probatur: an ambæ ponantur: an altera ſolùm, & vtra. plerumque enim altera omittitur: crebrius etiam omiſſæ loco confirmatio illius ponitur: quæ rurſus diligẽter examinanda eſt: ceteráque facienda & obſeruanda: quæ facere & obſeruare iuſſit Ariſtoteles: vel quod eodem redit: quæſtio primaria conſideranda eſt: & prima illius quæſtionis ratio: quæ cum vtroque quæſtionis extremo coniuncta duas propoſitiones efficit. Ita nullum ſcriptum. quantumuis prolixum, eſt: quod non primario aliquo ſyllogiſmo qui ex quæſtione primaria, & prima illius ratione conſtat complecti poſſit. Hoc pacto bonus Logicus non ſolum dextre & perſpicue docere: verùm etiam argumentorum vim aut infirmitatem, & crebrius etiam autoris in rebus Logi-

cis ignorantiam deprehendere potest: quam in antiquis Philosophis, in Parmenide, Melisso, & ceteris Aristoteles deprehendit. Exempla ἀναλύσεως hîc inserere intempestiuum esset. qui ea requirit, is Commentarium nostrũ in octo libros Physi. consulat. reperiet ibi exempla & quàm plurima, & quàm optima.

DE SYLLOGISMIS, PLVRES vna conclusiones colligentibus.

CAP. XIV.

Quoniam autem syllogismorum alij quidem vniuersales sunt: alij verò in parte: vniuersales quidem omnes semper plura concludunt: particularium verò affirmantes quidem plura: negantes verò solam conclusionem.

Tractationem de syllogismo, quemadmodum & illam, quæ de demonstratione est, in duas principes partes Aristoteles distinxit: in illam, quæ naturam: & in illã, quæ proprietates explicat syllogismi: quibus duabus partibus, teste Auerroe, perfecta cuiusque rei cognitio continetur. (li. 2. Poster. cont. 10.) *illam, quam in tres rursus partes tribuit, in genesim, euporian, analysin syllogismi, primo Priorum Analyticorum libro persecutus est: hanc secundo.* (li. 1. Prior. cap. 23.) *Quæ igitur adhuc explicauimus, ea primo Priorum libro respondent: quæ deinceps dicturi sumus, secundo.*

Primam igitur syllogismi proprietatem, vim & robur

robur illius declarantem, eam Aristoteles recenset: quòd vnico illo, qui in parte negans est, syllogismo excepto, reliqui omnes plures vna colligant conclusiones. ratio vtriusque est: quia sola in parte negans conclusio non cõuertitur: reliquæ autem omnes conuertuntur. Ita iisdem propositionibus, quibus ista conclusio efficitur, omnes verè credentes saluantur, etiã conuertens efficitur: ergo quidam qui saluantur sunt verè credẽtes: & quibus ista: nulli hypocritæ saluantur: etiam ista: nulli qui saluantur hypocritæ sunt: quibus ista: quidam electi saluantur: etiam ista: quidam qui saluantur electi sunt: sed altera actu: altera potestate. hoc vnum est. li.2. Prior. cap.1.

Alterum est: vniuersales primæ figuræ syllogismos siue affirmantes siue negantes sint, etiam alia ratione plura colligere. Illorum enim vi non de minore solùm extremo maius in conclusione vel affirmatur, vel negatur: sed de omni etiam illo: quod vel sub minore extremo, vel sub medio eodem modo quo minus syllogismi extremum continetur. exemplum: Omne corpus circumscriptum est: Omne animal corpus est: g. omne animal circumscriptum est. hoc syllogismo simul potestate colligitur: g. omnis homo, omnis equus, & quicquid sub animali continetur, circumscriptum est: Omne nanque animal circumscriptum est: omnis homo animal: g. & deinde: g. quicquid animatum est id circumscriptum est. Omne corpus circumscriptum est: quicquid animatũ est, id corpus est: g. Qua-

tuor igitur conclusiones syllogismo vniuersali affirmante efficiuntur: primaria: illius conuertens: & reliquæ duæ. Eadẽ vniuersè in prima negantis ratio est.

Mediæ autẽ figuræ vniuersè negantes de illo tantùm maius extremum concludunt: quod sub minore extremo continetur: v. g. Nullus lapis sentit: omne animal sentit: g. nullum animal lapis est: g. etiam nullus homo, nullus equus lapis est. Vniuersè igitur in secunda negantes tres colligunt conclusiones.

Particulares contrà syllogismi, siue affirmantes, siue negantes sint: siue primæ: siue tertiæ: siue mediæ figuræ: illius quod sub conclusionis subiecto est, necessitatem nullam continent: illius verò quod sub medio est, aliquo modo. Ratio illius est: quia conclusio particularis, si quod sub illius subiecto continetur, assumatur, syllogismusq; componatur, particularẽ maiorem propositionem in prima constituet: huius autem: quia si sub medio aliquid assumatur, maior eadem manet: quæ ante erat. exemplum. Nullum animal perpetuum est: quidam homo animal est: g. quidam homo non perpetuus. Nullũ animal perpetuum est: quidam vel omnis equus animal est: g. nullus vel quidam equus non perpetuus. hoc priori syllogismo efficiebatur: sed quodam modo: quia non virtute illius syllogismi: cuius minor cum particularis fuerit: vim illam non habet, quam habet vniuersalis.

Causa multiplicis istius illationis gemina est: conuersio conclusionis: & vis dicti de omni & de nullo.

DE

DE CONCLVSIONE VERA ex præmißis falsis.

CAP. XV.

Ex veris nunquam falsum: ex falsis autem quandoque etiam verum efficitur.

Sensus est: ex præmißis veris nunquam falsam sed veram perpetuo: ex falsis autem quandoq; veram etiam consequi conclusionem. Causam Aristoteles hanc adfert: quia sicut se species & genus habent: ita se habent propositiones & conclusio: quæ propositionibus, vtpote aliis propositionibus cõcludi potis, communior est. Sicut igitur specie posita, genus ponitur: veluti, si homo est, animal est: & genere destructo, species destruitur: veluti animal non est: g. homo non est: ita propositionibus positis, hoc est, veris (verum enim aliquid, vt loquuntur, reale & positiuum est, falsum autem illius priuatio) ponitur, hoc est, vera conclusio est: quo fit: vt ex veris falsum nunquam efficiatur: & destructa conclusione: quod fit: cùm falsa & non vera est, propositiones destruuntur & falsæ sunt: & sicut ad euersionem speciei siue antecedentis generis siue consequentis euersio non consequitur: veluti, homo non est: g. animal non est: vel ad positionem consequentis positio antecedentis: animal est: g. homo est: ita quoq; destructis siue falsis præmißis, non sequitur conclusionem falsam esse: aut posita & vera

li. 2. Prior. ca. 2. & 4.

conclusione, veras etiam præmissas esse. exempla quòd ex falsis verum sequatur, multa suppetunt. Omnis lapis animal est: Nullus homo animal est: g. N. homo lapis: Omne album animal est: Omnis cycnus albus est: g. O. cycnus animal. In quibus autem figuris, & quot modis ex falsis verum efficiatur, Aristoteles prolixe ostendit.

li.2. Prior. cap.2. 3. & 4.

DE CIRCVLO SEV SYLLOGISMO *gismo in orbem: quem circularem vocant.*

CAP. XVI.

Circulo & ex se inuicem monstrare, est ex conclusione, & altera propositione, simpliciter conuersa, alteram concludere.

Circuli nomẽ ad syllogismum per similitudinem translatum est ab Antiquis. Sicut enim in circulo & figura Mathematica ab eodem puncto ad idem punctum per peripheriam reditus fit: ita ab iisdem propositionibus ad earundem confirmationem per conclusionis probationem reditur. Circulus igitur est: cùm conclusionem ex præmissis collectam accipimus: & cum ea alterã præmissarum, sed simpliciter conuersam: itâque alteram propositionem relictam concludimus: rursus cùm eandem primi syllogismi conclusionem accipimus: eamq́ illius quam monstrare volu-

mus propositionis loco ponimus: & cùm conclusione alteram quā monstrauimus propositionē: sed simpliciter conuersam: itaq; alteram quoque, nondū monstratam, demonstramus. exemplum. Omnes iustificati pacem habent cum Deo: O. verè credentes iustificati sunt: g. O. verè credentes pacē cum Deo habent. O. verè credentes pacem habent: O. iustificati verè credentes sunt: g. O. iustificati pacē habent. O. pacem habentes iustificati sunt: Omnes verè credentes pacem habent: g. O. verè credentes iustificati sunt. Ita & conclusio ex præmißis: & ambæ præmissæ ex conclusione & se inuicem monstratæ sunt.

Patet igitur: circulum istum in reciprocis solùm locum habere: cùm simplex ad eum conuersio requiratur. Falsum ergo est: quod Antiqui existimarunt: omnia circuli more ex se inuicem demonstrari posse: falsißimum autem: omnes istos in orbem & circulum redeuntes syllogismos causæ demonstrationes esse: de qua re in Posterioribus.

Est autem circulus iste duplex: perfectus: & imperfectus. perfectus est: in quo cum conclusione ambæ propositiones, istarumque omnium conuertentes monstrantur: imperfectus: in quo hæc omnia non monstrantur.

Perfectus circulus in solo Barbara reperitur: in quo primū ex duab. propositionib. conclusio: dein vtraq;

vt dictum est, propositio: tum & conclusionis & vtriusque propositionis conuertens monstratur: vt sex in perfecto circulo syllogismi sint: hoc modo:

1.

Omnes iustificati pacem cum Deo habent:
O. verè credentes iustificati sunt: g.
O. verè credentes pacem cum Deo habent.

2.

O. verè credentes pacem cum Deo habent:
O. iustificati verè credentes sunt: g.
O. iustificati pacem cum Deo habent.

3.

Quicunq; pacem cum Deo habent iustificati sunt.
O. verè credentes pacem cum Deo habent: g.
O. verè credentes iustificati sunt.

4.

Quicunque pacem cum Deo habent verè credentes sunt.
O. Iustificati pacem cum Deo habent: g.
O. iustificati verè credentes sunt.

5.

O. verè credentes iustificati sunt:
Quicunque pacem cum Deo habent verè credentes sunt: g.
Quicunq; pacem cũ Deo habent iustificati sunt.

6.

O. iustificati verè credentes sunt:
Quicunq; pacem habent iustificati sunt: g.

Qui-

Quicunq; pacem habent verè credentes sunt.

Ita omnia ex se inuicem monstrata sunt: ac quarto quidē syllogismo minor secundi: quæ in secundo absq; demonstratione sumta est: quinto maior tertij: sexto maior quarti & minor quinti simul: eâdem ratione: qua ante primi syllogismi propositionem ex conclusione & altera propositione monstrandam esse diximus. Cetera, quo pacto imperfectus circulus fiat: & quo modo tum in ceteris duabus figuris tum in ceteris primæ figuræ modis hic syllogisticus circulus construatur, ex Aristotele petantur.

DE SYLLOGISMO HYpothetico.

CAP. XVII.

Hypotheticus syllogismus est: cū loco maioris propositionis, propositio composita ponitur: eaq; vel hypothetica: vel disiuncta: loco verò minoris alterutra compositæ pars: & pars altera concluditur.

Hypotheticus syllogismus Aristoteli & Interpretibus illius tum ille est: cuius maior propositio hypothetica est: tum ille: cuius maior disiuncta est. Dicitur hypotheticus vterque: quia vterq; syllogisticæ necessitatis expers est: & cum conditione siue ex pacto solum concludit: vt claris verbis Aristoteles pronun-

li. 1. Prior. cap. 25. *ciauit. Qui ita colligit: si in curia est, nō in Vrbe enim est, nihil concludere potest nisi ex pacto. eadem disiuncti ratio est: qui tum demùm cōcludendi vim habet: cū maior siue disiuncta propositio partibus contradicentibus constat: veluti: aut ratione præditum est: aut rationis expers. si enim ita colligas: aut albus est, aut niger: sed nō albus: g. nihil necessariò colligit: cùm fuscus esse queat. Hypotheticus igitur syllogismus reuera syllogismus non est: teste secundum Aristotelem etiam Auerroe: licet syllogismus nuncupetur: eò quòd ad syllogismum verum reuocari queat.*

li. 1. Prior. cap. 25. lib. 1. Poster. com. 177.

Atque hæc causa est: cur hypothetico locum inter syllogismi proprietates aßignarim: quia imperfectio quædam syllogismi est: de quo etiam Aristoteles post naturā syllogismi explicatam demùm se præceptorum pollicetur: & de quo proculdubio inter proprietates præcepisset: & quidem ibi: vbi de syllogismo ad incommodum ducente præcepit: cùm hic etiam è numero hypotheticorum sit: vt ipsemet Aristoteles testatur: si non aliquod illi obiectum impedimentum fuisset.

li. 1. Prior. cap. 25. li. 1. Prior. cap. 21.

Illi verò à vero procul absunt: qui hypotheticum syllogismum compositum syllogismum appellandum esse censent. Cōpositus enim syllogismus à Peripateticis dicitur dicíq; debet: qui è duobus aut pluribus syllogismis constat: non qui propositionem alterā compositam habet. Sicut enim enunciatio, composita enunciatio non dicitur: licet è subiecto & attributo constet

Auer. in epitom. in Prior. c. 8.

constet compositaq́; sit: nec compositus homo: licet ex animo & corpore constet: ita quoque composita propositio non efficit syllogismum compositum. Dicam, si possum planius. Enunciatio simplex composita est: quia è subiecto & attributo constans: sed non est enũciatio composita: ad quam duæ enunciationes requiruntur. homo compositus est: quia è corpore & anima constans: & quidem è corpore ex elementis composito: sed non est homo compositus: ad cuius compositionem duò minimùm homines requirerentur: sicut ad compositam enunciationem duæ enunciationes simplices.

Exempla hypotheticorum ista sunto: Si corpus Christi quantum est, finitum est: sed quantum est: g. finitum: Vel hoc modo (vtraq; enim composita pars minoris loco collocari potest: & antecedens: & consequens:) Si quantum est, finitum est: sed finitum non est: g. nec quantum.

Est autem hypotheticus duplex: cõiunctus & disiunctus. ille est: qui maiorem hypotheticam: hic qui eam disiunctam habet.

Coniuncti siue connexi exemplum allatum est: disiũcti hoc accipe: aut vere credit, aut hypocrita est: sed hypocrita non est: g. verè credit.

Cõiunctus rursus duplex est. Vel enim consequentibus perfectæ cõsequentiæ con-

ſtat: vel imperfectæ conſequentiæ: quorum ille quatuor: hic verò duas solùm ſpecies habet concludentes. in hoc enim minoris loco vel maioris antecedēs ponitur: & cōſequens cōcluditur: vel euerſio conſequentis: & euerſio antecedentis infertur: in illo autem & maioris antecedens loco minoris ponitur ad concludendum conſequens: & conſequens ad concludendum antecedens: & euerſio conſequentis ad antecedentis euerſionem concludendam: & è contrario antecedentis euerſio: vt ſic conſequentis euerſio efficiatur.

Conſequentia hic duæ illæ compoſitæ propoſitionis partes, antecedens & conſequens, dicuntur: inter quas conſecutio quædam eſt: cùm & conſequens ad antecedens: & hoc viciſsim ad illud certa lege conſequatur. Conſecutio iſta vel perfecta eſt: vel imperfecta: perfecta: ſi ſicut conſequens ad antecedens: ita viciſsim hoc ad illud conſequatur: quod fit: cùm duo illa reciproca ſunt: imperfecta: cùm conſequens quidem ad antecedens: ſed non è contrario hoc ad illud conſequitur: quod fit: quoties conſequens latius patet antecedente: quæ cauſa eſt: cur illa connexi ſpecies quatuor: hæc duobus ſolum modis concludat.

Exemplis res fiet planior. exempla perfectæ conſequentiæ: Si ſol ortus eſt, dies eſt: ſed ſol ortus eſt: g. dies

dies eſt: vel: ſed dies eſt: Sol igitur ortus eſt: vel tertio: ſed dies non eſt: Sol igitur ortus non eſt. vel deniq;: ſed Sol non eſt ortus: dies ergo nō eſt. Si verè credit, iuſtificatus eſt: ſed verè credit: iuſtificatus ergo eſt: vel ſed iuſtificatus eſt: g. verè credit: vel tertio: ſed iuſtificatus non eſt: non igitur verè credit: vel deniq;: ſed non verè credit, non ergo iuſtificatus eſt. In imperfecta conſequentia eaſdem quatuor ſpecies cernimus: ſed ex quibus duæ tantùm illæ, de quibus diximus, concludunt: e.c. Si homo eſt, animal eſt: ſed homo eſt: g. animal. vel: ſed animal eſt: g. homo: vel tertio: ſed animal non eſt: g. non homo: vel denique: ſed homo non eſt: g. animal non eſt. Ita ſex concludendi ſpecies in hypothetico coniuncto habemus.

Ceterùm in maiore iſtius ſyllogiſmi propoſitione vel affirmatio cum affirmatione componitur: h. e, vtraq; compoſitæ pars, & antecedens, & conſequens, affirmans eſt: vel negatio cū affirmatione: h. e. antecedens ait: conſequens autem negat: vel affirmatio cum negatione: quod fit: cùm conſequens ait: & antecedens negat: vel negatio cum negatione: quod fit: cùm vtrunque, antecedens & conſequens, particulam negantē ſibi adiunctam habet. Exemplum primi: Si homo eſt, animal eſt: ſed homo eſt: g. exemplū ſecundi: Si homo eſt, bos non eſt: ſed homo eſt: g. exemplum tertij: ſi hoc viuum planta non eſt, animal eſt: ſed non planta: g. exemplum quarti: Si hoc animal non eſt, etiam homo non eſt: ſed animal non eſt: g.

Quòd si sex illas species, quas concludere diximus, in has quatuor duxeris (singulæ namq; qualitatis respectu quadrifariam variari possunt) species habebis quatuor & viginti. Verùm enimuero quantitatis quoq; respectu quadrifariam sex illæ species variari possunt: qua de re Auerroem consule.

in epit. in Analyt. prior. ca. 5.

Disiunctus quatuor species habet. Vel enim loco minoris antecedens maioris ponitur: & euersio consequentis concluditur: vel consequens maioris: & antecedentis euersio efficitur: vel euersio antecedentis: & infertur consequens: vel denique euersio consequentis ad antecedens concludendum.

Exemplum primi: aut est ex traduce anima, aut à Deo infunditur: sed ex traduce est: g. non infunditur: vel: sed infunditur: g. non è traduce est: vel: sed è traduce non est: g. infunditur: vel denique: sed non infunditur: è traduce igitur est. Ratio istius consecutionis est: quòd vera disiuncta partibus contradicentibus constat. Sic igitur ex connexa siue hypothetica & disiuncta propositione ratiocinamur: tertia, copulandi vim habens, ad hoc negotium inepta est: Quòd enim aliqui hoc modo ex illa ratiocinandum esse docent: Deus est immortalis: & homo est mortalis: ergò Deus est immortalis: vel sic: Deus est iustus & vindex scelerum: atqui hoc totum verum

est: Deus igitur iustus est: nihil præter ταυτολογίαν docent: quæ etiam causa est: cur apud nullũ idoneum autorem eiusmodi ratiocinatio reperiatur.

Ceterùm etsi hypothetici isti, quâ hypothetici sunt, syllogistica vi destituti sunt: ad Categoricos tamen reuocantur: illiq́ꝫ soli hypotheticè & ex pacto concludunt: qui ad bonos Categoricos reuocari possunt. Prima igitur coniuncti species: in qua antecedente posito consequens ponitur, ad primam figuram ad Barbara vel Darij reuocatur: altera in qua consequente posito antecedens ponitur, ad figuram secundam: tertia, in qua ex consequentis euersione antecedentis euersio colligitur etiam ad secundam, ad Camestres vel Baroco: extrema, in qua ex antecedentis euersione consequentis euersio efficitur, ad figuram primam. Eadem ferè disiuncti ratio est.

Exempla reductionis istius: ac primùm hypothetici coniuncti,

I.

Hypotheticus: Si homo est, animal est: Sed homo est: g.

Categoricus: Quicunque homo est, is animal est: Petrus homo est: g. Vel in Barbara.

Hypothet. Si verè credit, iustificatus est: sed verè credit: g.

Categor. Quicunque verè credit, is iustificatus est: Omnis renatus verè credit: g.

2.

Hypothet. Si homo est, animal est: sed animal est: g. homo.

Categor. Qui homo est, is animal est: Petrus animal est: g. homo. non valet: quia puris affirmantibus in secunda constat. hic verò bonus est.

Hypothet. Si verè credit, iustificatus est: sed iustificatus est: g. verè credit.

Categor. Qui verè credit, is iustificatus est: renatus iustificatus est: g. verè credit. ratio est: quia maior simpliciter conuerti potest: quo fit: vt potestate in prima sit. licet actu ad secundam pertineat figuram: de quo mox plura.

3.

Hypothet. Si homo est, animal est: sed animal non est: g nec homo.

Categor. Qui homo est, animal est: planta animal nō est: g. nec homo Bonus est: quia in Camestres: licet antecedens & consequens non sint reciproca.

4.

Si homo est, animal est: sed homo non est: g. nec animal. non valet: quia Categorici minor negans in prima erit. Omnis homo animal est: equus non est homo: g. non animal. hic verò bonus est. Si iustificatus est,

est, pacem cum Deo habet: sed iustificatus non est: g. pacem non habet.

Categor. Omnis iustificatus pacem cum Deo habet: Iudas non fuit iustificatus: pacem ergo cum Deo nō habuit. causa est: quia maior terminus reciprocis cōstat: ideoq́ licet syllogismus iste actu in prima figura sit: potestate tamen est in secunda.

Causa istius reductionis est: quòd hypothetica ista, si homo est, animal est, & simplex ista, Omnis homo animal est, idem valeant: quamuis illa non semper vera sit: vt si dicas: Si in curia est, non est in vrbe: quæ causa est: cur ex pacto solùm, vt dicebamus, hypotheticus concludat. Exempla disiuncti.

1.

Disiunctus. Aut ex traduce anima est: aut à Deo infunditur: sed ex traduce est: g. non infunditur.

Categor. Quod ex traduce est, id non infunditur: anima è traduce est: g.

2.

Hypothet. Aut ex traduce anima est, aut infunditur: sed infunditur: g. ex traduce non est.

Categor. Quod ex traduce est, non infunditur: anima infunditur: non igitur è traduce est.

3.

Hypothet. Aut è traduce anima est, aut infunditur: sed non è traduce est: g. infunditur.

Categor. Quòd è traduce non est id infunditur: anima è traduce non est: g. infunditur. Valet: quia

minor infinita est. perinde est: ac si ita ratiocineris: omnis res, quæ ex traduce non est, infunditur, anima res est, non è traduce: g. infunditur.

4.

Hypoth. Aut è traduce anima est, aut infunditur: sed non infunditur: è traduce igitur est.

Categor. Quod non infunditur, id è traduce est: anima non infunditur: è traduce igitur est: Eadem istius syllogismi quæ proximè præcedentis ratio est.

DE SYLLOGISMO ΔΙ' ἀδυνάτου.

CAP. XVIII.

Syllogismus per impoſsibile est: cùm conclusionis alicuius, quam aduersarius negat, contradictionem sumimus: & cum ea propositionem manifestò veram: & ab aduersario concessam: quibus conclusio falsa seu impoſsibile falsum concluditur: ex quo deinde primaria nostra conclusio, quam concludere constitueramus, hypotheticè efficitur.

Syllogismum istum Aristoteles aliquando quidem syllogismum εἰ τὸ ἀδύνατον ad incommodum siue potius ad id quod fieri nequit, vocat: aliquandò verò & quidem crebrius syllogismum διὰ ἀδυνάτου: quia in incom-

incommodo illo non acquiescit: sed ex illo & per illud ad primariam suam conclusionem progreditur. Duo igitur omnino in hoc δὶ ἀδυνάτου syllogismo processus sunt: Categoricus & hypotheticus: vt tum Aristoteles: tum Interpretes illius, inprimis Auerroes, docent: sed quorum prior Categoricus non hypotheticus: posterior autē hypotheticus non Categoricus est: & quidem hypotheticus coniunctus, non disiunctus: vt ijdem ibidem docent. Ac quia non Categorico tantùm, sed simul etiam hypothetico processu cōstat: idcirco hypotheticis ab Aristotele annumeratur. Exemplum: Esto conclusio: Omnes fide iustificatos pacem apud Deū habere. hanc aduersarius nobis negat. vera igitur est, quæ illi contradicit: quidam fide iustificati pacem apud Deum non habent. hanc si accipias: & cum ea aliam manifestò veram: efficietur impoßibile falsum qui prior & Categoricus processus est: hoc modo: Quicunque secundum spiritum & non secundum carnem ambulant, ij pacem apud Deum habēt: (hæc enim vtrinq; concessa est) Quidam fide iustificati pacem apud Deum non habent: g. quidam fide iustificati, secundum carnem & non secundum spiritum ambulant. hoc autem fieri non posse vtraque pars fatetur. Hinc igitur hypothetico coniuncto primaria nostra cōclusio efficitur: hoc modo: Si hæc conclusio falsa est, falsa etiam alterutra præmissarum est: non maior: quia vtrinq; concessa: g. minor. vera igitur illius contradictio: Omnes fide iustificatos pa-

li. 1. Prior. cap. 18. & 25. lib. 2. cap. 11. in epit. in Prior. ca. 7.

li. 1. Prior. c. 21. & 25.

li. 2. Prior. cap. 11. initio cap.

cem habere: ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Sic Aristoteles hunc syllogismum construit. Ex euersione autem conclusionis, propositionum euersionem rectè colligi suprà dictum est.

Ceterum quicquid Ostensiue concluditur, id per impossibile quoque monstratur: & quicquid per impossibile, id quoque ostensiue: & quidem iisdem terminis: sed non in iisdem figuris: quæ causa est: cur quiuis syllogismus per impossibile in osténsiuum: & ostensiuus omnis in illum qui per impossibile est conuerti queat.

Quatuor his verbis complexi sumus: vnum: quamuis conclusionem Ostensiue, siue directe & oblique, h.e, Ostensiuo seu Categorico & ad incommodū ducente syllogismo cōcludi posse: alterum: eosdem vtrobique terminos esse: tertium: in alia tamen figura Ostensiuum, in alia ad incommodum ducentem construi: extremum, secundi consectarium: alterum in alterum conuerti posse. Exemplum: Esto conclusio nostra: N. reprobi saluantur. negat aduersarius. vera igitur contradicens est: quidam reprobi saluantur. adde, vt dictum est, propositionem veram hanc: Quicunque saluantur, electi sunt ab æterno: quidam reprobi saluantur: g. quidā reprobi electi sunt ab æterno: quod etiam aduersarius falsum pronunciat. Si ergo falsa conclusio est: falsa etiam minor ex qua: cuius

ius consectarium est: conclusionem nostram, quæ minori contradicit, veram esse. Eadem nostra conclusio Ostensiuo & quidem ijsdem terminis efficitur: Sed non in prima figura: in qua syllogismi ad incommodum ducentis Categoricus processus erat: sed in alia: Quicunque saluantur illi ab æterno electi sunt: N. reprobi electi sunt ab æterno: g. N, reprobi saluantur.

Conueniunt igitur Ostensiuus & qui per impossibile est syllogismus in duobus: quorum alterum est: quòd quicquid ostensiue efficitur, id per incommodum etiam concludatur: alterum: quòd ijsdem terminis vtrobique concludatur: differunt: quia syllogismus Ostensiuus ex præmissis veris procedit: alter verò loco alterius propositionis, id quod interimere vult, ponit: h. e, propositionem apertè falsam: quia contradicentem conclusioni veræ: & quia in Ostensiuo conclusio ignota est: in altero verò nota.

Gemina his verbis Ostensiui & illius qui per incommodum ducit, syllogismi conuenientia: & gemina eorundem discrepantia continetur: quarum illa è præcedentibus manifesta est: hæc quoque nihil difficultatis habet. Discrimen duplex est: quorum alterum à propositionibus petitum & seipso euidens est:

alterum à conclusione. In ostensiuo nanque siue Dictico syllogismo à propositionibus notis ad conclusionem ignotam proceditur: ideoque antequam illata conclusio sit: neque vt veram neque vt falsam eam sumi necesse est: in illo verò qui absurdum efficit, primò omnium nota primaria conclusio sit, necesse est: & quidem quòd falsa sit: quia contradictio illius sumenda est.

Vsus istius per incommodum ducentis syllogismi vel hic maximus est. Si aduersarius vel voce, vel scripto aliquid neget: sumenda illius quod negat contradictio est: & cum ea aliquid coniungendum: quod idem vel scripto vel voce concessit: quod si cum contradictione conclusionem syllogisticè efficiat: ad impossibile falsum aduersarius deducitur. Cetera ad hunc syllogismum attinentia ex Aristotele petantur.

li. 1. Prior. cap. 21. & lib. 2. ca. 11. 12. 13. & 14.

DE DVABVS REGVLIS cognitu necessarijs.

CAP. XIX.

PRIMA REGVLA AD SEcundam figuram pertinens.

Cùm medius terminus & maiori & minori extremo toti inest: & de alio nullo dicitur: inest autem & maius extremum minori:

nori: necesse est: medium & maius extremum reciprocare.

Admirabilis, vt ait Philoponus, immò aurea regula est: docens: in media quoque figura conclusionem ex puris affirmantib. quandoque rectè effici. hic enim huius regulæ scopus est: & hoc colligendum nobis Aristoteles reliquit, cùm scripsit: necesse est: mediũ & extremum maius reciprocare: *subaudi: & ex consequenti syllogismum ex puris affirmantibus in secunda bonum esse. Bonus igitur in media quoque figura syllogismus ex puris affirmantibus est: quoties scilicet medium & maius extremum reciprocant: simpliciterque conuerti maior potest: quia tunc potestate in prima est.*

Vt autem reciproca maior sit, duo requiri ait: alterum: vt medius terminus vtrique extremorum vniuersè insit, & attribuatur: illisque solis, & quæ sub illis sunt, competat: alterum: vt maius etiam extremum minori attribuatur. Exemplum: O. ratione præditũ aptum est ad ridendũ: O. homo aptus est ad ridendum: g. O. homo ratione præditus est. Concludit vi istius regulæ: quia maior simpliciter conuerti potest: quæ causa est: cur, licet actu in secunda sit: potestate tamẽ sit in prima ad quam per maioris conuersionem reuocatur. Conuertitur autem maior: quia & maius extremũ de minori, ratione præditũ de homine dicitur: & mediũ de vtroque extremo toto: seu de illis solis:

quia risibile de solo homine & ratione prædito dicitur. Eadem maioris conuersio locum habet: si mediū latius minore extremo pateat: e.c.O. animal sentit: O. homo sentit: g.O. homo animal est: sed quia id rarenter fit: in illis autem, in quibus medium vtrique extremo toti inest: maiusq; minori: vt in Scientijs & demonstrationibus, quas hîc Philosophus respexit, assolet, perpetuum est: præceptaq; vniuersalia esse debent: idcircò scripsit: tunc demum maiorem ex necessitate reciprocare: cùm duo illa, quæ dixi, concurrunt.

Verùm si vi primæ figuræ, ad quam reducitur, syllogismus talis concludit: cur non statim in illa construitur? responsio est: eum in secunda potiùs quàm in prima construi: quòd in secunda propositiones naturales habeat: quæ in prima contra naturam essent.
lib.2.ca.22. Hanc regulam Aristoteles in Prioribus, licet à nemine ibi aut vix ab vllo obseruatam, à nemine certè ea, qua par erat, ratione explicatam, tradidit: eiusdem
lib.1.cont. 92. in Posterioribus meminit: eâdem in Posterioribus & Physicis, ob illam, quā modò attulimus, causam crebrius vsus est. vt suis locis annotauimus.

Eandem ob causam in prima figura, vt contrauenientem exploremus, rectè ex minore verè negante ratiocinabimur. Si enim simpliciter conuerti maior possit: potestate in media figura syllogismus erit: licet actu in prima construatur: e. c. O. ratione præditum aptum est ad ridendum: N. equus ratione præditus est:

est:g.N.aptum ad ridẽdum.Quicquid aptum ad ridendum est,id ratione præditum est:N.equus ratione præditus est:Nullus igitur aptus ad ridendum.Tale illud Christi est: Qui ex Deo est, verbum Dei audit:vos non estis ex Deo:g.non auditis.

ALTERA REGVLA, AD TERtiam *figuram attinens.*

Cùm maius & minus extremum toti medio
insunt: minus autem extremum & medi-
um conuertuntur: necesse est: maius ex- li.2.Prio.
tremum toti minori inesse. cap.22.

Sensus est: Cùm maius & minus extremum de medio vniuersè dicuntur (id quod in tertia figura euenit:in qua medium vtrique extremorum subÿcitur) propositioq́; minor simpliciter conuerti potest: rectè vniuersalis affirmans in tertia concluditur. Causa est:quia per minoris simplicem conuersionem ad primam figuram syllogismus reuocatur:itáq́; potestate in prima est.exemplum: O.verè credentes electi sunt:O.verè credentes iustificati sunt:g.O.iustificati electi sunt. reducitur ad Barbara: O. verè credentes electi sunt: O.iustificati verè credentes sunt:g.O.iustificati electi sunt.

Docet hæc regula vniuersalem conclusionem in tertia concludere: sicut prior affirmantem in secunda.

DE INDVCTIONE.
Cap. XX.

Inductio siue qui ex inductione est syllogismus, est ratio: qua maius extremum medio per minus extremum, quod ex singularibus omnibus constat, inesse concluditur.

Cùm alia nulla sit concludendi necessitas, quàm syllogistica: quæ ex naturali illa luce, quæ per dictum de omni & de nullo significatur, promanauit: superuacaneum esse videtur, de alijs argumentationibus præcipere. Hîc sciendum est: verum quidem esse: quòd alia nulla concludendi vis sit quàm syllogistica: omnemq; vniuersè fidei faciendæ rationem ad aliquā è tribus illis figuris, Aristotele teste reuocari: sed cùm aliter Logicus, aliter Rhetor ratiocinetur: & vterq; duplici ratione ratiocinetur: quarum tamen ratiocinationum omnium syllogismus fundamentum est: rectè de illis quoq; præcipitur: tum: vt forma earum, à syllogismo diuersa, agnoscatur: tum: vt syllogismi perfectio eò melius intelligatur. duplex etenim probandi ratio est, id quod absq; medio cognoscere non possumus: vna, per mediū vniuersale: altera per medium singulare: vnde duo Logica instrumenta existunt, syllogismus & inductio: quorum illud naturæ ordine prius & notius: hoc nobis manifestius est: quia ex ijs, quæ sensu nota sunt, demonstrat: ita tamen: vt reuera nihil demonstraret: nisi virtute syllogismus

2.Prior. cap.23.

esset:

esset: quam ob rem facilè etiam in syllogismum actu, vt mox ostendemus, conuertitur. Duo igitur, & tantum duo sunt instrumenta Logica, syllogismus & inductio: quæ cùm ad actiones diriguntur, enthymema vocantur & exemplum. Quem ad modum igitur syllogismus & inductio ad Logicum: sic Enthimema & exemplum ad Rhetorem pertinent: aliudq́; nihil sunt: quàm syllogismus & inductio imperfecta: seu syllogismus & inductio Rhetorica.

Inductionem syllogismũ Aristoteles vocat: eamq́; syllogisticè concludere ait: quia potestate, vt dixi, syllogismus est. Sicut igitur syllogismi nomẽ: ita quoq́; τῦ λόγυ & rationis, quod loco generis in illius definitione posui illi cõpetit. Differt à syllogismo inductio: quòd syllogismus maius extremum minori inesse vel non inesse per medium monstrat: inductio autẽ maius extremum medio inesse per extremum minus. Minus igitur syllogismi extremum in inductione medij termini locum occupat: & medius syllogismi terminus locum extremi minoris. exemplum: equus longæ vitæ est: asinus longæ vitæ est: mulus longæ vitæ est: & nullum dari animal paucæ choleræ potest, quod non longæ vitæ sit: omne igitur animal paucæ choleræ longæ vitæ est. Syllogismus hoc pacto concluderet: Omne animal paucæ choleræ longæ vitæ est: mulus animal paucæ choleræ est: g. longæ vitæ. Sic de reliquis. Vinum Germanicum, Italicum, Hispanicum, Gallicum, Creticum, Vngaricum cale-

facit: nullumq́ reperitur vinum, quod non calefaciat: omne igitur vinum calefacit.

Colligit autem inductio, vt ex Aristotele liquet, & affirmantem, & negantem conclusionem: e.c. iste vere credens nō periȷt: ille non periȷt: & nullus prorsus ostendi potest, qui perierit: nullus igitur vere credens perit. Ex his satis intelligitur definitio. Necesse igitur est, vt inductio concludat: vt omnia singularia inducantur. si enim vel vnum prætermittatur, vana conclusio est. refutatur itaque vniuersalis conclusio: si aliquod singulare contrarium opponatur. alioquin consecutionis ratio manifesta est. omnia enim singularia æqualia sunt vniuersali: idemq́ cum illo valent.

lib. 2. post. cont. 31.

Conuertitur in syllogismum hoc pacto. Singularia omnia, quæ in inductione, siquidem bona sit, inducuntur, cum vniuersali suo reciprocant. omnes nanq́ particulares homines, ego, tu, ille, Petrus &c. idem cum homine, generaliter accepto, valent. Si itaque per illos ostendere velim, omnem hominem aptum ad ridendum esse, inductio erit: v. g. hic homo, ille, & singuli apti sunt ad ridendum: g. omnis homo aptus est ad ridendum. Conuertitur inductio ista in syllogismū primæ figuræ: si omnes singulares homines medij loco ponantur: & de specie sua, cui æquales sunt, prædicentur: hoc modo: Ego, tu, ille, Petrus, & singuli homines apti sunt ad ridendū: Omnis homo aliud nihil est, quàm ego, tu, ille, & singuli homines:

mines:g.omnis homo ad ridendum aptus est: vel planius in syllogismum tertiæ figuræ : Ego, tu, ille, & singuli homines apti ad ridendum sunt : ego, tu, ille & singuli homines sunt omnis homo. g. omnis homo aptus ad ridendum est. Concludit syllogismus iste vi posterioris regulæ: præcedenti capite explicatæ.

Verùm an non principium inductio petit: cùm idem per seipsum demonstret? responsio est, non. idē quidem per seipsum monstrat: sed non eâdem ratione. vniuersale enim per singularia declaratur: ignotum per notius.

DE EXEMPLO.

CAP, XXI.

Exemplum est: quando medio extremum inesse monstratur, per quoddam simile tertio.

Hoc est, Exemplum est inductio imperfecta: primum siue maius extremum medio inesse ostendens: per quartum: quod tertio siue minori extremo simile est: Quatuor igitur in exemplo termini sunt: primus, seu primum locum occupans, extremum maius: alter seu medius: tertius, extremum minus & singulare quartus aliud singulare, simile tertio: Esto terminus primus, malum est: alter cum finitimis belligerare: tertius Antuerpienses cum Gandauensibus belligerare: quartus Mytelburgenses cum Flißingen-

ſibus. Concluſio igitur probanda eſt, quòd primũ tertio inſit, Antuerpienſes cum Gandauenſibus belligerare malum eſſe probatur per quartũ, ſimile tertio: quia Myttelburgenſes cum Fliſsingenſibus belligerare malum fuit. Myttelburgenſes cum Fliſsingenſibus belligerare malum fuit: ergo etiam Antuerpienſes cũ Gandauenſib⁹ belligerare malum eſt. Ita ex vno particulari (verum enim particulare, Auerroe teſte, indiuiduum eſt) ſed noto aliud particulare ignotũ concluditur. Atq; hoc Exemplum ab omnibus vocatur.

1. Poſter. com 143.

Verùm Ariſtoteles, qui omnia cõſiderare exactiſsimè voluit, cùm vidiſſet: nõ poſſe tranſitum à ſingulari ad aliud ſingulare fieri: niſi interueniẽte aliquo vniuerſali, & per mediũ vniuerſale: in quo ſingularia illa cõueniunt: & quod cauſa eſt: cur inter ſe ſingularia conueniant: idcirco docuit: in Exemplo primũ à ſingulari noto ad vniuerſale dubium per inductionem imperfectam aſcendi poſtea ab eodẽ vniuerſali, ſic oſtenſo, ad aliud ſingulare priori illi, ex quo vniuerſale collectum eſt, ſimile, ſed ignotũ quodq; monſtrandũ proponebatur, deſcendi. Probatio igitur iſta, qua concluſio quæ probãda proponitur, quòd ſcilicet primum tertio inſit, quòd Antuerpienſes cũ Gandauenſibus belligerare malũ ſit probatur, duab. partib. conſtat: quarũ altera, eaq; prior inductio imperfecta eſt: altera, & poſterior ſyllogiſmus ſingularis in prima. Inductione vniuerſale dubium colligitur: ſyllogiſmo concluſio probanda ex vniuerſali per inductionẽ collecto, efficitur: hoc modo: Myttelburgenſes cũ Fliſſingen-

ſingenſibus belligerare malum fuit: g, cum finitimis belligerare malũ eſt. en inductionem imperfectam. Cũ finitimis belligerare vniuersè malũ eſt: Antuerpienſes cum Gandauenſibus belligerantes cum finitimis belligerant: g. Antuerpienſes cum Gadauenſibus belligerare malum eſt. en ſyllogiſmum primæ. Quare tandem è ſingulari ſimili & noto aliud ſingulare ignotum concluſum eſt per medium vniuerſale.

Idem efficitur: ſi loco quarti plura vno ſingularia accipiantur: dummodò nõ omnia ſingularia inducãtur: quòd ſic nõ Exemplũ ſed inductio foret. Atq; hæc cauſa eſt: cur Exemplũ imperfecta inductio nuncupetur: quia vniuerſale dubium ex vno aut aliquibus tantùm, non ex omnibus ſingularibus concludit.

Si igitur priorẽ in exẽplo probationẽ, quæ inductio eſt, cõſideremus: primum medio ineſſe, per quoddam, tertio ſimile, monſtratur: ſin poſteriorẽ: quæ ſyllogiſmus eſt: primum tertio attribui per ſecundũ oſtenditur. Quòd ſi primariam concluſionem intueamur: primum tertio ineſſe per quartum oſtenditur.

Cùm igitur gemina in Exẽplo probatio ſit: cur Ariſtoteles in illius definitione prioris ſolùm meminit, poſteriore omiſſa? Cauſa eſt: quia poſterior mõſtrãdi ratio, quæ ſyllogiſmus particularis eſt, nihil ꝓbat: niſi maiore illa vniuerſali ꝓpoſitione poſita: q̃ inductione colligitur: quo fit: vt tota Exẽpli vis in inductione cõſiſtat. Naturã igitur Exẽpli ſua definitiõe Ariſtoteles expreſſit: q̃ in imꝑfecta inductiõe cõſiſtit. Simul tamẽ et poſteriorẽ ꝓbãdi rationẽ innuit: qua ab vniuer

sali ad singulare descenditur: cum quarti mentionẽ in definitione facit, per quoddam inquiens simile tertio.

Inductio igitur à singularibus omnibus ad vniuersale ascendit: vt in illo conquiescat: exemplum autem vel ab vno tantùm, vel pluribus, sed non omnibus ad illud ascendit: non vt in illo conquiescat: sed vt ad aliud inde singulare descendat. Consequentiæ igitur ratio in exemplo manifesta est.

DE ENTHYMEMATE.

CAP. XXII.

Enthymema est syllogismus imperfectus: ex icotibus aut signis.

Enthimema ab ἐνθυμέω est: latinè cogitatum: sic dictum: quòd alterã, quæ tacetur, propositionem menti cogitandam relinquat: vt ait Philoponus. Indicatur autem hac definitione & forma & materia Enthymemati: forma: dum syllogismus imperfectus vocatur: materia: dum vel ex icotibus, vel ex signis constare dicitur. Enthymema igitur ratio quædã est: in qua vna tantùm propositio ponitur: altera omissa: quæ causa est cur syllogismus imperfectus nuncupetur. Omittitur autem modò maior; modò minor: idq; duabus potißimùm de causis: vel quia per se manifesta est: vel quia infirma: quorum illo beneuolentiam iudicis orator captat: indicat enim iudicem virum

in 1. Post. cont. 1.

rum esse sapientem: qui propositionem omissam facilè sua sponte intelligat: hoc causæ suæ inseruit.

Εἰκὸς ab ἔοικε deducitur: Latinè vertere possumus, verisimile, consentaneum. Est autem icos propositio probabilis. Quod enim plerumque ita fieri aut non fieri, esse vel non esse nouimus, id consentaneum siue icos appellatur: v.g. homines amant amantes se: oderunt odio habentes se: benefaciunt benefacientibus: offensi vindictam appetunt. verisimiles sunt tales propositiones: ideóq; icota vocantur: quia plerunq; ita fieri solet. Signū verò propositio est demonstratiua: vel necessaria: vel probabilis. signū enim illud est: quo existente, res existit: vel quo facto, res quoq; vel antè contigit, vel postea contingit: hoc est, signū dicitur quod aspectui sese offert: remq́; vel præsentem, vel præteritam, vel futuram significat: vt, Dies est: sol igitur ortus est. dies signum est exorti solis. sic iris apparet in cœlo: pluit igitur. signum est iris pluuiarum præteritarum. hic verò, cælum mane rubet: pluet igitur: rubor signum est futuri. Differt icos à signo: quòd hoc sensibus nostris sese offert: ex quo aliud quiddam colligimus: quod per illud significatur & portenditur: icos verò non incurrit in sensus: sed propositio est verisimilis.

Est autem signum duplex: necessarium & probabile: necessarium: quod semper verum est: vt dies est: sol igitur exortus est: probabile: quod plerunque

quidem valet: aliquando tamen fallit: vt, iste pallet: malè igitur concoquit.

Constat igitur Enthymema vel ex icotibus, vel ex signis: sed non prorsus eodem modo. icos propositio est generalis & cōmunis: vt, offensi vindictæ cupidi sunt. Cùm igitur ex icote Enthymema construitur, tertium quoddam assumitur loco minoris extremi: de quo subiectum icotis prædicatur: atque ita propositio constituitur: deinde de eodem in conclusione prædicatum icotis infertur: verbi gratia: Clodius offensus fuit à Milone: fuit igitur vindictæ cupidus. Iudex iste magna ab isto reo beneficia accepit: pro eo igitur pronunciabit. icos est, offensus est vindictæ cupidus: beneficijs affectus gratus est. iam de Clodio, tertio prædicatur subiectum icotis, offensus: & concluditur prædicatum, est vindictæ cupidus. sic in altero & similibus. atque hoc fit, quoties maior reticetur. Cùm verò minor reticetur: tunc loco antecedentis integrum icos ponitur: & in conclusione prædicatum icotis, de tertio quodā, quod reticebatur, infertur: vt Omnes offensi sunt vindictæ cupidi: g. etiam Clodius fuit vindictæ cupidus. Minor reticebatur. Et sic ex icotibus ratiocinamur. Ex signis verò sic: ponitur loco antecedentis signum ipsum, & infertur res significata: vt Cælum manè rubet: pluet igitur. iste pallet: ægrotat igitur. atque ex eiusmodi vt plurimùm oratores ratiocinantur: quæ causa est: cur Enthymema ex illis constare, scripserit Aristoteles. Tullius Enthymema

paulò

paulò angustius accepit: cùm illud ad illas ratiocinationes restrinxit: quæ ex contrarijs constant: quales sunt, Deus est verax. g. non est mendax.

Deniq; vt hoc quoq; adijciamus. fraus quæ in Enthymematis latere solet, non melius detegitur: quàm cùm ad integros syllogismos Enthymemata reuocantur, & quod deest, suppletur. Reducitur ad syllogismum Enthymema, addita propositione suppressa. Hactenus cum Aristotele naturam & proprietates syllogismi explicauimus: & proprietates quidem duplicis generis: quarum aliquæ vim & perfectionem syllogismi declarant: quædam imperfectionem illius redolent: nunc, quasi extra tractatum istum, de Sorite & dilemmate, quorum aliqui mentionem faciunt, pauca dicamus.

DE SORITE

CAP. XXIII.

Sorites est forma colligendi: in qua prædicatum primæ propositionis, subiectum fit in secunda: secundæ subiectum in tertia: & sic deinceps: donec tandem in conclusione primum subiectum cum postremo prædicato coniungatur.

De Sorite, consuetudinem potius sequentes, quàm vtilitatem illius videntes præcipimus. Nomen habet ἀπὸ τοῦ σωροῦ seu σωρεύειν. sicut enim σωρὸς siue

acervus ex multis granis fit: ita sorites ex multis propositionibus coaceruatur. Constat autem aliquando quidem paucioribus: aliquando verò pluribus Propositionibus: quæ ita se habent: vt semper prædicatum prioris propositionis, subiectum fiat posterioris: donec tandem conclusio inferatur: quæ ex primæ propositionis subiecto constat, & prædicato propositionis postremæ. Exemplum: Qui præsciti sunt, etiã sunt pædestinati: qui prædestinati sunt, etiam sunt vocati: qui vocati sunt, etiam sunt iustificati: qui iustificati sunt, etiam sunt glorificati: g. qui præsciti sunt, etiam sunt glorificati. Tale est apud Ciceronẽ: Quod bonum est, id etiam expetendum est: quòd expetendum est, id placet: quod placet, id diligendum est: quod diligendum est, id etiam probandũ est: quod probandum est, id etiam laudabile est: quod laudabile est, id etiam honestum est: g. quod bonum est, id quoq; honestum est. Tale est ludicrum illud & vulgatum: Qui bene bibit, bene dormit: qui bene dormit is non peccat: qui non peccat, erit beatus: g. qui bene bibit, erit beatus.

Lib. 3. de finibus.

Fundamentũ Soritis esse videtur regula illa Aristotelica: quæ in anteprædicamentis exstat: qua docetur: quicquid de prædicato alicuius subiecti dicitur, id de subiecto quoque illo dici.

Ceterum etiam negans sorites concludere videtur. Quemadmodum enim ante in partem aientem concludebam: ita in negantem rectè concluditur: qui

non

non sunt præsciti, non sunt prædestinati: qui non sunt prædestinati, non sunt vocati: qui non sunt vocati nõ sunt iustificati: qui non sunt iustificati, non sunt glorificati: g. qui non sunt præsciti, non sunt glorificati. Differt a Gradatione eo solùm modo: quod in Sorite, vt diximus, cõclusio infertur: quæ ex primo subiecto, & postremo prædicato constat: in gradatione verò conclusio non infertur. Gradatio igitur est, non Sorites, aurea illa Apostoli catena: Quos præsciuit, hos & prædestinauit: quos prædestinauit, hos & vocauit: quos vocauit, hos & iustificauit: quos iustificauit, hos & glorificauit.

Conuersio boni Soritis in syllogismum facilis est. est enim quasi syllogismus quidã multis medijs constans: quorum vnum quoque per alterum probatur: donec ad primũ deueniatur. In exemplo allato, conclusio est, omnes præsciti sunt glorificati: medius terminus subiectum postremæ propositionis, iustificati: Omnes iustificati sunt glorificati: omnes præsciti sunt iustificati: g. omnes præsciti sunt glorificati. Minor propositio, siue medium istius syllogismi minori inesse, rursum per subiectũ proximè præcedentis propositionis probatur: atque ita deinceps: donec ad primam propositionẽ deueniatur. postremus enim syllogismus ex medio termino constat: qui in secunda propositione subiectũ est: quod cùm in prima propositione minori extremo proximè attribuatur: per aliud medium non probatur.

Ad primam igitur figuram, & ad primum modũ Soritæ aientes reducuntur: qui propositionibus plerunq; vniuersalibus cõstant: negantes verò ad secundam. esto conclusio: Qui non sunt præsciti, non sunt glorificati: ratio, quia non sunt iustificati: Omnes glorificati sunt iustificati: qui non sunt præsciti, non sunt iustificati: g. qui nõ sunt præsciti non sunt glorificati. Atq; hactenus quidẽ concludere Sorites videtur.

Verùm quia regula illa Aristotelis limitatione non caret: idcirco Sorites quoq; limitandus est. Non so*lùm enim negans Sorites, sed aiens quoq; non semper concludit. exemplum negantis: homo non est asinus: asinus non est lapis: lapis non est arbor: arbor non est animal: g. homo non est animal. exemplum aientis. Socrates est homo: homo est animal: animal est corpus: corpus est quantitas: g. Socrates est quantitas. Quid igitur?* Recte Tullius: *Soritem vitiosum & captiosum argumentandi genus esse: addo superuacaneum etiam esse: cùm neq; apud* Philosophos, *neque apud oratores, qui Gradatione quidem vtuntur, non autẽ Sorite, in vsu sit. Sophistis igitur* Stoicis *relinquatur: qui vel syllogisticam viam, quã nobis per Aristotelem* Deus *monstrauit, ignorant: vel propositionum cumulo & confusione imponere conantur. Indignus sanè est Sorites: cui locus inter ceteras argumentationes aßignetur: cùm non propter formam, sed tantùm propter materiam vim inferendi aliquando habeat.*

DE

DE DILEMMATE

CAP. XXIV. ET *vltimum.*

Dilemma eſt forma arguendi: vtrinque capiens aduerſarium.

Dilemma à δὶς & λαμβάνειν deducitur: quia in Dilemmate duo ſic collocantur: vt vtroque comprehendatur & conſtringatur aduerſarius. Dilemma igitur concluſio duplex eſt: vel ex duplici interrogatione, h.e. ex interrogatione de duobus: vel ex propoſitione diſiuncta concluſa: qua in vtroque illorum, quæ interrogantur, aduerſarius conuincitur. Talia ſunt illa Domini in Euangelio: Baptiſma Iohannis vnde eſt, ex cælo ne an ex hominibus? Dominus verò non concludit: quia Iudæi ad quæſtionem reſpondere noluerunt: vtrumcunque verò dixiſſent, capti fuiſſent: ſi dixiſſent, ex hominibus: contradixiſſent communiter receptæ de Iohanne ſententiæ; idq; præ metu populi dicere non audebant: ſin potius de cælo eſſe dixiſſent: audiuiſſent: cur igitur illi nõ creditis? Coram iudice in hanc ſententiam colligit: Aut bene locutus ſum, aut malè: ſi bene: cur vapulo? ſi male: teſtificare de malo. in priori exemplo interrogatio eſt: hîc diſiuncta: ex qua concluſio duplex efficitur. Sic quilibet, qui in audita cauſa damnatur, commodùm ratiocinari, & partem aduerſariam con-

vincere potest: aut bene docui, aut malè: si bene: cur
li. 2. Rhet. Ad Heren. pellor? si malè: demonstra. Tale est illud in Versibus Ennianis:

Iniuria abs te afficior indigna, pater.
Nam si improbum Thresphontem existimaueras:
Cur me huic locabas nuptijs? sin est probus:
Cur talem inuitam inuitum cogis linquere?

Argumentatur filia aduersus patrem, de diuortio cogitantem. Aut malus est maritus meus: aut probus: si illud: cur me illi elocasti? si probus: cur me ab illo vis seiungere? Firma sunt dilemmata: cùm duo illa, quæ ponuntur, vel rogantur, talia sunt: vt nullum sit tertium: h. e. cum disiuncta illa, qua dilemma constituitur, vera disiuncta est: duabus contradicentibus partibus constans: infirma: cùm addi tertium potest: vt in illo: si vxorem duxeris, vel formosam duces, vel deformem: si formosam erit κοινὴ: si deformem: erit ποινὴ: potest enim mediocri forma prædita vxor, & idcirco tutò duci.

Ceterum dilemma reuera aliud nihil est: quàm syllogismus hypotheticus disiũctus: sed geminus. Disiuncta enim illa propositio, vel interrogatio illa duplex, quæ disiunctæ ἰσοδυναμοῦσα est, loco maioris ponitur: deinde cum in vtroque aduersarium conuincit: perinde est, atque si vtranque disiunctæ partem loco minoris poneret, & vtranq; etiam concluderet: h. e. iam quidem ex positione antecedentis in minore, euersionem consequentis: iam verò contrà

ex

ex consequentis euersione, positionem antecedentis. Aut bene docui, aut male: sed bene. ergo nō malè: vel, sed non malè: g. bene.

Omnis igitur fides ad syllogismum reuocatur: de quo, tanquam fine Priorum Analyt: ex professo Aristoteles egit: de alijs formis obiter tantùm: quatenus scilicet ex illarum imperfectione illius perfectio elucet.

FINIS PARTIS
Communis.

PO

SI

Is



tribu
ſolui
libro
ergo
mus.
horu
ſtrat
Fu
ceter
lecti

POSTERIOR SIVE PROPRIA

Isagoges Pars: de speciebus syllogismi illius generalis.

PRAEFATIO.



Dhvc pars communis: sequitur propria. Communem priori loco explicandam esse suprà ostendimus: de propria, quæ tribus perinde, vt communis, libris absoluitur, quæsitum olim fuit: cuinam libro primus locus debeatur. Paucis ergo antequam de re ipsa præcipiamus. de ordine, discrimine & scopo horum trium librorum, deq; demonstrationis vtilitate præfabimur.

Fuit igitur vt refert Auerroes, inter ceteros Auicenna: qui cõtendit: Dialecticã Demonstrationi anteponendã esse: *In proœm. in poster. Analyt.*

esse : idq́; duabus potissimum de causis: & quòd; cùm rerum cognitio inquiritur, priorem locum Dialectica obtineat: & quòd propositiones Dialecticæ vniuersaliores & cõmuniores sint Demonstratiuis: ideoq; illis notiores: & ad earum intelligentiam nõ parum conferentes.

Vt hoc intelligatur, sciendum est: nos, cùm primùm in hanc lucem edimur, omnium rerum ignaros nasci: animamq́; nostram, vt docet Philosophus, instar rasæ tabellę esse: quæ causa est: cur in rerum cognitione acquirenda, nobis à summa ignorantia ad summam siue perfectam scientiam, & ab extremo ad extremum transeundum sit: id quod sine gradibus fieri non potest. Quod cum ita sit: necesse est: antequam perfectam rei alicuius scientiam assequamur, primò omnium rudem quandam & incoatam cognitionem in animo nostro generari: antequam ab imo ad summum perueniamus.

De anima lib. 3. cap. 4.

mus. Hanc viam & ordinem natura, siue Deus potius in natura & per naturam nobis ostendit. Huius viæ ignarus non fuit Aristoteles: idcirco naturæ vestigijs insistens, in libris suis primo loco aliorum sententias in medium adduxit, falsaq́; confutauit: dein leuioribus & intellectu facilioribus argumentis veritatem declarauit: atque ita opinionem quandam animis nostris instillauit: tertio demum loco demonstrationes adhibuit: vt ita paulatim & per gradus, & quàm fieri posset, commodissimè, nos naturâ rudes discipulos, ad perfectam rerum scientiam, sapientissimus, & si dicere fas est, diuinus præceptor deduceret.

Atq; hæc vera docendi via est. Primò enim impedimenta amouenda sunt: quæ nos in discendo impedire possunt: perinde vt iter facienti, si vepribus & spinis obsita via sit, vt progredi non possit, prima opera danda est; vt spinæ illæ remoueantur; deinde

facilioribus & popularibus res probãda eſt argumentis: quę à tyronibus intelligi poſſint: (infantibus enim lac conuenit,non cibus ſolidus: itâq; opinio quędã nobis inſtillatur, & animus rudis pręparatur ad vim Demonſtrationis poſtea facilius percipiendam:) demũ ipſa Demonſtratio eſt ſubijcienda. Primum officiũ artis Sophiſticę eſt: quam nos diſcimus: non vt fallamus: ſed vt fallacias diſſoluere poſſimus: alterum Dialecticę: tertium Apodicticæ.

Ratio igitur Auicennę prior fuit: ſicut in veritatis indagatione priorem locum Dialectica tenet, poſteriorem Apodictica; ita quoque prius de illa, quàm de hac, eſſe pręcipiendum. poſterior hęc fuit. exiſtimauit Auicenna: vtriſq; propoſitionibus, & neceſſarijs & Dialecticis hoc eſſe commune, quòd probabiles ſint. quod.n. neceſſitatẽ habet, id probabilitatem includit: quemadmodum ſenſus animã: ratio ſenſum. neceſſarias igitur propoſitiones etiam pro-

probabiles esse existimauit: ideoque priori loco de vniuersali illo subiecto, siue de communi illo, quod vtrisque inest, de probabilitate scilicet & probabilibus fuisse præcipiendum.

Ad vtranq; rationem Auerroes suo more, id est, solidè respondet: ad priorē quidē: non esse consequens: vt, sicut in veritatis indagatione Dialectica præcedit: ita quoque in ordine doctrinæ præcedat: siue, vt ipse loquitur, vt ordo, puta Dialecticus, in quo ordines & modi siue cōditiones probabiliū propositionum explicantur, ordinē, puta Demonstratiuum, in quo ordines siue modi & conditiones necessariarū propositionū traduntur, præcedat: hoc est: vt priori loco de Dialectica, posteriori, de Apodictica præcipiatur: illud. n. ad rerū scientiam, vt dictū est, necessarium esse: hoc verò ad faciliorē doctrinam nihil planè conferre: cùm probabiliū modorum cognitio nihil prorsus momenti habeat ad modos necessaria-

rum propositionum facilius intelligẽdos : & potius illi ab his aliquid lucis accipiant. Hoc dicit, cùm ait : *sed quod existimauerunt, non se habet ita* : & postea: *Atqui cognitionem propositionum Dialecticarum præcedere propositiones intelligibiles aliud est quàm ordinem præcedere ordinem. Neque est aliqua vtilitas, quam præbeat cognitio ordinum propositionum Dialecticarum.* Cognitionem autem modorum probabilium propositionum nihil lucis afferre modis propositionum necessariarũ, ex eo probat : quòd modi isti prorsus diuersi sint : cùm illi pro varietate ciuitatum & populorum varientur: hi verò ijdẽ semper & vbiq; sint: vtpote essentiales. Hinc responsionem ad alterã rationem sumit. Quia enim inter hosce modos nulla est conuenientia & similitudo: falsum esse docet : cognitionem modorum probabiliũ vniuersaliorẽ esse cognitione necessariorum : Auicennamq; manifesto, & quidem duplici errore errasse : quòd

quòd existimarit: idcirco priori loco de Dialectica quàm de Apodictica agendum esse: quòd omnes propositiones necessariæ etiam sint probabiles, itaque probabilibus angustiores. Primò enim negat Auerroes: omnes propositiones necessarias probabiles esse: siquidem postulata principia sunt, & necessariæ propositiones: non tamen probabiles: quòd alioquin non peterentur. Deinde concedit: argumẽtum Auicennæ, de cęteris necessarijs propositionibus, quæ probabilitatem includunt, concludere: si consilium Aristotelis in Posterioribus esset, propositiones necessarias enumerare: (sic enim probabiles, quippe communiores, priori loco enumerandas fuisse:) sed quia Aristoteles nõ propositiones recenset: sed modos tantùm & conditiones tradit: quibus necessariæ propositiones constituuntur: modiq; siue conditiones istæ prorsus diuersæ sunt ab illis, quibus Dialecticæ & probabi-

les propoſitiones efficiũtur. fœdè hallucinatũ eſſe Auicennam: qui modos propoſitionum cũ ipſis propoſitionibus confuderit. Hæc ſumma eſt diſputationis & ſenſus verborum Auerrois: quæ idcirco explicauimus: quia & ſcitu digna ſunt: & multi magni viri de illorum obſcuritate queruntur.

Liquet ex his: ſicut cauſa nulla eſt: cur Dialectica demonſtratiuæ arti ordine doctrinæ præmittatur: ita quoq; cauſam nullam eſſe: cur primo omniũ de Sophiſtica præcipiatur. alia enim prorſus ratio eſt: qua præcepta de his artibus traduntur: alia: qua illis in rerum cognitione indaganda vtimur. Liquet eâdem ratione: quemadmodum ob faciliorem doctrinam nec Sophiſtica, nec Dialectica Apodicticæ præponenda eſt: ita neq; hanc illis eſſe anteponendam. Quæ igitur, inquies, cauſa eſt: cur primus illi ab Ariſtotele locus ſit aſſignatus, aſſignariq; debeat? Nobilitas, inquit Auerroes, & præſtantia

ipſius. ars enim demonſtratiua, eſt velut princeps & finis omnium reliquorum librorum Logicorum: tam ſequẽtium: quàm præcedentium: non tamen eàdem prorſus ratione. præcedentes, hoc eſt, liber Categoriarum, de Interpretatione, de ſyllogiſmo, propriè ad demonſtrationem tanquam ad finem ſuum diriguntur: quæ cauſa fuit: cur Ariſtoteles, primis ſtatim primi Priorum verbis ſignificauerit: totam illam conſiderationem demonſtrationis & Apodicticæ ſcientiæ gratia eſſe: Sequentes verò, Dialectica ſcilicet & Sophiſtica (nam de Rhetorica & poetica in pręſentia non laboro) verè ſe habent vt ſubditi ad dominum & principem, ancillæ ad dominam ſuam, cui ancillantur. in rerum enim cognitione inquirenda, dominam, vt dictum eſt, pręcurrunt: eíque viam pręparant. pręcedentes igitur Logici libri demonſtratiuam artem potiùs vt finem, quàm vt domi-

num respiciunt: sequentes autem verè vt subditi dominū. Hoc voluit Auerroes duabus illis vocibus *velut & verè*, cum scripsit: *sed proportio partis communis est proportio eius, quod est ante finem ad ipsum finem, quæ est velut proportio dominatui subiectorum ad ipsum dominum. Proportio verè ad reliquas quinque artes: verè est quemadmodum proportio domini ad sibi subiectos.* Tantùm de ordine.

Discrimen Apodicticæ, Dialecticæ & Sophisticæ plerique à materia sumunt. Docent enim: Apodicticam materia summè vera h.e. necessaria vti: Sophisticam summè falsa: quæ veri tamen speciem habeat: Dialecticam media: quæ vtrunque & verum & falsum participet, h. e. probabili: id quod verum quidem est: sed non satis. Dialecticus enim sæpe etiam necessaria materia vt probabili vtitur: Sophista verò non tantùm in materia: sed crebrius etiam in forma peccat. Verum igitur istorum discrimen à fine sumitur. Finis

nis demonſtratoris eſt ſcientiam quærere: Dialectici in vtranque partem diſputare: idque vel vt vincat, & exploret: vel vt viam ſternat demonſtrationi: Sophiſtæ verò fallere & decipere. Atque hoc diſcrimen perpetuum eſt.

Ceterùm notandum eſt: in hac Logicæ parte non formam demonſtratiui aut Dialectici ſyllogiſmi inquiri: ſed materiam: ſiue conditiones, ad materiam, non ad formam illius attinentes. Syllogiſmus, de cuius ſtructura in parte communi, ex ſententia Ariſtot. præcepimus, omni prorſus materia caret: & aliud nihil eſt quàm nuda forma: quæ generis rationem habet: omniq́; materiæ communis eſt. Demonſtratio verò, ſicut etiam Dialecticus & Sophiſticus ſyllogiſmus, duabus iam partibus conſtat, forma & materia. Forma aliud nihil eſt, quàm generalis illa ſyllogiſmi compoſitio: quæ in libro de ſyllogiſmo eſt monſtrata:

materia verò sunt certi modi & conditiones : de quibus hîc præcipitur : quæ propositiones vel necessarias: vel probabiles : vel Sophisticas : ideoque etiam syllogismum vel demonstratiuum: vel dialecticum : vel fallacem efficiunt. Si enim prædicatum cum subiecto per se cohæreat & καθόλου : propositio efficitur necessaria: quæ ad demonstrationem est accommodata. Sunt igituthæ tres partes species vnius & eiusdem generis, syllogismi scilicet illius generalis. Hæc Catholica de syllogismo & speciebus illius sententia

in præfat. in Prior. est, Sic Alexander scribit: in Prioribus de genere præcipi : doctrinamque de figuris doctrinam degenere esse: cuius tres species sint: Apodicticus, Dialecticus, Sophisticus Syllogismus. Ita Phi-

li.1.Prior. cap. 20. loponus in illa verba ὅμοιον γὰρ ἑκάστου τὸ συμπέρασμα ταῖς ἀρχαῖς , annotauit : & tres syllogismi species esse: & tripli-

in procem. in Poster. cis generis locos. Sic Auerroes multis in locis: Sic tota Peripatetica Schola ,

Græ-

Græca, Arabica, Latina constanter & vnanimi consensu semper docuit & docet. Et quidni ita doceret: Aristotele id disertè præcipiente? Sic enim scribit. *His autem definitis: nunc dicamus: per quæ & quando, & quomodo* Omnis *syllogismus fiat. postmodum verò de demonstratione dicendum erit: prius autem de syllogismo dicendum est quàm de demonstratione: eò quòd vniuersalior syllogismus sit. Demonstratio equidem enim syllogismus quidam est: ast non* Omnis *syllogismus demonstratio est.* De omni igitur siue generaliter accepto syllogismo in Prioribus præcipitur: estque hæc Priorum Analyticorum de generali syllogismo doctrina omnibus illius speciebus cōmunis. Quid igitur noui nobis nouus ille Logicus, adfert? *Perspicuum est,* (*inquit*) *illos errare errorem non ferendum, qui definitionem generalem proferre conantur. Errant igitur illi, qui in Analyticis Prioribus doctrinam generalem, quæ æquè ad Analytica Posteriora & ad Topica, quasi*

1. Prior. cap. 2.

fol. 3.

ad species ἀντιδιῃρημένας spectet, tradi & exponi aiunt. Ecquam verò reprehensionis suę causam adfert? An quia Dialecticus in vtranque partem disputat: Demonstrator autem alteram duntaxat contradictionis partem tuetur: idcirco duæ illæ species Apodictica &
fol:2&3. Dialectica, siue vt ipse perperam loquitur: Analyticus eruditionis modus & Dialectica methodus ita disiunctæ sunt: vt generali doctrina contineri nulla queant? Nónne si species sunt, vt ipsemet fatetur, genus aliquod commune habēt? An syllogismus absolutè, & syllogismus demonstratiuus idem sunt? num quia demonstratiuus à Topico syllogismo, illiusque conditiones ab istius conditionibus diuersæ sunt; & quia demonstratiua scientia Analyticæ & totius Logicæ tractationis finis est: idcirco generalis illa de syllogismo doctrina ad Topicum syllogismum nihil attinet? Nónne verò Topicus syllogismus æquè ac demonstra-

ſtratiuus ratio eſt: in qua poſitis quibuſdam aliud quippiam ex neceſſitate efficitur: eò quòd hæc ſunt? Nónne tribus terminis & duabus propoſitionibus conſtat? nónne, ſi bonus ſit, ad aliquam ex illis tribus figuris pertinet, & ad aliquem illarum figurarum modum? nónne ſi minorem negantem in prima habeat, vicioſus eſt: & quæ ſunt huius generis alia? nónne verò ex antecedentibus, conſequentibus, repugnantibus cõſtat? Omnis ſyllogiſmus, quarumcunque rerum ſit, vt luce meridiana clarius Ariſtoteles tradidit, ex antecedentibus, conſequentibus, repugnantibus exſtruitur: ita: vt ſi probanda cõcluſio ſit vniuerſe affirmans; tale medium diligendũ ſit: quod maioris extremi antecedẽs, minoris conſequens ſit: h. e. quod maiori extremo ſubijciatur: minori verò attribuatur (hoc enim Ariſtoteli ſunt antecedentia & conſequentia) cùm in ſola prima figura, cuius hæc diſpoſitio eſt,

lib. 1. prior. cap. 20.

vniuerſe affirmans problema concludatur. Quòd ſi in media figura efficienda concluſio ſit: tale promendum argumentum eſt: quod alterutri extremorum repugnet: alterutrum autem conſequatur. Et ſic de alijs. Nónne igitur inuentio medij de qua in Prioribus agitur, ad Topicum quoque attinet ſyllogiſmum? Quo igitur iure nouus iſte Dialecticus ſcribit: *Analyticam & Topicam inuentionem ita differre: vt commune nihil prorſus habeant: triaque iſta antecedentia, conſequentia, repugnantia ad artificium ſyllogiſticum non ſpectare ſed ad inuentionem Analyticam: adeoque Analytica ſolùm*, hoc eſt, Interprete iſto Logico *vernacula, & cuiuſque Scientiæ propria media ex antecedentibus, conſequentibus, repugnantibus conſtare*? Quamuis enim ad ſtructuram ſyllogiſmi non pertinent: pertinent tamen ad naturam ſyllogiſmi: quæ in tribus conſiſtit: in ſtructura: in inuentione: in analyſi: ideoq; etiam ad artificium

fol. 84. 85. & alibi.

ſyllo-

ſyllogiſticum:ad quod tum illa pertinent quibus natura ſyllogiſmi explicatur: tum illa, quibus proprietates. Eiuſdem generis eſt: quòd ſcribit: primum Priorum librum ſtructuram ſyllogiſmi & inuentionem Analyticam docere: alterum Criticum eſſe: & quatuor inſtrumenta tradere, circulũ &c. quibus Analytici ſyllogiſmi iudicentur: in priore Poſteriorum de ea demõſtratione præcipi, quæ ex notioribus nobis: in poſteriore de illa: quæ ex notioribus naturâ conſtruatur: quæ omnia ita vana ſunt: itâque tum Interpretibus, tum ipſi Ariſtoteli, vt cuiuis, qui de limine ſaltem eum ſalutauit, liquere poteſt, è diametro repugnant: vt mirer: ea in vllius mentem venire potuiſſe. Nónne enim in primo Poſteriorum libro de illa demonſtratione præcipitur, quæ ſimpliciter dictam ſcientiam parit? nónne de illa, quæ affectionem de primo ſubiecto per cauſam primam demonſtrat? nónne prin-

fol. 103.
fol. 157.

cipia requirit, quæ priora ſint, & quidem ſimpliciter priora: vt ſimpliciter dictam ſcientiam pariant? nónne cauſas concluſionis & quidem rei ea eſſe vult? nónne cauſa effectu ordine naturę prior eſt? Qui non videt: vtrũq;, & qui de ſyllogiſmo eſt, & qui de demonſtratione, tractatum, naturã & proprietates eorũ explicare: is parum admodũ in Ariſtotele videt. His igitur & alijs etiã bella illa oppoſitione, qua ſtultos & Germanos Gallis opponit, miſſis: eò, vnde digreſſi ſumus, reuertamur.

fol. 89.

Libri iſtius, qui de Demonſtratione eſt, duæ principes partes ſunt: prior de Demonſtratione: poſterior de Definitione. Quia enim Definitio finis eſt Demonſtrationis: ex qua perfectè quid res ſit, intelligimus: idcirco meritò priori loco de Demonſtratione: poſteriori de Definitione: quæ ex Demonſtratione tandem, tanquam vltimus illius finis, educitur: præcepit Ariſtoteles.

Vtili-

Vtilitas verò iſtius libri tanta eſt: vt verbis exprimi nequeat. Non dubitant viri ſapientes pronunciare: in hac parte perfectam totius Philoſophiæ cognitionem ſitam eſſe. Certè ſine huius artis cognitione nullius rei ſcientiam aſſequi: neq; inter ſcientiam & opinionem diſcernere poſſumus: vt mirum non ſit: pleroſq; hodie, etiam qui literati haberi volũt, ita fluctuare: & in controuerſijs dijudicandis cæcutire: quia ab hac parte, quæ ſepulta adhuc propter difficultatem iacuit, non ſunt inſtructi. Cui igitur veritas cordi eſt, præſertim hoc poſtremo & funeſto tempore, quo cælum inferno miſcetur: is operam det: vt demonſtrationum vim, quæ hominem ἀμετάπτωτον faciunt, rectè intelligat: ſeque nullis vnquam, quantumuis aſtutorum & potentum ſophiſtarum, ſophiſmatis à veritate dimoueri patiatur. Reliquum eſt: vt ad rem ipſam accedamus: quam vt ad gloriã Dei & Eccleſiæ ſalu-

tem explicare poſſimus, Patrem Domini noſtri IESV CHRISTI premamur: vt & mentem noſtram afflatu ſancti Spiritus, & calamum ſua ipſius dextra in ſolam dirigat veritatem.

Amen.

PAR-

PARTIS PROPRIAE LIBER PRIMVS.

de Demonſtratione.

Quid ſcire ſit, & quid Demonſtratio.

CAP, I.

SCIRE eſt & cauſam illam cognoſcere: propter quam res eſt: quòd illius cauſa ſit: & quòd ſe res illa aliter habere non poſsit.

Duæ his verbis conditiones indicantur: quarum prior in tres reſoluitur; vt quatuor ſint perfectæ & ſimpliciter dictæ ſcientiæ (de hac enim ſermo inſtituitur)conditiones: vna: ad cognitionem illam, quæ ſcientia dici debeat, neceſſariam eſſe cauſæ cognitionem: altera: illius cauſæ, propter quam res eſt: tertia: vt talis etiam eſſe intelligatur: quarta: vt ſciamus, rem illam aliter ſe habere nullo modo poſſe. Duplicem igitur neceßitatem ſcientia exigit: alteram rei, quæ ſcitur: alteram in animo ſcientis: quem planè ἀμετάπτωτον eſſe oportet.

Prima conditio cauſam, non cauſas, ad ſcientiam requirit: quia vnius cuiuſque rei vnica tantùm eſt

1. poster. cap. 10. 2. poster in fine in 2. post. com. 9. & 97. 1. poster. cap. 10.

simpliciter proxima & essentialis causa, propter quã est: id quod Aristoteles tum hic tum alibi significauit: & Auerroes crebrius expressis verbis est testatus. Vnius quidem rei multæ caussæ esse possunt: sed vna tantùm ad scientiam pertinet: quæ vnius cuiusq; rei, vt Aristoteles eam appellat, τὸ πρῶτον αἴτιον est.

Notandum autem est: proximam causam bifariam accipi: simpliciter: & in suo genere proximam. in suo genere proxima est, quæ inter sui quidem generis & ordinis causas effectui proxima est: eumq; maxime iuuat: effectum autem non ponit: proxima verò simpliciter est: propter quam res est. Exemplum: proficiscitur studiosus aliquis Francofurtum: hanc solam ob causam: vt pecuniam à mercatore accipiat. huius profectionis inter alias, causa effectrix anima est. si enim animatus non esset: proficisci Francofurtum non posset. Eiusdem profectionis & quidem propinquior causa, spiritus vitales sunt: qui ab anima mouentur: & iterum his propinquior membra instrumentalia: vt pedes: qui à spiritibus mouentur. Pedes igitur, siquidem ambulat, causa proxima sunt huius profectionis, in suo genere. h.e. inter causas effectrices: non autem simpliciter proxima. nisi enim pecuniam se accepturum sperasset: profectus Francofurtum non fuisset. pecuniæ igitur acceptio simpliciter proxima causa est profectionis: et quæstioni isti, qua quæritur, propter quid Francofurtum profectus sit, plenissimè satisfacit. Atq; hæc causa, alias causa

efficiens

efficiens est: aliâs, vt in hoc exẽplo, finalis: aliâs alia: vt suo loco, iuuante Domino, ostendemus. Causam igitur non causas requirit simpliciter dicta scientia.

Atq; hanc Aristotelis mentem esse, non solùm articulus innuit: cùm non simpliciter αἰτίαν sed τὴν αἰτίαν appellat: verùm etiam clarè explicãt statim sequentia verba: propter quam res est: quib. indicat: se illam causam intelligere: à qua res suum esse habet: & sine qua esse non potest: qua posita, res ponitur: & ablata, aufertur: quæ sola perfectè quæstioni propter quid satisfacit. Quem ad modum igitur prima conditione causarum multitudinem exclusit: ita hac altera omnẽ causam profligat: siue accidentaria sit: siue ficta: siue remota: siue etiam in suo genere proxima: solamq; simpliciter proximam, de qua diximus, admittit. Remota enim causa, quemadmodum etiã in suo genere proxima, τὸ ὅτι tantùm dat: sola simpliciter proxima τὸ διότι.

Tertia conditio est: vt talis esse intelligatur. Ad scientiam enim, vtq; aliquid simpliciter scire dicamur, nõ sufficit: vt causa & quidem simpliciter proxima causa habeatur: nisi etiam eam talem esse certò cognoscamus. Quandiu enim hæsitamus: ac vera ne illa & prima causa sit, nec ne, incerti sumus: scientiam rei non habemus. Scibile quidem tunc fuerit: sed scientia nullo modo. Scientia enim & rem quæ scitur, & animum illius, qui scire dicitur, respi-

cit: & tam huius quàm illius immutabilitatem & necessitatem flagitat.

Quarta conditio ex prioribus consequitur. Quia enim causam primam, propter quam res illa non potest non esse, quippe quæ posita ponit, ablata aufert, habemus: certoq́; nos eam habere scimus: consequitur: & rem illam aliter se habere non posse: & nos de re illa certissimos esse.

Demonstratio autem est syllogismus scientiam pariens: & ex veris, primis, immediatis, notioribus, prioribus & causis conclusionis constans.

Prioribus verbis definitio demonstrationis traditur: posterioribus materia. Genus Demonstrationis est syllogismus, h.e. simplex illa ab omni materia abstracta forma: de qua in libro de syllogismo. Differentia à fine petita, scientiam gignere: quo demonstratio à Dialectico & sophistico syllogismo perpetuò differt: vt in præfatione explicauimus. Quemadmodum verò scientia duplicem necessitatem requirit, rei & scientis: ita demonstratio ἐπιστημονικὸς *syllogismus dicitur: & quia rem per primam & simpliciter proximam causam demonstrat: & quia nos certos reddit: rem per primam suam causam esse demonstratam. Quocirca Aristoteles dixit:* ἐπιστημονικὸν δὲ λέγω καθ' ὃν τῷ ἔχειν αὐτὸν, ἐπιστάμεθα. *quibus verbis vtranq́; scientiæ necessitatem est complexus.*

Sequen-

Sequentibus verbis materia demonstrationis attingitur: quales esse oporteat propositiones: quæ demonstratiuam scientiam pariant: continenturq́ hîc quinque conditiones: quibus materia siue propositiones Apodictici syllogismi discribuntur. prima est, vt veræ sint. ex falsis enim propositionibus non verum sed falsum tantùm sequitur: (nisi forte aliquando per accidens) & falsis propositionibus in errorem inducimur: vt aliquid esse putemus, quod non est: cuius scientiam non esse, ex præcedentibus liquet.

Altera est: vt primæ sint & medio vacantes siue vt vsitatè appellantur immediatæ, (idem enim hæc duo valent, et alterum alterius explicatio est) hoc est, vt propositiones prima sint principia. de primis enim principijs, quæ prorsus ἀναπόδεικτα sunt, hîc loquitur Aristoteles. alioquin etiã propositiones medio vacare dicuntur, cũm nullum medium est inter maiorem extremitatem & terminum medium: vt docent Aristoteles & Auerroes. Prima igitur hîc propositio dicitur ratione causæ: non ratione subiecti: de quo postea. 1. post. cap. 10. & 11. In 1. post. com. 13. & 169.

Tertia conditio est: vt propositiones notiores sint conclusione. ignotum enim per notius demonstratur. Sunt autẽ principia siue propositiones notiores: quia notæ sunt duobus modis: & quid nomen significet: & quòd sint: h. e. quòd sint veræ. Omnis demonstratio, vt docet Aristoteles, tres terminos reipsa distinctos postulat, genus siue subiectum: de quo accidens propriũ 1. post. cap. 7. & 8.

demonstratur: accidens propriũ: & causam ab vtroq; distinctam, siue principia causa enim prima cum vtroq; extremo coniuncta, principia, h.e. propositiones primas & medio vacantes constituit: quibus accidens illud subiecto inesse demonstratur. Aristoteles sic loquitur. τρία ταῦτά ἐστι, περί ὅτε δείκνυσι, καὶ ἃ δείκνυσι καὶ ἐξ ὧν. Omnia hæc tria, vt idem tradit, quandoquidem omnis doctrina ex præcedente aliqua cognitione fit, ante demonstrationem quodam modo sunt prænoscenda: subiectum quidem & causa siue principia vtroq; modo, & quid nomen significet, & quòd sint: affectio autem tantùm quid nomen significet: alterum enim, quòd sit, illud est, quod demonstratione quæritur & demonstratur. Scire volo, vtrũ luna eclipsin patiatur: siue vtrum affectio ista lunæ corpori insit. hic sicut in quouis syllogismo tria sunt, subiectum siue minus extremum, luna: affectio siue maius extremum, eclipsis: & tertia causa, interpositio terræ: quorũ trium primò omnium ὀνοματώδη me habere oportet definitionẽ, quid Luna significet: quid eclipsis: quid interpositio terræ: deinde etiam scire: & quòd luna sit (subiectum enim quod reliquorum omnium basis est, firmiter constituendum est: frustraq; de obscuratione lunæ quæreretur, si luna non esset) & quòd terra inter solem & lunam interponatur: quodq; illud quod interpositione terræ, solis lumine priuatur, eclipsin patiatur: ex quo demum concluditur, lunam obscurari. principia igitur

1. post. cap. 2. & 8.

tur conclusione, h. e. maiori extremo quod in conclusione subiecto inesse monstratur, notiora sunt: immo non tantùm conclusione notiora esse debent, sed simpliciter notiora: hoc est, non oportet solùm, vt explicat Aristoteles, magis credere principijs, quàm τῷ δεικνυμένῳ: sed oportet etiam, vt nihil eorum scilicet quæ cum principijs pugnant, illis sit πιστότερον. sic enim animũ scientis faciunt ἀμετάπτωτον. Præterea notius duobus modis dicitur: naturâ: & nobis notius. naturâ notiora sunt, quæ in ordine naturæ generantis priora sunt: cuiusmodi sunt causæ & vniuersalia: nobis autem notiora, effecta & posteriora: quæ vel in sensus incurrunt: vel non procul disßita à sensibus sunt. in demonstratione igitur simpliciter dicta principia vtroq; modo notiora esse debent conclusione, naturâ: & nobis: naturâ: quia causam conclusionis proximã continere debent: nobis: quia omnis demonstratio ob nostram fit cognitionem: ideoq; à notioribus nobis procedere debet. 1. post. ca. 2

Quarta conditio cum tertia concurrit: & ex illa consequitur. Quia enim naturá notiora esse principia debent: efficitur: ea etiam priora esse debere conclusione. sed priora non nobis: sic enim naturâ notiora non essent: sed naturâ tantùm: vtroq; enim modo, sicut & notius prius aliquid dicitur.

Deniq; causas conclusionis esse oportet propositiones. Sunt quidem in quouis Syllogismo conclusionis causæ propositiones: sed ibi forma tantùm conside-

ratur: hîc non forma: de qua satis in libro de Syllogismo dictum est: sed sola materia. Materiæ igitur respectu conclusionis causæ hîc dicuntur propositiones: quia causæ sunt rei, quæ cõcluditur, vt sit: h.e. in propositionibus simpliciter proxima causa adfertur affectionis, quòd subiecto insit. Hæc omnia ad quatuor præcipuas conditiones reuocãtur: vt veræ sint: vt medio vacantes: vt notiores: vt causæ conclusionis propositiones apodicticæ. Hoc si fuerint: οἰκεῖαι erunt & proportionatæ, vt Auerroes loquitur, rei quæ demonstratur, h. e. reciprocæ: quales esse oportet, quæ demonstrationem ingrediuntur.

1. poster. com. 9.

Ceterum notandum est: quæcunque adhuc dicta sunt, ea ad simpliciter dictam demonstrationem, siue ad demonstrationem τοῦ διότι, quæ simpliciter dictam scientiam gignit, pertinere. hæc enim est: quam propositam Aristoteles habet. de altera quæ à posteriori est, secundariò tantùm agit. Demonstratio igitur τοῦ διότι omnes quatuor conditiones flagitat: ad Demõstrationem verò τοῦ ὅτι duæ illæ sufficiũt: vt propositiones veræ sint: & conclusione notiores.

DE LOCIS APODICTICIS: siue de tribus necessariarum propositionum gradibus & conditionibus.

CAP. II.

De omni illud dico, quod est, non in aliquo qui-

quidem, in aliquo verò non: neque aliquando quidem, aliquando verò non.

Summa eorum, quæ hactenus dicta sunt, in eo cõsistit. Per demonstrationem simpliciter dictam scientiam quærimus. hæc illarum rerum est: quæ simpliciter necessariæ sunt: seq́; aliter habere nullo modo possunt. ex quo efficitur: illud quoque, quod demonstratione scitur, necessarium esse: & idcirco propositiones etiam, ex quibus colligitur, necessarias requirere: cùm idcirco demonstratiua scientia dicatur: quòd demonstratiuè efficiatur: Pinguiori igitur prius Minerua & generatim necessitatem istam præceptor descripsit: cùm propositiones veras, ἀμέσους, & conclusione notiores ad demonstrationem requisiuit: nunc limatius & exactius de illa agere incipit: tresq́; cõditiones proponit: quas ex superioribus, teste Auerroe, tanquam ex fundamento educit: quibus speciatim docet: quænam propositiones primæ sint & veræ conclusionis causæ, h.e, summè necessariæ & æternæ: semperq́; omni tempore & loco & de omni veræ. Dicam planius. Capite 2. γένεσιν demonstrationis docuit: ex quibus scilicet propositionibus demonstratio conficiatur: nunc de abundantia apodicticarum propositionum præcipit: qua ratione primas seu medio vacantes: summeq́; necessarias propositiones inuenire & dijudicare possimus. Substantia igitur demonstrationis summa necessitas est: h.e. vt conclusio

1. poster. com. 28.
1. post. c. 6.

siue scientia, quæ demonstratione acquiritur, summè sit necessaria, semper & vbiq; & de omni vera, ideoq; æterna: vtq; talis conclusio sit necesse est: tales etiam esse propositiones: ex quibus conclusio illa colligitur. Verum quidem est: aliquando etiam ex non necessarijs necessarium effici: sicut ex falsis verum: apodictice tamen & per primam causam colligi necessarium non potest: nisi per medium necessarium. Huius igitur summæ necessitatis propositionum, vtq; perspicuè cerneremus, quæ propositiones summè necessariæ essent, siue in quibus propositionibus prædicatum cum subiecto æterno & inexplicabili nexu cohæreret, tres conditiones & quasi gradus inuenit sapientissimus simul & acutissimus præceptor, de omni, per se, vniuersale: illasq; æternas & summè necessarias esse docuit: in quibus hæ tres conditiones simul omnes concurrunt.

Porrò quælibet istarum conditionum necessitatem habet: sed alia alia maiorem. Prima necessitatē habet: maiorem altera: maximam tertia: quæ causa est: cur prima absq; secunda: secunda absq; tertia: tertia verò non absq; secunda: neq; hæc absq; prima inueniatur.

Prima igitur vocatur de omni κατὰ παντός. hæc subiecti vniuersitatem & perpetuitatem constituit. Cum enim reliqua omnia, & affectiones, & principia in subiecto sint: idq; reliquorum basis & fundamentum sit: primò omnium firmiter constituendum

dum est: quòd eo sublato, reliqua omnia tollātur: frustraq́ de ceterorum neceßitate, absq́ subiecti perpetuitate quæratur. Vox igitur illa, de omni, *subiectum denotat: quem ad modum pronomen* illud *prædicatum: vt sensus sit: illud prædicatum de omni subiecto dico: non quod alicui & aliquando tantùm, sed contrà, quod toti subiecto & semper inest.*

Ex quo liquet: duas huius gradus conditiones esse: alteram, subiecti vniuersitatem: alteram temporis perpetuitatem: hoc est: vt enunciatio κατὰ παντὸς sit posterioristicè: necesse est: vt prædicatum omni siue toti subiecto insit: vtquè perpetuò & omni tempore insit: non aliquando solum. sic istius, homo animal est, prædicatum animal non licui tantùm homini, sed omni vniuersè inest: adeò vt de quocunque verum sit dicere, eum hominem esse: de eodem verum sit: illum esse animal. dicitur deinde: non hoc solùm tempore: sed sine fine. quicunq́ enim homo est: is semper, omniq́ tempore animal est. Sic ista, linea punctum habet: Cycnus albus est: & similes, κατὰ παντὸς sunt. prædicatum enim toti subiecto & semper conuenit: in hac verò, omnes ordines imperij Augustæ sunt, & similibus κατὰ παντὸς non est: quippe quæ subiecti quidem vniuersitatem habent: sed nullam temporis perpetuitatem: cum hodie Augustæ sint: cras alibi. siue igitur signum vniuersale adiunctum habeat, siue non ha-

beat subiectum: de omni tamen est propositio: si prædicatum omni subiecto, omniquè tempore insit.

Differt hoc κατὰ παντὸς ab illo, quod in libro de Syllogismo, omnis bonæ consequentiæ principium esse docuimus, duobus modis: vno: quòd illud solā subiecti vniuersitatem, nullam temporis perpetuitatem, quæ ad materiam non ad formam pertinet, requirit: hoc verò vtranque: altero: quod illud integer syllogismus est: hoc verò vnica solùm enunciatio: quippe quod necessitatem, inter subiectum & prædicatum, quam temporis perpetuitas constituit, indicat. Hoc igitur primo necessitatis gradu sapientissimus præceptor simul & subiecti vniuersitatem & perpetuitatem constituit: & prædicatum subiecto perpetuò inhærere, quod necessariam enunciationem efficit, significauit.

Per se verò, quæcunque insunt in eo, quod quid est. Et quibuscunque cum illis insint, illa vicissim in oratione illa insunt, quæ quid est declarat. quæ verò neutro modo insunt, accidentia *dico*. amplius *per se dico* quod non dicitur de subiecto alio aliquo: quæ verò de subiecto dicuntur, accidentia. Præterea alio modo, quod propter ipsum inest vnicuique, per *se dico*: quod verò non propter ipsum, accidens *voco*.

His

Hic alter eſt neceſsitatis gradus, priori maior, per ſe. Modos quatuor habet: quorum primus illas propoſitiones complectitur: in quibus prædicatum non ſolùm ſubiecto ineſt: ſed etiam in definitione illius ſumitur: alter eas: in quibus accidens proprium de ſubiecto ſuo dicitur: ſine quo definiri non poteſt: tertius ſubſtantiarum tantùm eſt: quartus externarũ cauſarum & effectuum.

Exiſtimant quidam: conditionem iſtam per ſe, quemadmodum illam priorem de omni, propriè & primò ad ſubiectum pertinere: cum reſpectu tamen ad prædicatum. Sed non ita ſe res habet, Sicut enim ex verbis Ariſtotelis manifeſtum eſt: verbis illis, 1.poſt.ca.4
de omni, ſubiectum, & quidem ſubiectum & tempus ſimul notari. ita ex iiſdem perſpicuum eſt: per ſe in omnibus quatuor modis, ſolo tertio excepto, non ad ſubiectum, ſed ad prædicatum primò, cum reſpectu tamen ad ſubiectum, pertinere. Sic enim Ariſtoteles loquitur: καθ' αὑτὰ δ' ὅσα ὑπάρχει ἐν τῷ τί ἐστιν. illa igitur, quæ inſunt, per ſe ipſa καθ' αὑτὰ καὶ δι' αὑτὰ inſunt. Eodem modo Auerroes vocem iſtam, per ſe, non ad ſubiectum ſed ad prædicatum retulit, cum ita ſcripſit: Cùm verò dicimus, quòd prædicatum eſt per ſe eſt, vt prædicatum ſit in definitione ſubiecti. non ait ſubiectum per ſe eſſe: aut per ſe illud prædicatum habere: ſed prædicatum per ſe, ſiue per ſe ipſum illi ſubiecto ineſſe.

Per ſe igitur ineſſe eſt ſubiecto eſſentiale eſſe: id

quod duobus fieri modis potest: vel vt prædicatū pars sit essentialis subiecti: ideoq; essentiam illius constituat: vel vt essentiam subiecti necessariò consequatur: siue, vt Auerroes loquitur, vt naturæ subiecti coniungatur. Atq; hoc antithesis ostēdit. Per se enim & per accidens Aristoteles opponit. per accidens inesse dicitur, quod accidens est: siue quod contingenter inest: quodquè inesse vel nō inesse potest, citra subiecti corruptionem. Per se igitur inest, quod non contingenter, sed essentialiter, ideoquè necessario inest. Si genus igitur sermonis spectemus: omnino conditio ista, per se, ad prædicatum primò pertinere existimanda est: id quod Exempla quoque Aristotelis ostendunt: qui non ait: trigonum lineam per se habere: aut lineam punctum: sed contrà: & trigono lineam: & lineæ punctum per se inesse. Interim fatemur: si rē ipsam consideremus: eōdē ferè vtrunque recidere: siue ad subiectum: siue ad prædicatum illud referamus: præsertim quando per se ab omni contingentia expurgatum sumitur. Quocirca Aristoteles de tertio necessitatis gradu loquens, vtrūque dixit: duos rectos per se & quatenus ipsum inesse triangulo: & triangulum per se duobus rectis æquale esse. Quem ad modum enim quod essentiale est, essentialiter subiecto inest: ita subiectum essentialiter & per suam essentiam habet quod illi est essentiale. Per se igitur prædicatum subiecto inest: quando inter subiectum & prædicatum

1. poster. com. 95.

tum

tum essentialis nexus est: quod cùm sit: alterum causæ rationem habet: vt in singulis modis ostendemus.

Opponit autem Aristoteles modis propositionum per se modos per accidens, ipsis è regione respondentes. Atque hoc est, quod in libro de Interpretatione monui: de materia propositionum, de necessarijs & contingentibus siue accidentarijs agere, non ad partem communem, sed ad propriam pertinere. Sed opponit quatuor modis per se tres tantùm per accidens. Rectè: quia primi duo reuera vnus modus sunt: qui illas propositiones complectitur: in quibus inter subiectum & prædicatum nexus est definitionis: facilioris tamen doctrinæ gratia, in duos distinguitur: aliusq; statuitur: quando prædicatum in definitione subiecti: alius: cùm subiectum in definitione prædicati sumitur: licet interim vtriq; commune sit: vt subiecto prædicatum essentialiter insit. Hoc etiam Auerroes vidit: qui modò quatuor: modò tres per se modos esse ait. 1. poster. com. 30.

Liquet ex ista partitione: quam Aristoteles, sicut totam artem Logicam, non ex suo aut humano cerebro, sed ex ipsa luce, à Deo in hominum mentibus accensa, depromsit: quicquid alicui inest, id vel per se: vel per accidens, siue quod eôdem redit, vel essentialiter, vel accidentaliter & contingenter inesse: nullum esse tertium: id quod Auerroes quoque 1. post. cô. aliquoties suo comprobauit suffragio: estqué hoc 32. & 34. ita vniuersale: vt in Deo quoque alterutrum ho-

rum necessariò sit statuendum. Quid igitur sibi volunt belli nostri Vbiquitarij: qui vbiquitatem & reliqua deitatis essentialia, substantiæ carnis Christi realiter communicata esse volunt: sed non essentialiter: non formaliter: non habitualiter: nō subiectiuè? his enim Scholasticorum vocabulis abutuntur. Nam præterquam quòd hac sua sophistica & inscitiam & præstigias suas produnt: etiam se ipsos iugulant. forma pars est compositi essentialis. quod igitur formaliter inest, essentialiter inest. Cur igitur vtrunq; ponunt? aut si explicationis loco, formaliter adiecerūt: cur non etiam materialiter. alterū verò etiam ineptius. an non habitus accidens est? an non igitur in subiecto? an non igitur subiectiuè? quandoquidem subiectiuè inest quicquid accidēs est: cùm in subiecto omne accidens sit. aut si habitum exprimere voluerunt: cur non etiam singulorum accidentium modum, quo in subiecto sunt? λῆρος ἂν φήσειέ τις. Verùm si neq; essentialiter: neq; subiectiuè & accidentaliter ista substantiæ carnis insunt: nullo modo insunt: et si interim substantialissimè, vt sic dicam, & realissimè ipsi personæ insunt. Ita tandem, vt sapienter Hilarius pronunciauit, stultorum & insanorum contradictio proficit ad stultitiæ & insaniæ demonstrationem. Vel hinc animaduerte: quantū ad Theologiam ars demonstratiua conferat.

Nunc singulos ordine modos explicemus. Per se verò *subintellige, dico, pendent hæc verba à superioribus:*

ribus:

ribus: De omni illud dico: per se verò, dico: &c. h. e. illa prædicata per se inesse subiectis dico: quæcunque insunt in eo quod quid est. Duæ igitur primi modi conditiones sunt: siue ad propositionem quæ per se sit primo modo, duo requiruntur. alterum: vt prædicatū subiecto illi de quo dicitur, re ipsa insit: alterum: vt insit in eo quod quid est. Vtrunq; significauit Aristoteles illis verbis, ὅσα ὑπάρχει ἐν τῷ τί ἐστιν: vbi notandum est; verbum ὑπάρχει, insunt, non cum sequentibus cohærere: quasi hic sensus sit: quæcunq; insunt in eo quod quid est: h. e. per se primo modo dicuntur, quæcunq; in definitione sumūtur: sed ὑπάρχει insunt, subiectum respicit: & primam conditionem huius modi declarat: quæ est: vt prædicatū subiecto insit: sequentia deinde, ἐν τῷ τί ἐστι alterā conditionem, siue modum τοῦ ὑπάρχειν explicant: vt scilicet non solùm insit: sed ita insit: vt ad τὸ τί ἐστι illius pertineat. Hanc interpretationem confirmāt in primis verba Aristotelis: qui non dixit, ὅσα ὑπάρχει ἐν τῷ λόγῳ τῷ τί ἐστι δηλοῦντι: sed ἐν τῷ τί ἐστι. τὸ τί ἐστι enim & definitio differunt. τὸ τί ἐστι est essentia & quiditas rei, quæ definitione exprimitur: definitio verò oratio est: quæ τὸ τί ἐστι exprimit. ἐν τῷ τί ἐστι igitur inesse dicitur, quod essentiam & τὸ τί ἐστι rei constituit: & sine quo res definiri non potest. ex quo perspicitur: in verbis illis ἐν τῷ τί ἐστι inesse, subiectū subintelligendum esse: illisq; significari: prædicatum ita subiecto inesse: vt essentiam & naturā illius con-

stituat: quod cùm sit: in definitione necessariò sumitur: cùm τὸ τί ἐστι definitione exprimatur. Eandem *sententiam confirmat non solùm Græci sermonis proprietas: in quo nunquam simplex verbum ὑπάρχειν, quotiescunque inesse significat, datiuo iungitur cum præpositione: verùm etiam quæ subyciuntur, tum exempla, tum verba Aristotelis. Quod enim prius dixerat, quæcunque insunt ὑπάρχει: id postea exemplis declarans ait, quemadmodum triangulo linea: lineæ punctum: vt perspicuum sit: verbum ὑπάρχει, ad subiectum, quod subintelligitur, non ad sequentia verba pertinere. Deinde quod dixerat, in eo quod quid est: id explicat his verbis: essentia enim illorum ex istis est & constat: & in definitione illorum sumuntur: h. e. linea & punctum non solùm insunt triangulo & lineæ: sed etiam ita insunt: vt linea pars sit essentialis trianguli: punctum pars essentialis lineæ: quæ definitionem necessariò ingreditur: quibus verbis idem prorsus dicit: quod nos de discrimine τοῦ τί ἐστι & definitionis diximus. Ad primum igitur modum illæ propositiones pertinent: in quibus prædicatum subiecto inest: atque ita inest: vt essentiam illius constituat, & in definitione illius sumatur: ex quorum numero genus est: differentia: tota definitio: & similia: de quibus mox plura.*

Secundus modus, perinde vt primus, duas conditiones postulat: clareque confirmat: quæ de prima primi modi conditione diximus. Secundi enim modi

illa

illa sunt: quæ, cùm alijs insint: illa vicißim, quibus insunt, in sui definitione accipiunt: h.e. illæ propositiones per se sunt secundo modo: in quibus prædicatum subiecto inest: atq; ita inest: vt definiri non possit: nisi mentione subiecti facta. Vtriq; igitur modo commune est, vt prædicatum insit: sed in primo prædicatum causa est subiecti: & in definitione subiecti sumitur: in secundo contrà, subiectum causa est prædicati: ideoq; in illius definitione exprimitur.

Ceterùm conditionem illam, quam diximus, vt prædicatum subiecto re ipsa insit, necessariam esse, ex eo liquet: quòd hîc non nuda propositionum forma, sed vnà cum materia, & quidem cum materia necessaria consideratur. Vt igitur vera, nedum summè vera, propositio sit: necesse est: vt prædicatum subiecto insit: quod nisi insit: de subiecto verè & naturali modo non prædicabitur. Pertinent huc ad secundum modum affectiones & accidentia propria: quæ vni tantum subiecto inhærent. Sic par & impar numero inest per se, secundo modo: rectum & curuum lineæ: habere tres duobus rectis æquales triangulo: simitas naso: docilitas, risibilitas homini. Omnia hæc affectiones sunt propriorũ subiectorum: quæ sine subiectis suis definiri non possunt.

Porro prædicata propositionum secundi modi semper accidentia sunt, nunq; in substantia: subiecta tũ in substantia, tum in ceteris prædicamentis: propo-

ſitionum verò primi modi, tã prædicata quàm ſubiecta & in ſubſtantiæ prædicamento, & in ceteris Categorijs reperiuntur.

His duobus modis per ſe ex aduerſo reſpondet modus per accidens. Quemadmodum enim prædicatio per ſe eſt: quando inter ſubiectum & prædicatum nexus eſt eſſentialis & definitionis: ſic prædicatio per accidens ſiue accidentaria & contingens: quando inter ſubiectum & prædicatum nexus eſt accidentarius & contingens: quod fit: quando accidens commune de ſubiecto dicitur. Huius generis ſunt: homo eſt eruditus, auarus: animal eſt album, nigrum &c. prædicata illa neceſſariò inſunt & prædicantur: hæc contingenter.

Tertius modus ſubſtantias tam ſecundas, quàm primas complectitur. Plerique omnes exiſtimant hunc non eſſe modum prædicandi: ſed tantùm vt loquuntur, eſſendi: in quo non prædicationis, quo modo ſcilicet prædicatum ſubiecto tribuatur: ſed tantùm exiſtentiæ: quo pacto ſubiectum illud ſit, ratio habeatur. Sed falluntur. Modos enim eſſendi τ͂ ὑπάρχειν conſiderare non Logici eſt, ſed Philoſophi. Prædicandi igitur & propoſitionum modi ad Logicum pertinent.

Sed & illud hîc notandum eſt: modos propoſitionum bifariam à Logico conſiderari: cum materia: & abſque materia. abſque materia conſiderantur in parte communi, in libro de enunciationibus: vbi ſolius formæ, quemadmodum diximus, ratio habetur: cum mate-

materia,in parte propria:vbi non sola forma:sed forma,prout iuncta materiæ est,eiq; vel necessariæ, vel probabili,vel apparenti,cōsideratur.Propterea eiusmodi propositiones,omnis coruus albus est:necesse est tandem omnes homines saluari: & similes: in libro de enunciationibus ,vt legitimæ,admittuntur: illa quidem inter vniuersales hæc inter necessarias: sed hic a Demonstratore repudiantur: qui non nudam formam, sed formam cum materia: ideoq; veritatem & falsitatem propositionū respicit & contemplatur. Modi igitur enunciandi hîc considerantur, prout à modis essendi fluunt: siue quod eôdem redit, considerãtur hic modi essendi,prout inde varij enunciandi modi deriuantur:h.e.considerantur hîc variæ prædicationes , quatenus cum rebus ipsis, quarum prædicationes sunt,conueniunt. ex eo enim quod res aliqua vel per se est,vel per accidens, prædicatio siue propositio denominationem accipit: & propositio vel per se,vel per accidens nuncupatur.Est igitur tertius quoq; modus,modus prædicationis.

Sed rursus alia hîc difficultas exoritur, vtrū scilicet primæ tantùm,an verò etiam secundæ substantiæ ad hunc modum pertineant:verùm hæc ex tertia intelligetur.Tertia igitur difficultas,est: quid per se hoc tertio modo de subiecto enuncietur. respondent viri magni,& rectè:existentiam de substantia per se hoc tertio modo prædicari: h.e.ad modum istum illas propositiones pertinere: in quibus de substãtia enun-

ciatur, quòd ſit, & ſubſiſtat. Quia enim ſubſtantia per ſe ſubſiſtit: idcirco propoſitio quoq; illa, in qua hyparxis vel ipſum eſſe de ſubſtātia dicitur, per ſe eſt. Tales ſunt, ſubſtātia eſt: homo eſt: Petrus eſt, vel ſubſiſtit. Ex quo liqet: ad hunc tertium modum ſecundas quoq; ſubſtantias pertinere: cùm de illis quoque hyparxis enuncietur: id quod ex eo etiam euidenter apparet. De tertio enim hoc modo præcipiens Ariſtoteles, non ſimpliciter ait, quod non de ſubiecto dicitur: ſed quod non de ſubiecto dicitur alio aliquo: quo pacto etiam poſtrema iſtius modi verba ſunt accipienda: ſignificare volens: ad hunc modum ſecundas quoq; ſubſtantias pertinere: quæ de ſubiecto quidem dicuntur: ſed non de ſubiecto alio ſiue peregrino: quod fit: cùm in diuerſo prædicamento ſubiectum eſt: in diuerſo prædicatum: ſiue cùm ſubiectum ſubſtantia: prædicatum accidens eſt: quam ſententiam maximè confirmat exemplum quod extemplo ſubijcitur. ait enim: quemadmodum ambulare, aliud quippiam cùm ſit, ambulans eſt: quibus explicat: quid ſibi voluerit illis verbis, ἄλλα τινὸς: ambulare ſcilicet de ſubiecto alio, & diuerſæ Categoriæ prædicari. Manifeſtum igitur eſt: tam ſecundas, quam primas ſubſtantias ad hunc modum pertinere: & tum ſubiectū, tum prædicatum huius modi in ſubſtantia eſſe. Modus per accidens huic oppoſitus eſt: in quo hyparxis de accidente enunciatur: vt Muſicus eſt vel ſubſiſtit.

Quarto modo per ſe dicuntur cauſa externa, tum

efficiens,

efficiens, tum finalis, & illarum effectus. Pertinent huc illæ propositiones: in quibus effectus proprius de causa sua efficiente externa aut finali enunciatur: vel contrà causa de effectu. Huius generis sunt, iugulatus interijt. iugulatio interitus causa est externa efficiens, & per se. interiectio terræ est eclipsis. ob interiectionem enim terræ, & non ob aliud eclipsis est. sic electus vocatur: vocatus iustificatus est: verè credens saluatur.

Huic ex aduerso modus per accidens respondet. Sicut enim causa externa efficiens duplex est: alia per se: quæ propriè effectum producit: alia per accidens: cui effectus impropriè tribuitur: ita quoq; prædicatio, in qua effectus aliquis de causa dicitur, duplex est. Vel enim subiectum illud per se & propria causa est prædicati: aut contrà prædicatũ causa subiecti: ideoq; prædicationẽ per se cõstituit: vel causa per accidens: & idcirco propositionẽ per accidens efficit.

Est autem causa per accidens non vnius generis. Dicitur causa per accidens, occulta & diuina illa causa: quam fortunam dicunt: quæ aliud nihil est: quàm diuina prouidentia. dicitur causa per accidens: quia cum causa per se concurrit: de qua re alibi. Dicitur etiam causa per accidens tam effectus ipse, qui per se propositus est, quàm ipsa per se illius effectus causa: dicitur inquam causa per accidens, euentus siue effectus fortuiti. & de hac in præsentia loquitur Aristoteles. Sic ambulationis causa sanitas est, vel ambu

lantis voluntas per se: coruscantis autem inter nubes flammę tam volũtas ambulantis, quàm ipsa ambulatio per accidens. Sic fossionis causa est cultura vineæ & animus fodientis per se: inuenti thesauri, tam ipse animus, quam fossio, per accidẽs. In quibuscunq; igitur enunciationibus proprius effectus de sua propria causa, aut fortuitus, qui fortunæ adscribendus est, de alia causa, quæ eum neq; sibi proposuit: neque produxit, enunciatur, illæ omnes huius modi sunt: priores quidem per se: posteriores illis è contrario respondentes, per accidens.

Vniuersale autem dico, quod non solùm de omni est: & per se: sed etiam quatenus ipsum.

Hoc est, tunc prædicatum subiecto καθόλου *& vniuersum attribuitur: cum & omni subiecto omniq; tempore inest: id quod primus necessitatis gradus* κατὰ παντὸς *exigit: & per se: & denique quatenus ipsum. Tertius igitur gradus tres simul conditiones requirit: vt prædicatum omni subiecto insit: vt per se insit: & quatenus ipsum. Inest autem prædicatum subiecto quatenus ipsum,* ᾗ αὐτὸ: *quando prædicatum illi subiecto primo inest: & propter ipsum reliquis omnibus: h.e. quando prædicatum cum subiecto reciprocat. habere tres, primo inest triangulo: triangulum enim quà triangulũ, tres habet duobus rectis æquales. æquicrurus etiam tres habet: sed non quà*

æquicrurus, sed quâ triangulum: triangulo verò nihil prius est: cui hoc insit, habere tres: sed triangulum primò omnium, & cetera omnia propter triangulum tres habent: ideoq; triangulum, quâ triangulum, tres habet. hæc igitur propositio, triangulum habet tres, καθόλου est: in qua omnes tres necessitatis gradus conspiciuntur. Sic ista, homo risibilis est καθόλου est. risibile enim homini inest iuxta legem κατὰ παντὸς: quia omni & semper: per se: quia essentialiter & definitiuè: vniuersum: quia extra hominem nuspiam reperitur. Vox igitur καθόλου, ad prædicatum pertinet: cum respectu tamen ad subiectum.

Ex quo liquet: καθόλου neque pro re vniuersali & communi: neque pro signo vniuersali: sed tertio quodam & peculiari modo hîc vsurpari. καθόλου enim posterioristicè, vt in scholis loquimur, tunc propositio est: quando totum & vniuersum prædicatū subiecto inest: & quidem ita inest: vt subiecto cum reduplicatione insit. Ita risibilitas tota in homine, & nusquam extra illum est: & homini, quâ homo, siue cum reduplicatione inest.

QVAE CAVSAE IN SINGVlis modis locum habeant: & quot in vno quoque modo genera propositionum.

CAP. III.

Ad primum modum per se duæ internæ causæ, materia & forma pertinent.

Materia & forma internæ causæ dicuntur: quia in composito manent. has ad primum modum pertinere, ex eo manifestum est: quia genus quod in definitione speciei sumitur, & de ea per se primo modo dicitur, materiæ: differentia verò formæ rationem habet. simul liquet: causam, siue materia sit, siue forma, semper prædicati, nunquam subiecti locum tenere.

Ad quartum verò modum duæ externæ causæ, efficiens & finalis pertinent.

Ratio est: quia causa & effectus, quæ quarti modi propositiones constituunt, loco & subiecto disiuncta sunt: id quod solis efficientibus competit & finalibus. Sic interpositio terræ causa est efficiens eclipseos: & ab eclipsi, quæ corpori lunari inhæret, loco & subiecto disiuncta. Sic iugulator loco dißitus ab intereunte est. Eadem causæ finalis ratio est.

In secundo & tertio eædem ferè causæ, alio tamen modo, locum habent. In secundo enim

enim efficiens, ſed interna conſpicitur: in tertio verò formalis.

Exiſtimare aliquis poſſet: nullam ſecundo & tertio modo cauſam relinqui: cùm primus vtranq; internam: quartus autem vtranq; ſibi vendicet externam. Verùm non ita ſe res habet. Cauſa efficiens duplex eſt: externa, ſiue propriè dicta efficiens: & interna ſiue impropriè dicta. illa ad quartum: hæc ad ſecundum modum pertinet. Vocatur autem externa: non ſolùm: quia extra eſſentiam effecti poſita eſt (ſic enim omnis cauſa efficiens externa eſt:) ſed etiam: quia non in eodem ſubiecto eſt, in quo effectus: vt ex eclipſi & interpoſitione terræ liquet. Interna verò dicitur: non quòd in eſſentia effecti conſiſtat (nulla enim cauſa efficiens hoc modo interna eſt) ſed quia in eodem cum effecto eſt ſubiecto. Sicut enim externum: ſic etiam internum, duobus modis dicitur: ratione eſſentiæ: & ratione loci ſiue ſubiecti. Sic rationalitas cauſa eſt riſibilitatis efficiens, externa ſimul & interna: externa: reſpectu eſſentiæ effecti; interna: reſpectu ſubiecti: quia in eodem eſt ſubiecto: iugulator verò vtroq; modo externum efficiens eſt: quippe & extra eſſentiam effecti poſitus: & ſubiecto quoque atq; loco ab eo diuiſus.

Ex quo ſimul vtrunq; liquet: & quodnam efficiens ſecundum modum conſtituat: & quid per efficiens internum hîc intelligamus: formam ſcilicet, vel accidens: quod in eodem compoſito ineſt.

Ad tertium modum formalis causa pertinet: quia subiectum existentiæ causa est: sed ratione formæ: à qua res habet vt sit.

Porrò primi modi propositiones vnius generis sunt: danturq; vt summum quinq; in hoc modo propositiones. Vel enim genus de specie prædicatur: vel differentia: vel tota definitio de re definita: vel pars generis: vel pars differentiæ.

1. Poster. com. 30.

Vnius generis sunt primi modi propositiones; quia prædicatum semper est de definitione subiecti: estq; vel integra illius definitio: vel pars. Ita fit: vt prædicatum primi modi, vt docet Auerroes, quintuplex sit: vel integra definitio: vel pars definitionis, eaq; vel genus: vel differentia: vel pars differentiæ: vel pars generis. hinc quintuplex propositio constituitur. linea est longitudo, cuius extrema sunt duo puncta: linea est longitudo, linea habet duo puncta: linea habet punctum. hîc quatuor propositiones sunt: omnes per se primo modo: in quarũ postrema pars tantùm differentiæ, non integra differentia, sicut in tertia, quæ ex numero & puncto h.e. duobus punctis cõstat, prædicatur. Quòd si genus alicuius definitionis sumas: quod non vnica tantùm, sed pluribus vocibus constet: duplex prædicatũ habebis: vel integrum illud genus: vel partem illius: quemadmodum iam de differentia diximus, e. c. exempli causa dico; rectè enim nec ne

hæc peccati genus constituantur id in præsentia non discepto: peccatũ est defectus, vel inclinatio, vel actio. hic totum simul genus, defectus, inclinatio, & actio de subiecto dicitur, per se primo modo: & singulæ istius generis partes.

Atq; hanc tum Auerrois, tum ipsius etiam Aristotelis sententiam esse, ex verbis ipsorum est manifestum. Sic enim Auerroes: Igitur, inquit, punctus, respectu lineæ, se habet per modum partis segregantis, quoniam differentia ipsius perficitur, ex numero & puncto, h.e. quia sunt duo puncta. *Integra, inquit Auerroes, lineæ differentia, est punctũ & numerus simul: h.e. duo puncta: vnicum verò punctum pars tantum istius differentiæ. Sic trina dimensio, longitudo, latitudo, profundum integra corporis differentia est: longitudo verò, sicut & latitudo seorsum, pars differentiæ. Atq; hoc oculatissimus Arabs in verbis Aristotelis vidit: qui nullum aliud huius modi exemplum posuit: quàm vbi pars differentiæ de specie prædicatur. Quemadmodum enim punctum pars est differentiæ lineæ: sic linea pars est differentiæ trianguli: cùm triangulum figura sit: non vna, sed tribus lineis contenta. Hinc acutissimus Arabs alterum collegit: sicut differentia pars, de sententia Philosophi, per se primo modo de re definita dicitur: ita quoq; partem generis, de eadem, eodem modo per se prædicari.* 1. poster. com. 30.

Simul tamen & remotum genus & remota dif-

ferentia partes generis & differentiæ sunt: quia & ipsa in definitione insunt: de qua re in Commentario nostro in posteriora Analyt. pluribus disseruimus.

Secundi modi propositiones perinde vt primi, vnius generis sunt. Prædicatum enim semper est accidens proprium.

Quotiescunque accidens proprium de suo subiecto dicitur, propositionem secundi modi constituit. Quot igitur sunt accidentia essentialia: totidem sunt secundi modi propositiones. Illud solum hîc obseruandum est: accidēs proprium duplicis esse generis: aliud simplex & vniusmodi: vt docilitas, habere tres: aliud compositum, siue mixtum ex duobus contrarijs: vt par & impar in numero: rectum & curuum in linea: inter quæ hoc est discrimen: quòd illud semper & ex necessitate insit: hoc verò non: si alterutrum contrarium seorsum sumatur: sin vtrunque simul (vtrunque enim simul vnum accidens essentiale constituit) non minus quàm prius illud semper & ex necessitate insit. Sic omnis numerus ex necessitate vel par est, vel impar: linea recta vel curua: licet nō omnis numerus necessariò par sit: nec omnis linea recta. Duplices igitur constituere possumus secundi modi propositiones: quemadmodum duplex est eiusdem modi accidens.

Tertij modi propositiones itidem vnius solùm generis sunt: quippe in quibus hyparxis

parxis de substantia · eáq; vel prima: vel secunda: enunciatur.

Hoc ex illis quæ suprà de hoc modo diximus, manifestum est.

Quarti denique modi propositiones duplicis generis sunt. vel enim effectus de causa eaque tum efficiente tum finali dicitur; vel causa de effectu.

Quot effecta propria dantur tum efficientis, tum finalis causæ: totidem prædicata quarti modi: & ex consequenti propositiones,

DE HORVM QVATVOR PER *se modorum, omniũq; trium graduum necessitate, deq; duorum postremorum graduum per se & vniuersale discrimine.*

CAP. IIII.

Primus sanè necessitatis gradus (de omni) necessitatem perpetuitatis, attributum scilicet subiecto perpetuò inesse, habet: alter (per se) maiorem: quippe qui ad perpetuitatem illam essentialem insuper inter subiectum & prædicatum nexum addit: postremus (vniuersale) maximam:

quia quicquid in secundo adhuc imperfectionis & contingentiæ relinquitur. hoc totum expurgat: propositionemq; summè necessariam, & ad demonstrationem omnibus modis accommodatam reddit.

Discrimen triplicis istius necessitudinis pro trium horum graduum ratione, sic facilè intelligetur. Propositio ista, Coruus niger est, de omni est & necessitatem perpetuitatis habet: nullus tamen est inter subiectum & prædicatum nexus essentialis: cùm nigror non sit de essentia corui: quam ob causam Porphyrius dicebat: coruum etiam album cogitari posse: h.e. nigrorem à coruo, etsi non re, mente tamen & cogitatione abstrahi posse: idq; propterea: quòd ad essentiam corui non pertineat.

cap. 6. de accidente.

Vbi diligenter notandum est: illa, quæ rei alicui essentialia non sunt: & tamen perpetuò inhærent: licet non reipsa, mente tamen, ab illa re abstrahi: essentialia verò rei alicui neq; re, neq; cogitatione abstrahi posse. Sic rationalitatem neq; re, neq; mente, abstrahere ab homine potes: nisi contradictionem implicare velis. hominem enim sine ratione esse, aliud nihil est: quàm rationalem esse sine ratione. Sic quantitas & ex consequenti circunscriptio neq; re, neque cogitatione abstrahi à corpore potest. nullum igitur corpus ἀπερίγραπτον est. Quod enim ne cogitatione quidem abstrahi potest: id multo minus re ipsa

abstra-

abstrahitur. Est igitur hæc primi gradus necessitas satis debilis: qua accidens commune non separabile, necessarium est: licet subiecto non essentiale: ideoq; ab hoc mente & cogitatione separabile. Necessarius tamen hic gradus primò omnium est ad propositiones necessarias cõstituendas: cùm sine perpetuitate ista: qua prædicatum in subiecto perpetuò inhæret, nulla consistat propositionum necessitas.

Maior itaque longè est secundi gradus necessitas: in quo prædicatum à subiecto non solùm non re, sed ne cogitatione quidem abstrahi potest: vt ex suprà positis exemplis liquet: Causa est: quia prædicatum subiecto essentiale est: h,e. vel essentiam subiecti constituens: vt primi modi prædicata: vel eam necessariò consequens: vt accidens proprium.

Maxima verò omnium est tertij gradus necessitas. Ille enim non solùm perpetuitatem illam, essentialemq; inter attributum & subiectum connexionem complectitur: sed his duobus præterea etiã reciprocationem addit. vt nulla propositio καθόλου *sit, nisi reciproca: Itaq; hoc tertio gradu, quicquid imperfectionis & contingentiæ in duobus præcedentibus relinquitur, quo minus propositio aliqua summè necessaria, & ad demonstrationem apta sit, planè profligatur.*

Hinc quodnam inter secundum & tertium necessitatis gradum discrimen sit, non ob

ſcurè colligitur. Secundus enim duas tantùm neceſsitatis conditiones habet, perpetuitatem ſcilicet & nexum eſſentialem: Tertius verò tres, perpetuitatem, nexum eſſentialem, & reciprocationem.

Quemadmodum ferè ſecundus gradus (per ſe) ad
primum (de omni) ſecundam neceßitatis conditio-
nem addit: Sic tertius tertiam. Sed hoc ſano modo in-
telligendum eſt. Reuera enim tertius modus à ſecun-
do, quando ſuam aſſecutus eſt perfectionem, non diſ-
fert: cùm καθόλου ſimul ſit, quicquid ſummè per ſe
1.poſter. cap.4. quæſt.3. *eſt: dicēte Ariſtotele: τὸ καθ' αὑτὸ καὶ ᾗ αὐτὸ idem eſſe.*
Sic igitur habendum eſt. Secundus gradus per ſe
duas, vt ex Auerroe liquet, ſpecies habet: vnam: quæ
per ſe eſt, vt ipſe loquitur, per rem de omni: alteram:
quæ per ſe eſt abſque re de omni. h. e. per ſe dupliciter
accipitur: latius & preßius: latius acceptum, non in-
cludit tertium gradum καθόλου: preßius verò acce-
ptum, eum includit: atq; ita per ſe & καθόλου non duo,
ſed vnus gradus ſunt & conditio.

Quod per ſe eſt, id contrariè oppoſitum habet illud quod eſt ex accidente: quemadmodum contingens neceſſario contrariè aduerſatur. Non datur tertia prædicatio: ſed omnis prædicatio, vt ex Ariſtotele Auerroes pronunciauit, vel per ſe eſt, vel per accidens. Fit tamen non rarò: vt contrarium ſui contrarij aliquid ſibi admixtum habeat. Sic per ſe,

latius acceptum, nonnihil sui contrarij in se habet. propositio enim ista, homo animal est, per se est primo modo: non tamen summè per se: cùm aliquid accidentarium sibi adiunctum habeat: vt mox declarabimus. Ista verò, triangulum tres habet, summè per se est: ideoq; per se & καθόλου simul.

Cùm igitur dicimus: per se duas tantùm necessitatis conditiones complecti: per se latius acceptum intelligimus: quo modo illud accepit Aristoteles: cùm de secũdo gradu præcepit. Quando verò dicimus: tertium gradum tertiam addere: aliud nihil volumus: quàm τὸ καθόλου rem quandam, vt verbis Auerrois quæsit. 1. *vtamur, præter perseitatem esse: & secundi gradus perfectionem: h. e. illam demum propositionem verè & summè per se summeq; necessariam esse: in qua nihil accidentarium, aut contingentiæ relinquitur: quod fit: quando subiectum & prædicatum termini sunt reciproci. Hanc secundi gradus perfectionẽ tertio illo gradu Aristoteles significauit: quæ causa est: cur deinde in tertio gradu, per se & quatenus ipsum idem esse dicat: eaq; promiscuè vsurpet.*

Idem igitur ista valent, prædicatio vniuersalis, prima, quatenus ipsum: & per se: si per se perfectum & ab omni contingentia expurgatum accipias: hoc solum discrimen est: quòd quatenus ipsum & primum, conditiones sint subiecti respectu prædicati: per se verò & vniuersale contrà, conditiones prædicati respectu subiecti.

Ceterum primus modus maiorem habet quàm secundus: secundus maiorem quàm tertius: tertius rursum maiorem quàm quartus necessitatem: quamobrem etiam alius alio priorem locum est consecutus.

Duo primi modi maximam habent necessitatem: in quorum vtroq; nexus est inter subiectum & prædicatum essentialis, & quidem nexus definitionis: sed in primo prædicatum vel integra subiecti essentia est: vel saltē pars subiecti essentialis: in secundo non equidem subiecti pars essentialis, subiectum tamē necessariò consequens. Quare maior istius, homo est ratione præditus, quàm huius, homo est docilis, necessitas est: cùm hæc propter illā necessaria sit: propter quod autem vnum quodq; tale, illud magis tale.

Tertij modi maior necessitas esse videtur, quàm secundi. Sed quia ad demonstrationem, & idcirco etiam ad definitionem, vt capite sequenti dicemus, prorsus inutilis est, secundo modo postpositus est.

Quartus deniq; non nisi rarißimè necessitatem habet. Datur nanque causa effectrix ante effectum: datur effectus causa interemta quemadmodū etiam in finali accidere videmus: vbi multa finis alicuius gratia fiunt: quæ tamen finem illū non consequuntur. Habet igitur hic modus tunc solùm necessitatem: cùm effectus cum causa sua reciprocat: id quod rarenter contingit.

QVA-

QVALES ESSE OPORTEAT propositiones, quæ demonstrationem ingrediuntur: & qui modi quatenus ad demonstrationem accommodati.

CAP. V.

Ex superioribus liquet: illam demùm propositionem ad demonstrationem accommodatam esse: in qua omnes tres necessitatis gradus concurrunt. Vt enim summè necessariæ sint propositiones, necesse est: eas simul quoque summè per se esse: h.e. de omni, per se, & vniuersales simul.

De demonstratione simpliciter dicta, siue τοῦ διότι, per quam simpliciter dicta scientia acquiritur, sermo est. Quemadmodum igitur, id quod scitur, conclusio summè necessaria est: ita quoque, quibus scitur, principia siue propositiones summè necessarias esse oportet: quod fit: quando omnes tres necessitatis gradus concurrunt: propositionesque non solùm de omni sunt & per se: sed etiam vniuersales. Hinc non obscurũ est: sententiam Aristotelis esse: nullã propositionẽ ad demonstrationem accommodatã esse: quæ terminis reciprocis nõ constat. Per primum enim gradum (de omni) voluit subiectum totum à prædicato comprehendi: per tertium autem (Vniuersale) vice versa:

totum prædicatum à subiecto: ideoq́; neq; subiectum prædicato: neq; hoc illo latius patere: h.e. voluit subiectum & prædicatum terminos esse reciprocos: id quod disertis etiam verbis aliquando affirmauit. Tales sunt omnis homo est ratione præditus: omne triangulum habet tres &c.

Liquet simul qui modi quatenus ad demonstrationem accommodati sint. Tertius, in quo idem de eodem dicitur, ad demonstrationem planè inutilis est: quartus rarisimè demonstrationem ingreditur: primus verò & secundus ad demonstrationem apti sunt: sed non eâdem prorsus ratione. Secundi quippe modi propositiones omnes: primi verò non omnes demonstrationem ingrediuntur.

Primi duo modi loci sunt Apodictici: reliqui verò duo à simpliciter dicta scientia & demonstratione, ab ipso Aristotele aliquoties exclusi. Et tertius quidem ad hanc rem prorsus ineptus est ob causam allatam: Quartus verò non nisi rarò, & tunc solum demonstrationi inseruit: cùm secundi modi conditionem consequitur: quod fit: cùm inter causam & effectum nexus est definitionis & reciprocatio. Hunc tamen modum Aristoteles vnà cum tertio repudiauit: quia quod rarum est, id ex accidente est: & cùm (1. post. cap. 4. 6. & 18.)

vtilis

vtilis est: ad secundum reuocatur. Relinquitur igitur primus & secundus modus.

Sed & inter istos duos discrimen quoddam est. Secundus enim prorsus & omni ex parte vtilis est. h.e. omnes secundi modi propositiones demonstrationem ingrediuntur: primi verò non omnes. Significauit hoc Aristoteles, cùm de primo & secundo modo verba faciens dixit, manifestum igitur: quòd ex eiusmodi quibusdam fuerit syllogismus apodicticus: *ex quibusdam, inquit: non ex omnibus: quibus verbis quasdam horum duorum modorũ propositiones à demonstratione profligat: quæ quales sint, non obscurum fuerit ex illis, quæ ante à nobis dicta sunt, colligere.* 1. post. c. 6.

Dictum est: illam tantùm propositionem ad demonstrationem aptam esse: quæ terminos habet reciprocos: siue in qua omnes tres necessitatis gradus concurrunt. Ex quo consequitur: reijci, quæcunq; talis non sit. Secundi modi propositiones omnes καθόλȣ esse, secundum Aristotelem Auerroes testatur: & manifesta res est. Accidens nanque proprium de suo subiecto siue causa sua interna enunciatur: cum quo siue cum qua conuertitur & reciprocatur: vt docilitas de homine, vel rationali secundo modo per se & καθόλȣ siue reciprocè enunciatur. Eadem est reliquorum propriorum accidentium ratio. Omnes igitur secundi modi propositiones demonstrationem ingrediuntur. 1. poster. cap. 18.

Primi

Primi modi quinq; propositiones sunt: de quibus suprà. definitio cum re definita reciprocatur quidem sed demonstrationi non conuenit: cùm propositione illa, in qua tota definitio de re definita dicitur, opus non sit, & sola differentia sufficiat: vt ex sequentibus liquebit. Genus specie latius patet, & cum ea non reciprocatur quo fit: vt propositionem summè necessariam non constituat. Genus equidem speciei necessarium est: species verò generi contingens. Sic homo necessariò animal est: animal verò non necessariò homo est. Stat igitur necessitas in istiusmodi propositionibus ex altera tantùm parte: nõ ex vtraq;: siquidem ex altera parte, ex parte scilicet speciei, cõtingentes sunt. Non ergo summè per se & idcirco à demonstratione profligantur: vt quasi ex ore præceptoris acceptum docuit Auerroes. Eadem ratio est: si pars generis prædicetur. Sicut nanq; totum genus: ita quoque pars generis latius specie patet: e. c. peccatum est actio. actio cum peccato non reciprocatur: sicut neque totum genus: quod est actio inclinatio & defectus.

quæsit. 3. & alibi.

Atq; ita tres primi modi propositiones à demonstratione exclusæ sunt, definitionis, generis & partis generis. Restant duæ reliquæ, in quibus vel tota differentia, vel pars differentiæ de composito enunciatur. Pars differentiæ etsi καθόλȣ aliquando de specie dicitur: ad demonstrationem tamen inepta est: de quo in commentario in posteriora. Relinquitur igitur sola illa

illa primi modi propositio in qua differentia de composito enunciatur. hæc καθόλου est: & terminos habet reciprocos.

Ex his omnibus perspicuum est: tantùm secundi modi propositiones, & illas quarti: quæ cum secundi modi propositionibus concurrunt: & vnicam primi, in qua differentia de composito prædicatur, ad demonstrationem accommodatas esse: reliquas verò ineptas.

QVID DEMONSTRATIONE efficiatur: & in quo modo maior: in quo minor: in quo conclusio sit.

CAP. VI.

Concluditur autem demonstratione neque substantia: neque definitio: sed tantùm accidens proprium de suo subiecto. Est enim demonstratio proprium instrumentum: accidentia propria per suas & primas causas cognoscendi.

Fuerunt ex antiquis: qui definitiones & idcirco substantias etiam, cùm veræ definitiones, vt in Metaphys. tradit Aristoteles, substantiarũ tantùm sint, demonstratione colligi putabant. Sed errarunt: quia falsæ hypothesi innitebantur: existimantes diuisionem syllogismum esse: quos idcirco meritò Aristoteles refutauit. Sola igitur accidentia propria demon-

lib. 7. cont. 15. & 16.

2. poster. cap. 4. & 5.

stratione concludi: & de subiectis suis per causas primas demonstrari, ex Aristotele liquet. Docet enim: & sic res habet: omnem demonstratiuam scientiam in his tribus occupari: in genere siue subiecto: cuius propria accidentia considerat: in principijs: in affectionibus, siue accidentibus proprijs.

1. post. ca. 8.

Quemadmodum syllogismus omnis: ita quoq; demonstratio non plures nec pauciores, quàm tres terminos postulat: sed in demonstratione conclusio semper constat ex subiecto: de quo proprium πάθος concluditur per causam primam. Quando Aristoteles ait: demonstratiuam scientiam τῶν καθ' αὑτὰ τοῦ γένους πατημάτων θεωρητικὴν εἶναι, indicat: demonstrationem in hoc totam esse: vt per eam propria accidentia innotescant: id quod clarius sequentib. verbis protulit: cum scripsit: tria hæc in demonstratione esse: illud de quo demonstrat: illa quæ demonstrat: & ex quibus demonstrat: significans: genus siue subiectū esse illud: de quo demonstratiua scientia aliquid demonstrat: principia: ex quibus demonstrat: πάθη verò siue παθήματα, quæ tertium sunt in demonstratione, in conclusione de subiectis suis demonstrari.

Hoc ipsum ex anticipata quoq; notione manifestum est. Commune omnib. trib. terminis subiecto, affectioni, & causæ est: vt quid nomina significent, prænoscantur: sed subiectum & causa præterea etiam quòd sint, prænoscuntur: affectio autē tantùm, quid nomen significet. relinquitur igitur: τὸ ὅτι affectionis

nis

nis demonstrari. Demonstratione itaq; accidens subiecto inesse monstratur: cùm esse accidentis sit enesse: quod significauit Aristoteles: cũ scripsit: quæstionem an sit, & vtrum insit, in idem recidere: in primis si quæstio sit de accidente. Ceterum an definitio aliqua demonstrari poßit: & quo pacto: infrà dicetur. 2. post. ca. 2.

Hinc verò non obscurum est: in quo quæuis propositio modo inueniatur. Maior enim propositio, quemadmodum & conclusio in secundo modo erit: minor verò tam in primo, quàm in secundo.

Demonstratione, vt dictum est, proprium accidẽs de subiecto suo per causam mediam concluditur. accidens igitur maius: subiectum minus extremum est: causa medium: quæ quandoq; quidem aliud accidens est: quandoque, quamuis rarò, ipsa subiecti forma. In maiori igitur accidens proprium de causa: in minore causa de subiecto: in conclusione accidens de subiecto dicetur: itaq; maior & conclusio, in quarum vtraque accidens proprium prædicatur, in secundo: minor verò aliquando in primo, aliquando in secundo modo erit: cùm accidens, eodem modo & de subiecto suo, & de causa, à qua emanat dicatur.

Sed duo hîc quæri possunt: vnum: quo pacto id verum sit, quod dicimus, accidens proprium de causa quoque per se secundo modo prædicari: cùm secundus modus illarum solùm propositionum esse videatur:

in quibus accidens proprium de ſubiecto ſuo dicitur: alterum: quo pacto omnis propoſitio ſecundi modi καθόλȣ ſit & prima: cum non omnis ἄμεσος ſit: ſed multæ per cauſam mediam demonſtrentur.

Ad primũ dico: verum eſſe quod ſuprà docuimus: ſecundum modum duas conditiones poſtulare · alteram: vt accidens illud inſit: alteram: vt in definitione ſubiectum accipiat. ideoq; non videri illud de cauſa per ſe ſecundo modo dici: cùm nõ cauſæ, ſed ſubiecto inſit. Sed hîc ſciendum eſt: harum duarum conditionum poſteriorem ſolùm ſecundi modi propriam eſſe & præcipuam: priorem verò communibus accidentibus cum proprijs communem. Quia igitur accidens proprium, vt autor eſt Ariſtoteles, in ſui definitione, tam cauſam, quàm ſubiectum accipit: tam de cauſa, quàm de ſubiecto per ſe ſecundo modo enunciatur.

2. poſter. cap. 10.

Pro maiori intelligentia notandum eſt: accidens proprium à ſubiecto ſuo vt à duplici cauſa pendere: à materia externa: in qua recipitur & hæret: & à cauſa efficiente interna: à qua emanat & fluit. Omne enim accidens cauſam habet internam ratione loci, h. e. quæ in eodem eſt ſubiecto, in quo accidens proprium: eaq; vel forma compoſiti eſt: vel aliud accidẽs: à quo accidens proprium emanat: e. c. docilitas à rationalitate, hominis forma, fluit & emanat: vtroq; cauſa ſiue efficiente & effectu in eodem compoſito hærente: quæ cauſa eſt: cur accidens proprium etſi à cauſa ſua efficiatur: nihiloſecius tamen à ſubiecto, tan

tanquam à causa efficiente pendere dicatur. Ob hanc causæ & subiecti communionem, fit: vt omnis propositio secundi modi vtramq; accidentis pendentiam (sic enim loqui nobis fas sit) in se contineat: sed alteram actu: alteram potestate. Quemadmodũ enim subiectum causa efficiens accidentis est: præsertim cũ causa, non forma sed aliud accidens est: sic causa subiectum est accidentis. Sicut in hac propositione, homo docilis est, vtraque conditio est: ita in hac, rationale est docile, vtraque est. sicut enim in priori subiectum exprimitur, causa potestate simul denotatur: sic in posteriori causa exprimitur, subiectum adsignificatur: id quod vel ipsius vocabuli, quod concretum, non abstractum est, vis & significatio ostendit. Omnis igitur propositio, in qua accidens proprium enunciatur, per se est secũdo modo: quod cum in maiore & conclusione fiat: manifestum est: illas ad secundum modum pertinere.

Minor ad primum pertinet: cùm medium forma subiecti est: ad secundum: cum aliud accidẽs est: quod crebrius euenire solet: vt autor est Auerroes.

In his igitur demonstrationib. in quib. accidẽs per aliud accidẽs demõstratur, nullus relinquitur primo modo locus. Eadẽ ferè est illius demonstrationis ratio: in qua πάθος subiecto inesse per causã externã demõstratur. Cõclusio. n. & minor ꝓpositio ad secundũ modũ pertinẽt: maior etiã quodã modo. Etsi. n. ꝓpriè loquẽdo & primò ad quartũ modũ referẽda est: quòd in ea πάθος de causa nõ interna, sed externa enũciatur: 1. poster. com. 66.

secundario tamen & quodam modo etiam ad secundum refertur: cuius conditionem præcipuam est consecuta: quæ est: vt in definitione prædicati subiectum accipiatur. Sic igitur se res habet in demonstratione propter quid.

Demonstrationis verò quòd, alia ratio est. Ibi maior semper in primo modo erit: minor in secundo: Cõclusio tam in primo, quàm in secundo. Ratio est: quia in maiori causa de effectu suo enunciatur: prædicatumq; subiecti causa est: quod primi modi proprium esse diximus: in minore autem accidens de subiecto: idq; secundo modo. Sed hæc infrà exemplis plana fiet. Et de primo quidem dubio hactenus.

Ad alterum dico: propositionem, vt ex ipsomet Aristotele Auerroes pronuntiauit, duplici ratione primam esse posse: ratione causæ: & ratione subiecti. ratione causæ prima illa est: quæ causam priorem nullam habet, qua demonstretur: hoc est, quæ ἄμεσος est: ratione subiecti verò quæ subiectum prius & medium nullum habet: per quod subiecto, illi cui inest, prædicatum inesse monstretur. Prioris generis propositiones illæ sunt: in quibus proprium πάθος de sua prima causa enunciatur: vt ratione præditũ aptum est ad ridendum: posterioris: in quibus propriũ πάθος de primo suo subiecto prædicatur: homo est risibilis: triangulum tres habet. posteriori modo propositionẽ primã Aristoteles appellauit cap. 4. primi post. prior: capite secundo eiusdem libri.

2. poster. com. 94.

Ex

Ex quibus liquet: omnem propositionem secundi modi primam esse: si non causæ, at subiecti respectu. Liquet etiã: quo pacto propositio prima demonstretur. Demonstratur illa tantùm: quæ subiecti respectu prima est: in qua accidẽs proprium de primo suo subiecto enunciatur: cui sicut non ἀμέσως, sed per causam inest: ita quoq; per illam causam ei inesse monstratur.

DE SPECIEBVS DEmonstrationis.

CAP. VII.

Est autem demonstratio duplex: altera demonstratio propter quid dicta: altera demonstratio quòd. Illa est: quæ effectum per primam & proximã causam demonstrat: hæc: quæ vel causam ex effectu: vel effectum ex causa remota concludit. dicitur propter quid: quia causam, siue propter quid res sit, dat: dicitur quòd: quia non causam, sed tantum, quòd res sit, declarat.

Hic primò omnium notandum est: demonstrationem genus non esse: ideoq; etiam, propriè loquendo, species non habere. Cùm igitur demonstrationem audis: non intelligenda est communis quædam natura: quæ eadem ratione duobus aut pluribus commu-

nis ſit : ſed intelligitur demonſtratio potiſsima, ſiue primi gradus : cui ſoli propriè & primò peculiariq́; ratione hoc nomen competit. De hac locutus eſt Ariſtoteles cùm ſcripſit : ſcopū ſuæ tractationis demonſtrationem eſſe. De hac præcepta tradere inſtituit. Demonſtratio τοῦ ὅτι, participatione ſolùm demonſtratio eſt : quia conditiones quaſdam potiſsimæ demonſtrationis participat: de qua etiā ſecundariò ſolùm Ariſtoteles agit: quia famula potiſsimæ demonſtrationis eſt: cui ad regreſſum ancillatur.

1. prior. cap. 1.

1. poſt. cap. 2.3.4. &c.

1. poſter. cap. 3.7.10.

Prior illa demonſtratio ab Ariſtotele ἀπόδειξις τοῦ διότι dicitur : ἀπόδειξις ἁπλῶς: à Græcis ἡ κυρίως ἀπόδειξις à Latinis demonſtratio propter quid : demonſtratio cauſæ: demonſtratio ſimpliciter: demonſtratio potiſsima : poſterior ab Ariſtotele demonſtratio τοῦ ὅτι: à Græcis ἡ διὰ σημείων ἀπόδειξις : Latinè demonſtratio quòd : vel demonſtratio ab effectu: demonſtratio ſigni.

Demonſtratio igitur ſimpliciter dicta, ſiue cauſæ, eſt : quæ effectum. h. e. propriū πάθος primo ſubiecto ineſſe, per primam & ſimpliciter proximā cauſam demonſtrat: ideoq́; ſimpliciter dictam ſcientiam parit. Quid ſimpliciter proxima cauſa ſit ſuprà dictum eſt. Cauſæ demonſtratio, omnes quinque conditiones habet, ſuprà à nobis enumeratas: demonſtratio verò quòd, non omnes. Cauſa eſt: quia illa per proximam cauſam effectum cōcludit: hæc vel per remotam cauſam effectum: vel ex effectu cauſam.

Non

Non obscurum autem fuerit, ex simplici huius demonstrationis descriptione colligere: quæ nam in ea conditiones desiderentur. Sanè duæ illæ conditiones, vt propositiones veræ sint, & quidem necessaria veritate veræ.h.e. necessariæ, & conclusione notiores, à nulla exsulare demonstratione possunt. demonstratio enim omnis syllogismus necessarius est: licet alia maiorem alia necessitatem habeat: estq́ illius, sicut omnis doctrinæ, scopus: vt per notiora in cognitionem ignotorũ deducantur. Tres verò reliquæ conditiones, vt propositiones medio careant, prioresq́ & causæ conclusionis sint, potissimæ quidem demonstrationi prorsus necessariæ sunt: demonstrationi verò quòd non item. Si enim ex causa remota effectus inferatur, perspicuum est: propositiones non esse ἀμέσους: cùm inter causam illam, & maiorem extremitatem intermediæ causæ dentur: sin ex effectu causa proxima: medio quidem propositiones vacabunt: sed nullo modo rei, quæ concluditur, causæ erunt: ideoq́ etiam conclusione non priores.

Ex quibus liquet: non solùm demonstrationẽ causæ, demonstratione quòd, longè nobiliorem esse: demonstrationisq́; nomẽ peculiari quadam ratione sibi vendicare: verùm etiã inter duas illas τοῦ ὅτι demonstrationes, illam longè & præstantiorem & vtiliorem esse: quæ ex effectu proximam causam infert. Vtraque τοῦ ὅτι demonstratio necessitatem habet: sed

illa quæ ab effectu est, longè maiorem: quam ob rem non paruus illius in Philosophia vsus est. Cùm enim proximam rei causam ignoramus: ex effectu notiore eam venamur: vt sic deinde in regressu rem illam per primam suam causam demonstrare, perfectamq́ue illius cognitionem assequi possimus.

Vtranque hanc τοῦ ὅτι demonstrationem demonstrationis nomine quodam modo dignam esse, Aristoteles autor est: idq́ue propterea: quòd etiam illa, quæ
1. poster. cap. 10. *ex causa remota demonstrat, propositionibus necessarijs constet: non quidem omnium trium graduum necessitate necessarijs: necessitate tamen primi & secundi gradus. Quòd si verò hic syllogismus demonstratio quædam est: multo magis ille: quo causam alicui inesse ostendimus: eò quod effectus inest: qui cum causa illa reciprocatur. Errauit igitur Auicenna, qui hoc impugnauit: & Aristoteli ex diametro contradi-*
1. post. cō. 55. & 95. *xit: quem solidè Auerroes confutauit.*

Sed nec plures etiam quàm illam causæ, & hanc duplicem τοῦ ὅτι demonstrationem esse, pluribus demonstrari rationibus posset: verùm nos vna & altera contenti erimus. Adest inprimis clarissimum Aristo-
1 post. cap. 3. 10. & 23. *telis testimonium & autoritas: qui de speciebus demonstrationis ex professo disputans, harum sicut omnium: ita solarum meminit. Adest ratio. In omni demonstratione, vel ex causa effectus: vel contrà ex effectu causa demonstratur: nec vllum tertium est. ex causa autem bifariam effectus demonstrari potest:*

vel

vel ex proxima: vel remota. Ex quo liquet: duas tantùm, vt sic loquar, demonstrationis species esse: τὸ ὅτι & τὸ διότι quarum illa in duas rursus, quemadmodum exposuimus, distinguitur.

Falsa igitur illorum sentẽtia est: qui tertiam speciem adijciunt: & demonstrationẽ prima distinctione in tres species distinguunt: in demonstrationem potissimam siue simpliciter dictam: in demonstrationem causæ tantùm: & in demonstrationẽ quòd. Primi gradus demonstrationem esse volunt: quæ existentiam & causam, siue quòd & propter quid simul notum facit: secundi gradus: quæ solum propter quid: tertij & infimi: quæ solum quòd. Distinctio hæc Auerrois est: & ab eo varijs in locis proposita: & fortassis nõ malè intellecta: sed à posteritate (posteritas enim errorum ferax est) in prauum sensum rapta. Existimant isti: has tres species inter se reapse differre. Sed errant demonstratio enim causæ, & demonstratio simpliciter, vna & eadem demonstratio est. patet. Aristoteles de demonstratione simpliciter tractare instituit: quæ simpliciter dictam scientiam pariat. hanc non aliam esse docet: quàm quæ per primã causam demonstrat: vt tota Aristotelica disputatio à capite secundo vsque ad decimum & vltrà ostendit: in primis illa verba: quibus simpliciter dictam demonstrationem non simpliciter dictæ, per quam τὸ ὅτι demonstrationem intelligit, opponit: duasq; tantùm demonstrationis species ponit: & demonstrationem

I. post. cõ. 15. 54. 55. 70. 95. 2. post. cõ. 39. 40. &c.

lib. 1. post. com. t. 28

causæ demonstrationem simpliciter dictam appellat. Præterea sicut demonstratio potißima, ita quoque causæ, omnes illas conditiones habet: quæ ad simpliciter dictam scientiam comparandam, & ad simpliciter dictam demonstrationem requiruntur: ideoq; non minus quàm illa omnibus numeris absolutam scientiam parit: itaq; demonstrationis vtrunq; finē assequitur: quorum vtrunq; ipsemet Auerroes fatetur: immò verò demonstrationem per causam proximam, demonstrationē simpliciter dictam appellat.
1. post. con. 72. & 179.
Et reuera demonstratio, quæ veram & adæquatam causam exhibet: ea τὸ ὅτι quoq; exhibet: eademq; demonstratione, qua intelligis, cur homo docilis sit: etiā simul & quidem tunc verè cognoscis, eum docilem esse: cùm scire sit rem per causam cognoscere. Nulla igitur demonstratio dare propter quid potest: quin simul etiam quòd det.

Nec obstat: quod aliquando τὸ ὅτι nobis notū sit: antequam per causam demonstretur: vt fit in regressu. Licet enim priori loco causam ignotam ex effectu notiore collegerimus: & postea eundem effectum ex causa per regressum concluserimus: nihilosecius tamen demonstratio ista causæ, vim habet vtrunque, & propter quid & quòd declarandi: quam virtutem illi nostra illius effecti præcognitio, nō adimit. Perinde se res habet: ac si quis Vienna ad me literas det: quibus hæc duo me certiorem faciat: Ciuitatem milite muniri: idq; eam ob causam: quòd Turca aduentare

tare dicatur: quorum prius, Ciuitatem muniri, iam ante ex alio intellexeram, an propterea amici istius literæ solùm propter quid & non simul etiam quòd dant? Respectu igitur nostri verum est: & Peripateticè prolatum: quod de his tribus demonstrationis speciebus scriptum Auerroes reliquit. Fit enim non rarò: vt causa ignota, antequam perfectam rei scientiam assequamur, prius ex effectu sit colligenda: postea demum per causam effectus iam ante notus cõcludendus. Aliquando verò causa effectu notior est: & tunc simul quòd & propter quid vna demonstratione innotescit: vt totum discrimẽ in medio & quæsitis, vt locis supra citatis Auerroes affirmat, idq; respectu nostri, positum esse videatur. Cetera ad præsentem quæstionem attinentia ex Commentario nostro in Posteriora petantur.

Nunc exempla quædam demonstrationum proponamus quibus illa, quæ adhuc dicta sunt, planiora fiant. Omne rationale docile est: Omnis homo rationalis est: Ergo omnis homo docilis. Demonstratio potissima est siue causæ: qua accidens proprium primo suo subiecto per primam causam, quæ forma subiecti est, inesse monstratur. Maior igitur & conclusio in secũdo modo sunt: minor in primo. Talis illa est. Quod materiatum est, id oritur: corpus naturale materiatum est: g. oritur. Maior & cõclusio in secundo modo: minor in primo est. Materia enim differentiæ locum tenet in definitione corporis naturalis. Tale illud:

Quicquid in partes diuiduum est, id finitum & circumscriptum est: Omne quantum in partes diuiduũ est. Finitum igitur & circumscriptum omne quantum est. Maior & conclusio in secundo modo: minor in primo est. Tales sunt demonstrationes simpliciter dictæ: quæ simpliciter dictam scientiam gignunt: & earum rerũ sunt: quæ aliter se habere nullo modo possunt. est enim in illis necessitas definitionis: quam Deus etiam sua omnipotentia non immutat: quippe qui se ipsum, Apostolo teste, negare, h. e. mentiri non potest: ideoq; duo contradicentia simul vera nõ facit.

Hac demonstratione nuper nata hæresis vbiquitaria profligatur. quod enim de quãto vniuersè concluditur: id quoque de corpore, illius parte, demonstratur. 2. post. ca. 3. *Sic Aristoteles dicebat: quod de trigono demonstratũ est, habere scilicet tres: id eàdem demonstratione de isoscele quoque, quod sub illo continetur, monstratum esse. Quòd autem finitum simul & infinitum corpus Christi sine contradictione se ponere posse somniant: id suo loco in fumum dißipabitur. Nihil igitur aliud restat: quàm vt, sicut nouum cælum, nouum infernum, nouum Deum, nouum Christum fabricati sunt: ita nouam quoque fabricentur Logicam: cuius primum axioma sit, duo contradicentia simul vera esse. τὰ μὲν ἐίδη χαιρέτω.*

Primi gradus etiã illæ demonstrationes sunt: quibus accidens de suo subiecto per aliud accidens, vel per causam externam cõcluditur. prioris exemplum

est: Quod sphæricum est, id per incrementa illuminatur: Luna sphærica est: ergo per incrementa illuminatur. Vtraq; præmissarum & conclusio per se est secundo modo. exemplum posterioris: Cui terra diametraliter obijcitur, ne à sole illuminetur, id lumine deficit: Lunæ terra diametraliter obijcitur, ne à sole illuminetur: lumine igitur deficit. Conclusio per se est secundo modo: maior quarto: sed secundi modi conditionem adepta. hæc perspicua sunt: de minore quæritur. Existimant quidam: illam quoque per se esse secundo modo: eò quòd Lunæ terra obijci poßit: Sed rectè hoc à doctißimo Zabarella confutatum est. aliud enim est potestatis, aliud ipsius actus causam esse. Si quæras, cur corpora naturalia interire poßint, primam materiam rectè respondeo: sin de actu quæratur, cur hoc vel illud iam interierit, non amplius prima materia, sed causa propinquior, puta, pestis, iugulator, &c. adferenda est. Sic Luna obscurari, eiq; terra diametraliter obijci potest. cur verò iam actu obscuretur, eiq; terra actu obijciatur, non videtur amplius Luna esse in causa: Sed aliud quippiam, Concludit Zabarella, & rectè: minorem nullo modo per se esse: quia affectio ista subiecto necessaria est: non subiecti sed causæ respectu: nec subiecto inest: nisi posita causa. Dantur etiam in Scripturis, maximè per externam causam, demonstrationes. Talis ferè est illa Regis illius in Euangelio. Quibus regnum Cælorum præparatum est, illi illud poßidebunt: Stan-

de propo- sit. neceſ. lib. 2. c. 17.

Matth. 25.

tibus ad dextram præparatū est: hi igitur illud possidebunt. Minor & conclusio ad secundum: maior ad quartum modum pertinet. Illâ verò accidens perpetuò inhærens per causam partim externam, partim
Rom. 5. internam concluditur: iustificati pacem habēt apud Deum: Omnes verè credentes iustificati sunt: pacem igitur habent.

1. poster. cap. 10. Demonstrationis quòd hæc ab Aristotele exempla proferuntur. Quod non scintillat, id propè est: Planetæ non scintillant: propè igitur sunt. Planetæ nō scintillant: quia propè sunt: non autem propè sunt: quia non scintillant. Demonstratio igitur est ex effectu. Minor & conclusio ad secundum: maior ad primum modum pertinet: in qua prædicatum subiecti causa est. Item, Quod per incrementa illuminatur, id Sphæricum est: Luna per incrementa illuminatur: Sphærica igitur est. Sphærica figura talis illuminationis, quæ paulatim fit, causa est. Si enim plana Luna esset: simul tota à Sole illuminaretur. Maior ad primum: minor & conclusio ad secundum modum pertinent: ideoq́ue καθόλου omnia sunt & principia ἄμεσα. Talis illa est: Quod generatur id materiatum est: Corpus naturale generatur: g. materiatum est. Hîc minor tantum in secundo modo est: maior verò & conclusio in primò. propterea supra diximus: Conclusionem modò ad secundum: modò ad primum modum esse referendam.

Demonstrationis à causa remota hoc ab Aristotele

tele exemplum proponitur: Omne respirans animal est: Nullus paries animal est. Nullus igitur paries respirat. Pulmones proxima respirationis causa sunt: animal remotior. Hic debilis necessitas est: nulla enim propositio per se: nisi sola maior. Hanc demonstrationem ait Aristoteles, in secunda figura formari: ad quam propriè pertinet: potest tamen in prima quoque construi: si maior per contrapositionem conuertatur. tunc enim minor non negabit, sed affirmabit: terminis scilicet infinitis constans: qua de re in libro de Syllogismo. Formari etiam in media figura in Camestres Syllogismus potest: cùm ex prima & proxima causa effectum alicui nō inesse demonstramus. v. g. Quicquid sua substantia vbique est, id immensæ & infinitæ substantiæ est: N. Creatura immensæ substantiæ est: N. igitur sua substantia vbique. Hîc maior per se est primo modo & καθόλȣ. negantes verò propositiones, etiam immediatas esse posse, autor est Aristoteles. Nō dissimile illud est: Qui manducat carnem Christi, is Christum in se manentem habet: Infideles Christum in se manentē non habent: Non igitur manducant carnem Christi. Sed hæc τȣ͂ ὅτι demonstratio est.

1. poster. cap. 10.
1. poster. cap. 11.

DE REGRESSV.
CAP. VIII.

Regressus illa demonstrandi ratio dicitur: qua prius causam ignotam ex effectu no-

tiore colligimus: postea verò regredientes, ex eâdem causa, eundem effectum demonstramus.

Capite superiori regressus aliquoties facta mentio est: idcirco de eo aliquid dicendum est. Omnis demonstratio, omnisq; cognoscendi ratio à notioribus progreditur. Fit autem crebrius: vt, causa incognita, scientiam propter quid habere non possimus: nisi prius ex effectu notiore causam venemur: quod sæpissimè in Physicis facere coactus est Aristoteles.

Regressus itaq; duas simul demonstrationes complectitur; siue in duabus simul demonstrationibus, non in vna tantùm consistit: quarum prior demonstratio signi est: posterior: causæ. Regressus sanè propriè fit in posteriori demonstratione: quando à causa ad effectum regredimur: sed regredi non possemus: nisi priori modo processissemus. Vtriusque igitur demonstrationis respectu regressus dicitur.

Fit autem regressus hoc modo: Quæ minor erat prioris demonstrationis, ea conclusio fit in demonstratione, causæ: & quæ ante conclusio erat, ea postea minor fit: maiore suo loco permanente, sed conuersa: & fit hoc, non simul prior illa signi demonstratio constructa est: sed media quadam consideratione intercedente: qua exactè

exactè cognoscimus, hanc illius effectus causam esse.

Duo his verbis continentur: vnum: qua ratione immutandæ propositiones sint: vt ex demonstratione signi demonstratio causæ efficiatur: alterū: quando id fieri debeat. Prius in scripto explicatur: & vel vno exemplo perspicuum sit. Quod non scintillat, id propè est: Planetæ non scintillant: Planetæ igitur propè sunt. Contrà per egressum: Quod propè est, id non scintillat: Planetæ propè sunt: g. non scintillāt. Minor prioris, iam est conclusio: & conclusio illius, iam minor: maiore tantùm simpliciter conuersa. causa enim proxima, cum effectu suo adæquato simpliciter conuertitur.

Atq; hæc causa est: cur in regressu mediam quandam interuenire considerationem necesse sit: qua exactè intelligamus: illud, quod ex effectu notiore collegimus, proximam & adæquatam illius causam esse: maioremq; simpliciter conuerti posse: quæ simpliciter non conuerteretur: si effectu latius quod illatum est, pateret: itaq; regressus locum nullum haberet. Prior igitur demonstratio aliud nihil dat: quàm id, quod concluditur, cum effectu necessariò & essentialiter cohærere: quòd verò æquata causa sit: hoc primum menti relinquitur iudicandum: quæ dijudicatio maxima ex parte consistit in collatione illius cum effectu, ex quo conclusum est: & in causæ illius non-

dum cognitæ, natura & conditionibus cognoscendis.

Ex quo liquet: ad regressum hæc tria requiri: demonstrationem signi: iudicium illud siue examen medium: demonstrationem causæ.

Differt regressus à Circulo, triplici ratione: forma: materia: fine: Forma: quia in circulo sicut Conclusio ex propositionibus: ita propositiones ambæ, alia post aliam ex conclusione & ex se inuicem demonstrantur: in regressu verò minor tantum propositio demonstratur: materia: quia idem semper medium est: in regressu verò medium diuersum est: fine: quia circuli eadem est scientia: in regressu verò prior cognitio τοῦ ὅτι est: sola posterior τοῦ διότι.

Quid circulus sit, libro præcedente dictũ est. Forma à nostro circulo, quem regressum vocamus, differt: quia ille prorsus in orbem redit: noster minorem tantum propositionem probat: vt ex supra posito exemplo liquet: materia, (est autẽ materia demonstrationis terminus medius: vt docet Philosophus: ex quo vtraq; propositio conficitur) quia in circulo medium semper causa est: cùm totus circulus antiquorum opinione, scientia τοῦ διότι sit: in regressu verò prioris demonstrationis medium effectus est: posterioris tantùm causa: fine deniq;: quod discrimen ex secundo consequitur: quia totus circulus scientiam 2. poster. cap. 11.

pro-

propter quid parit: regressus non: cuius prior demonstratio solùm quòd dat.

Ex quibus vtrunq; apparet: & circulum, qualem antiqui statuebant, qui sicut omnium rerũ demonstrationem, sic omnem demonstrationem circulum esse putabant, merum figmẽtum & prorsus ἀδύνατον esse: quippe qui statuit: idem sui ipsius respectu causam & effectum, prius & posterius, notius & ignotius esse: idemq; prorsus per se ipsum demonstrari: quam ob causam rectè ab Aristotele est profligatus: & regressum δυνατὸν ac vtilem: qui idcirco ab eodem Aristotele ex professo admissus est, & declaratus: multisq; in locis vsurpatus: vt cum ex ortu materiam primam inuestigauit: quoq; se crebrius in Physiologia vsurum, statim ab initio Physicorum monuit. Vtilitas igitur regressus manifesta est: & à nobis supra aliquoties indicata. Qui plura de circulo, in quibus & quo modo locum habeat, cognoscere volet, is Aristotelem consulat & Auerroem, locis in margine notatis.

2. prior. ca. 5. & 1. post. cap. 3. 1 post. cap. 3. & 10. 1. phys. c. 7. in proœm. lib. 2. prior c. 5. 1. post. ca. 3. 2. post. c. 13. Auer. 2 prior. ca. 5. 1. poster. cont 21. 23. 24. 25. 26. 27. & 97. 2. post. cõ. 66. & 67.

DE QVAESITIS.

CAP. IX.

Quæ quæruntur tot numero sunt, quot sunt quæ sciuntur. Quærimus autem quatuor: quòd: propter quid: an sit: quid sit.

lib. 2. post. cont. 1. *Duo his verbis continentur: vnum, quæ sciuntur & quæruntur, totidem esse: alterum: quæ quærun-tur quatuor esse: τὸ ὅτι: τὸ διότι: εἰ ἔστι: τί ἐστι: vt loquitur Aristoteles. Instituit ibi Aristoteles de definitione agere: & quidem docere: medium demonstrationis vtrunque simul esse: & medium: & definitionem: ideoque vtrique simul quæstioni, propter quid, & quid est, satisfacere: licet non eâdem ratione: illi quidem: quà medium est: huic verò: quâ maioris extremi definitio est: nosque in summa eâdem ratione & viâ ad cognitionem quid est, & propter quid, peruenire: Definitionemque demonstrationis, & quæstionem quid est reliquarum omnium finem esse: cùm vltimus demonstrationis finis sit eductio definitionis: quam ob causam postremam omnium posuit quæstionem quid est.*

Rectè autem intelligendum est, quòd dicitur, quæ quæruntur & sciuntur totidem esse. non enim hæc quatuor tantùm sciuntur: cùm multa sciantur quæ à nobis quæsita nunquam fuere: qualia sunt principia naturâ nota: nec omnia sciantur, quæ quærun-tur. Hæc igitur verba Aristoteles non in genere de omni eo, quod scitur, protulit: sed de vsitata in Scientijs contemplantibus inquirendi & cognoscendi ratione: vt ex scopo illius manifestum est: qua aliquid naturâ ignotum, vt Auerroes explicat, quærimus & 2. poster. com. 1. *per medium cognoscimus: quam inquirendi rationem in his quatuor quæsitis consistere ostendit. Quemadmodum*

admodum verò quæsita siue res, quæ quærũtur, quadruplicis generis sunt: ita quoq; quæstiones.

Sunt autem hæ quatuor quæstiones quibus hæc quatuor rerum genera inquirimus, duplicis generis. duæ enim illæ, quòd & propter quid, coniunctæ sunt: reliquæ duæ simplices.

Duæ primæ quæstiones, quòd & propter quid, coniunctæ sunt: quia de integris propositionibus quærũt: reliquæ duæ, an sit & quid sit, simplices: quia de simplicibus terminis, seu de subiecto & prædicato seorsum, quærũt. Prima quæstio quòd siue vtrum, vtrum prædicatum subiecto insit, nec ne quærit: v. g. vtrum Luna eclipsin patiatur, nec ne: altera, propter quid, causam inuestigat: cur prædicatum subiecto vel insit, vel non insit. e. c. cur patitur Luna eclipsin: tertia, an sit, τὸ εἶναι vel subiecti, vel prædicati seorsum inquirit: est ne Luna: est ne eclipsis: quarta naturam & subiecti & prædicati seorsum inuestigat. Duæ igitur priores compositæ sunt: posteriores duæ simplices.

Sed cur nõ simplices priori loco positæ? Quia quæstio quid est reliquarum omnium finis est: ad quam reliquæ omnes reuocantur: & qua allata, ceteris omnibus satisfit quæstionibus.

Notandum hîc est: quæstionem quòd sit, quæstionem propter quid præcedere: hanc verò illam nunquam præcedere: quòd aliquando vtraque simul

innotescat: quemadmodum etiam quid sit, ante quæstionem an sit, quæri non potest: cùm quærere quid
2.post.c.9. *sit, antequam an sit, scias, nihil quærere sit, teste Aristotele.*

Ceterum omnibus hisce quatuor quæstionibus vel vtrum medium aliquod sit: vel quodnam illud sit, quæritur: & duabus quidẽ illis quæstionibus, quòd siue vtrũ, & an sit, medium ne sit nec ne, rogatur: reliquæ verò duæ exactè, quodnam illud sit, percontantur.

2.post.c.2. *Omne, quatuor quæstiones medij quæstionẽ esse, Aristoteles tradit: sed nõ eadem prorsus ratione. Duæ enim illæ quæstiones, quòd & an sit, vtrum medium aliquod sit: reliquæ duæ, quod nam illud sit, quærunt. ad hæc duo omnes quatuor quæstiones reuocantur: de qua re in Commentario nostro in Posteriora plura.*

Porrò postquam prioribus illis duabus quæstionibus inquisiuimus & cognouimus medium esse: tunc quod nã illud sit quærimus: id quod reliquæ duæ præstant: v.g. propter quid Luna deficit: vel quænam est illa causa, ob quam Luna deficit?

Vnde perspicitur: duas illas quæstiones, propter quid & quid est, in idem recidere: & eum, qui quid sit, nouit, etiam nosse propter quid: v.g. quid est eclipsis? priuatio luminis in Luna propter obiectionem terræ. quare fit eclipsis, aut quare eclipsin Luna patitur?

titur? propterea quòd lumine priuetur propter obiectionem terræ. Ex quo efficitur: medium demonstrationis definitionem quandã esse: cùm demonstratione accidens proprium primo suo subiecto per causam proximam, quæ accidentis definitio est, inesse monstretur.

Hîc notandũ est: etsi reuera, ad rem ipsam quod attinet, idem sit quærere propter quid, & quid sit: quandoquidem essentia & perfecta accidẽtis quiditas in causa posita est: tamen duplex, vt ex Aristotele & Auerroe liquet, inter respõsiones ad has duas quæstiones discrimen est: quorum alterum in verbis: alterum in rebus consistit. Ad hanc, qui est tonitru, respondetur, est sonitus exstincti, ignis in nubibus: ad illam, propter quid sit tonitru, eò quòd ignis in nubibus exstinguitur. Deinde quæstio quid sit propriè formam tantùm & essentiam inquirit, non causam: quæstio verò propter quid, causæ quæstio est, & quidem externæ: quæ vt plurimum finalis est. Responderi autem ad vtramq; quæstionem causam Aristoteles vult: quia sapiens nõ quiescit, nisi allata causa. Quid igitur & propter quid concurrunt. Quemadmodum verò quæstio propter quid & quid eodem redeunt: ita quoq; duæ reliquæ an sit & vtrum insit, in accidentibus concurrunt: cum esse accidentis sit inesse:

2. poster. cap. 10. & com. 6.

DE DEFINITIONE.
CAP. X.

Definitio eſt oratio illius quod quid eſt.

Definitio hæc antiquorum fuit, & ab Ariſtotele recitatur. Verba Ariſtotelis ſunt: ὁρισμὸς λέγεται λόγος τοῦ τί ἐστι. *Genus eſt oratio: Differentia,* τοῦ τί ἐστι. τὸ τί ἐστι, *propriè eſſentia & natura rei eſt. hîc communiter pro quauis quiditate, etiam nominis, accipitur: cuius quiditas eſt ſignificatio illius. Definitio igitur oratio eſt: quæ* τὸ τί ἐστι *vel rei, vel etiã nominis exprimit: ſiue, quæ ad quæſtionem illam, qua quid quidq; ſit quæritur, reſpondetur: v. g. quid eſt homo? eſt animal ratione præditum. quid eſt tonitru: ſonitus in nubibus. Quod definitur, ſiue de quo quid ſit quæritur, definitum vulgò vocatur: oratio, quæ ad quæſtionem illam reſpondetur, definitio. ſic tonitru definitum ſeu res definita eſt: ſonitus in nubibus definitio.*

2. poſter: cap. 10.

Eſt autem definitio triplex: nominis: eſſentialis: cauſalis. Definitio nominis eſt: quæ nominis ſignificationem explicat: eſſentialis: quæ eſſentiam rei: Cauſalis: quæ cauſam proximam dicit: cur accidens ſubiecto inſit.

2. poſter. cap. 10.

Triplicem hanc definitionem Ariſtoteles ſtatuit. Prima, ab Ariſtotele definitio ὀνοματώδης, *à Schola-*

sticis, definitio quid nominis dicta, impropriè definitio vocatur: cùm tantùm sit nominis quædam interpretatio: naturam rei, quæ illo nomine significatur, non comprehendens. Tales sunt: Eclipsis est defectus luminis in Luna: tonitru est sonus in nubibus. in definitione enim accidētis ὀνομαστῶδει etiam subiectū sumi, Auerroes testatur: & inde apparet: quòd genus solùm nimis latè pateret. 2. poster. com. 42.

Essentialis est: quæ genere constat & differentia specifica, siue differentiis: ideoq́ essentiam rei exprimit: estq́ sicut prior, substantiis cum accidentibus communis: cuiusmodi sunt. homo est animal ratione præditum: tonitru est sonus in nubibus: eclipsis est defectus luminis in Luna. subiectum enim proprium in definitione accidentis differentiæ locum tenet: & in accidentibus, nominis & essentialis definitio concurrunt: quæ causa est: cur duplicem tantùm accidentis definitionem Aristoteles recensuerit. Eadem ferè est accidentis communis ratio: vt Virtus est habitus voluntatis. accidentia enim, vt Scholastici loquuntur, per additamentum definiuntur: h. e. non simpliciter, sed in sui definitone res diuersarum naturarum, puta subiecta, accipiunt: vt autor est Aristoteles. 2. poster. cap. 10. Metaph. 7. cont: 12, 13. 19.

Tertia, causalis definitio, propriorum tantum accidentium est: estq́ causalis definitio: quando in definitione accidentis proprij præter essentialem, vt ex Aristotele liquet, definitionem etiam causa proxima, cur accidens illud subiecto insit, exprimitur. perfecta 2. poster. cap. 10.

enim accidentis definitio tunc demum est: cùm causa illius exprimitur: à qua accidēs suum esse habet. Tales sunt: eclipsis est defectus luminis in Luna propter interiectionē terræ: tonitru est sonus in nubibus propter exstinctum ignem. In hac causali definitione, etsi propriè loquendo, causa neq; genus, neq; differentia est: sed tantùm causa: tamen quia princeps illius definitionis pars est: quippe quæ essentiam accidentis constituit: & qua posita, accidens ponitur, ablata aufertur: eundem in hac definitione locum tenet: quem in substātiæ definitione vltima & specifica differentia: tantùm illud discrimen est: quòd specifica differentia interna est: hæc externa. Quemadmodum igitur in substantiæ definitione vltima differentia præcipua pars est: quippe quæ totam rei naturam, vt autor est Philosophus, exprimit: quam ob causam etiam tota ab eodem definitio appellatur: ita quoq; causa in definitione accidentis, præcipua, pars est: & quodam modo tota definitio.

Metap. 7. cōt. 48.

Hinc non obscurum est. quænam principium: quæ conclusio sit demonstrationis: & quæ solo situ ab ea discrepans definitio. Principuum demonstrationis in primis est definitio substantiæ: & deinde etiam causa accidentis: quia medium: est: conclusio, definitio accidentis essentialis: in qua accidens proprium de suo subiecto demonstratur: thesi discrepans, tota accidentis definitio: quæ ex essentiali definitione & causa constat.

Dici-

Dicitur autē thesi differre à demonstratione definitio: quia alia demonstrationis: alia definitionis structura est: de qua re Commentariū nostrū consule.

Liquet ex istis: quæ demonstratio, in quam definitionem, quo modo, conuertatur. Cōuertitur illa: quæ thesi solum à definitione differt: h. e. demonstratio simplex in definitionem causalem: hoc modo: vt loco generis non ipsum accidens, sed genus accidentis: h.e. definitio nominis vna cū subiecto ponatur: & postea loco differentiæ causa subijciatur. hæc enim vera est accidentis definitio: in qua præter cetera etiam causa exprimitur: v.g. Inter quod & Solem terra interponitur, id lumine deficit: inter Lunam & Solē terra interponitur: Luna igitur Lumine deficit. Præstat 2.poster. com.47.
enim, vt ex præceptore Auerroes docuit, genus siue orationem, qua accidēs exponitur, quā ante omnem demonstrationem cognitā esse oportet, ponere: quàm ipsum accidens: & tamen nihilosecius accidens, vt hîc eclipsis, demonstratur, ratio est: quia definitio eclipsis ὀνοματώδης præcognita est: eaq́; non aliter sumitur: quàm si ipsa affectio seu eclipsis sumeretur. Hæc igitur demonstratio solo situ à definitione differt. Reducitur ad definitionem actu, hoc modo: Eclipsis est defectus luminis in Luna, propter interpositionem terræ inter Solem & Lunam. Idem re ipsa in demonstratione continetur: sed alio modo: & alijs verbis. Et sic de reliquis.

Causa istius cōuersionis est: quia vltimus & præci-

puus demonstrationis finis, est eductio definitionis: definitionis, inquam ignotæ: quæ methodo eget: quæ nota nō eget. Duplex enim demonstrationis finis est; propinquior: & remotior. ille est scientia propter quid: quem demonstratio, quâ demonstratio est, assequitur: siue quâ medium demonstrationis, pro causa sumitur: hic, scientia quid est; quem demonstratio habet, quâ definitio est, siue actu, siue potestate, h. e. siue in definitionem iam conuersa, siue conuerti potis. Adq; hic, sicut vltimus, ita præstantißimus est demonstrationis finis: cùm scientiam propter quid idcirco quæramus: vt scientiam quid est, habere poßimus: & omnino de demonstratione laboremus: vt definitionem habeamus; in qua tota rei natura perfectaq; illius cognitio posita est.

Vel hinc igitur, vt taceam, quòd non ad tertiam, sed ad primam tantùm mentis operationem definitio pertineat, liquet: definitionem reuera instrumentum Logicum non esse: quippe vltimum totius Logicæ finem: ad quem omnia Logica instrumenta, illorumq; principia ordinata sunt. Categoriæ ob prædicabilia in Logica traduntur: ex quibus fabricantur: prædicabilia propter subiectum & prædicatum: ex quibus conficiuntur: subiectum & prædicatum propter enunciationem: ex quibus constituuntur: enunciationes, earum oppositiones & Conuersiones propter syllogismum, ex quibus construitur, & perficitur: qui tanquam genus omnia instrumenta Logica

sub

ſub ſe complectitur : ſyllogiſmus propter demonſtrationem; à quo formam ſuam mutuatur: demõſtratio propter definitionem : quæ ex illa tandem educitur: in qua perfecta rerum ſcientia conſiſtit.

Conditiones ſiue munera bonæ definitionis tria ſunt: primum : exprimit & exprimere debet eſſentiam rei quæ definitur: alterum: ſoluit omnia quæ circa eam incidunt, dubia: poſtremum: cauſam aperit accidentium omnium, quæ in re quæ definitur, inſunt.

Quatuor Ariſtoteles recenſet: ex quibus tria iſta quæ nos enumerauimus, ad omnem pertinent definitionem: quæ κϱιτήϱια ſiue munera bonæ definitionis appellari poſſunt. Primum κϱιτήϱιον eſt: vt bona & perfecta definitio ſit: neceſſe eſt ; vt totam rei eſſentiam exprimat. definitio igitur neq; latior eſſe debet, neq; anguſtior eo quod definitur : quia ſi alterutrum fuerit: eſſentiam non declarabit: ſed vel pauciora, vel plura quàm oporteat dicet : itaq; inter definitionem & rẽ quæ definitur reciprocatio non erit. Phyſ.4. cont.31.

Alterum, quod bona definitio præſtat, eſt: quod ex ea omnia, quæ opponuntur, facilimè diſſoluuntur.

Poſtremum , cauſam continet omnium accidentium, quæ in re inſunt. quocirca alibi ſcriptum Philoſophus reliquit: illam definitionem, cuius beneficio accidentia non cognoſcimus, vel ſaltem de illis conij- 1. de anima. cõt.11.

cere nõ possumus, vanam esse: & æquiuocè solùm definitionem appellari: vbi simul docet: quemadmodum bona definitio ad cognitionem accidẽtium, quæ in re insunt, plurimum confert: ita vice versa accidentia quoq; ad ipsum quid est cognoscendũ, definitionemq; constituendam, plurimum prodesse. Cetera, de modo venandi partes definitionis, ex Aristotele petantur.

2. poster. cap. 14. Metaph. 7. con 40. & deinceps.

DE MEDIO DEMONSTRATIONIS.

CAP XI.

Medium in demonstratione semper maioris extremi causa est: semperq; vt maioris, non vt minoris, causa sumitur.

Ne cum alijs erremus, primò omnium firmiter constituendum est: vtrius extremi causa sit terminus medius. Hoc enim constituto: simul apparebit: vtrius definitio sit: & falsitas illarum sententiarum omnium deprehendetur: quæ medium terminum aut solius subiecti: aut solius affectionis simpliciter: vel vtriusque simul semper definitionem esse existimarunt.

2. post. c. 8. 9 & 17. 1. post. cõ. 11. & 56. 2. post. cõ. 95 & 97. & quæst. 1.

Medium igitur maioris causam semper esse, ex Aristotele liquet: qui semper maioris, nunquam minoris extremi illud rationem siue λόγον esse affirmat: cui Auerroes, ijsdem in locis, & alibi astipulatur:

tur:

tur: & manifesta res est. Scientia, quæ per demonstrationem acquiritur, rei ignotæ, cuius cognitionem inquirimus, scientia est: inquirimus autē & demonstratione cognoscere cupimus, non subiectum, quippe quod omnibus modis quo ad quid est, & quò ad quòd est, notum supponitur: sed affectionem: per quam scilicet causam subiecto insit. Ex quo efficitur: medium nō subiecti, sed affectionis, siue maioris extremi causam esse. Præterea manifestum est ex illis demonstrationibus, in quibus medium accidens quoddam est: illud nequaquam minoris, sed tantum maioris extremi causam esse. Si minoris causa statuatur: sequetur: medium illud non esse primam causam: quippe quod aliam habet causam priorem, vel accidens, vel formam subiecti. e. c. accretio luminis in Luna per accidens istud monstratur, quia sphærica est. hoc accidens per formam Lunæ rursum demonstratur. Minor igitur prioris demonstrationis, medio non vacat. Relinquitur ergo: medium maioris causam esse. Sic enim prima causa est: licet minor per medium probetur: Quod sphæricum est id paulatim augescit: Luna sphærica est. g Maior medio vacat: quia sphærica figura accretionis prima causa est: minor alio medio probatur. Quòd si maximè aliquando contingat: vt medium simul vtriusque extremi causa sit: tamen tunc etiam non vt minoris, sed vt maioris causa sumitur: cùm teste Auerroe, ad essentiam demonstrationis non pertineat: vt medium mi- 2. poster. com. 11.

noris extremi causa sit: quando tota demonstratio ad maioris extremi probationem dirigitur.

Sed aduersum hoc, quod dicimus, medium terminum semper maioris, rarenter verò minoris extremi causam esse: & quidem tunc etiam, cum vtriusque simul causa est, ex accidente, hoc est, præter scopum demonstrationis illius causam esse, obijcere quis possit: propositiones igitur non esse, vt vocant, immediatas: cùm minor propositio semper medium habeat: quoties medium maioris tantum extremi causa est: ad quod respondemus: non esse, vt ex omnibus Aristotelicis exemplis, & plurimis tũ Aristotelis tum Auerrois locis colligitur, necessariam potißimæ demonstrationis conditionẽ: vt medio minor vacet: sed sufficere: si maior medio vacet: qua immediata, ambæ immediatæ censentur. Immediata enim minor tunc solùm est: cùm affectio per subiecti formam demonstratur: id quod rarò contingit: cùm verò per aliud accidens: quod teste Auerroe crebrius fieri solet: minor perpetuo mediata est: quippe cuius prædicatum accidẽs est: quod sicut per causam subiecto illi de quo in minori enunciatur, inest: sic per causam ei inesse demonstrari potest. Nihilo secius tamen eiusmodi demonstrationes vel Auerroe, loco citato, teste, celeberrimæ & potißimæ sunt: ideoq; omnes ab Aristotele aßignatas demonstrationis potißimæ cõditiones habent. Quod si in omnibus accidentibus, quæ ordine quodã, & per vices à forma subiecti fluunt, demon-

1. post. 10.

2. poster. com. 56.

1. poster. cap. 2.

strandis,

strandis, causa minoris extremi. h. e. subiecti formæ assumatur, non erit proxima & adæquata affectionis causa: ideoq́ demonstrationem non propter quid, sed quod solùm constituet. Hoc interim fatemur: demonstrationem illam, in qua vtraque propositio medio vacans est, aliquo modo nobiliorem esse: sed perfectiorem Auerroes negat: cum vtraq; perfectam scientiam gignat: & in definitionē conuerti potis sit: ideóque omnibus quatuor quæstionibus plenè satisfaciat. 1. poster. com. 11.

Sed & illud hîc obseruandum est: licet in eiusmodi demonstrationibus minor propositio actu ἄμεσος *non sit: eam tamen virtute & potestate* ἄμεσον *esse: & vt talem in demonstratione sumi: quippe quæ ante ex principijs primis & medio vacantibus cognita est: & in demonstratione simul quasi cum illo principio composita, quo ferè sensu compositam Auerroes talem demonstrationem vocat, ideoq́ medio vacans ponitur: quod pleno ore Aristoteles affirmauit cùm scripsit:* demonstrationem esse syllogismum ex veris & primis: aut ex eiusmodi: quæ per quædam prima & vera principij rationem sunt consecuta. 1. poster. com. 173. lib. 1. Top. cap. 1.

Immediatæ igitur seu medio vacantes propositiones duobus modis dicuntur: simpliciter: cùm scilicet vtraque actu est immediata: & secundum quid: idq́ rursum bifariam: vel respectu maioris: quam semper ἄμεσον *esse oportet: (demonstratio enim tota propter accidens est: cuius primam adferre causam de-*

bet) vel reſpectu maioris & minoris ſimul: quatenus minor vnà cum ſuo principio & in illo conſideratur, & ſumitur. Sic enim cõſiderata minor, reuera ἄμεσος eſt: quemadmodum nos (ſi paruis magna componere licet) in Chriſto conſiderati reuera iuſti ſumus. Poſteriori duplici modo propoſitiones demõſtrationum potiſſimarũ ſemper medio vacantes & ἄμεσοι ſunt: priori non ſemper: cùm paucæ ſint demonſtrationes: in quibus medium vtriuſq; ſimul extremi cauſa eſt. Ariſtoteles autem, cum propoſitiones ἀμέσους ad demõſtrationẽ requiſiuit, ita de primus principijs & priori modo immediatis propoſitionibus locutus eſt: vt illas non excluſerit: quæ poſteriori modo primæ ſunt & medio vacantes.

1. poſter. cap. 2.

Hæc porrò cauſa ſemper eiuſdem extremi, cuius cauſa eſt, ſimul quoq; definitio eſt: cùm cauſa affectionis in definitione illius principem locum teneat.

Duo his verbis complectimur: alterum: medium terminum, ſicut ſemper maioris extremi cauſa eſt: ita quoq; ſemper eiuſdem eſſe definitionem: alterum: iſtius rei cauſam eſſe: quòd in definitione accidentis principem cauſa locum teneat. Vt hoc ſolidè intelligatur: reuocandum in memoriã eſt, quod capite ſuperiori de accidentis definitione diximus. Vt perfecta accidentis definitio ſit, neceſſe eſt: vt proxima illius cauſa in ea exprimatur: quæ princeps illius definitio-

tiæ pars est : non secus atq; in substantiarum definitionibus vltima differentia.

Tria igitur sunt in definitione accidentis : genus: quod loco formæ: subiectum : quod loco materiæ est: & tertio loco causa. inter hæc tria, primus locus materiæ non debetur: non etiam formæ : cùm communis sit: non propria. relinquitur ergo: primum locũ causæ deberi: quæ posita accidens ponit, ablata aufert: itaq; propriæ formæ locũ supplet: à qua causa cetera omnia pendent. Sic priuatio luminis ab interiectione terræ: non hæc ab illa pendet.

Hinc perspicuum est : quo pacto medius terminus semper definitio sit. Medius terminus causa est maioris extremi: quod accidens est. Accidens non definitur sine causæ mentione : quæ adeo ad definitionem accidentis necessaria est : quippe essentiam illius constituens: vt totius definitionis nomine honoretur. definitio igitur medius terminus est : quia causa est : & quidem eiusdem extremi, maioris scilicet, definitio, cuius & causa : cùm causa accidentis pro tota definitione merito reputetur.

Atq; hanc Aristotelis mentem esse, ex illis locis liquet: in quibus mediũ non rationem simpliciter, siue causam, sed λόγον primi extremi. h. e. definitionem appellauit. ita, enim vocem λόγον ibi accipi ex verbis & scopo Aristotelis manifestũ est. Quod etiã vt significaret: statim ab initio secundi Posteriorum docuit: idem esse, quærere propter quid est, & quid est: signi- 2. poster. ca. 9. & 17. cap. 2.

ficans: causam accidentis eiusdem etiam definitionem esse: ideóque medium demonstrationis semper maioris extremi definitionem esse: id quod sanè perspicuè in toto illo secundo libro explicatur. Sic paßim Auerroes, causam, quæ demonstrationis medium est, & definitionem pro eodem vsurpat.

2. poster. com. 47. 95. 97. & quæst. 3.

Hinc facilè ad illud respondetur: medius terminus nõ est definitio affectionis essentialis: (hæc enim aliud nihil quàm ipsum accidens ideóq; conclusio demonstrationis est) non ὀνοματώδης *(hæc enim ab essentiali non differt:) nõ causalis: hæc enim tota demonstratio est: thesi solùm à definitione discrepans: non igitur definitio est. est enim definitionis præcipua pars, causæ: quæ idcirco pro tota definitione habetur.*

Ex quo alterum diluitur: definitio & quod definitur idem sunt: Si igitur quod definitur per definitionem demonstratur, principium petitur: cùm idem per se ipsum demonstretur. Responsio est: causam, etsi eo, quo dictum est modo, pro definitione habeatur: non idem tamen esse cum re quæ definitur: ac licet definitio affectionis sit: in demonstratione tamen propriè vt illius causam sumi. nam quod definitio vocatur, id fit, non ratione demonstrationis: sed ratione definitionis: siue, quod eôdem redit, non ratione proximi finis: qui sciẽtia propter quid est: (huius enim respectu causa est) sed ratione vltimi: qui est educere definitionem. Si essentialis accidentis definitio medium statueretur: argumentum concluderet.

deret. Patet igitur: quòd medius terminus definitio sit: & quam ob causam, siue quo modo.

Ceterum cùm quatuor sint causarum genera: forma: materia: efficiens: finis: vnum quodq; horum medium demonstrationis esse poterit.

Ostendit primùm Aristoteles, in toto primo libro, demonstratiuam scientiam per primã & proximam maioris extremi causam cõparari: deinde in secundo libro vsq; ad caput decimum docuit: hãc causam semper eiusdem extremi definitionem esse: qua simul & quæstioni propter quid, & quid est, satisfiat: ideoq; demonstrationem potestate definitionem esse: tertio demum loco ostendit: ex quo genere causæ sit illa maioris extremi siue causa siue definitio. Eundem ordinem nos sequimur. doctrinæ enim ordo postulat: vt à communioribus idoq; notioribus ad minus communia progrediamur.

Docemus igitur ex Aristotele: vnamquanq; illarum quatuor causarum accommodatam esse: vt demonstrationis medium fiat: non quòd simul omnes, aut plures vnius & eiusdẽ effectus causæ esse poßint: cùm vnius effectus vnica tantum sit adæquata, teste, secundum Aristotelem, Auerroe, causa (si enim duæ ponantur: neutra cum effectu reciprocabitur: ideoq; neutra illius causa erit: quippe si hæc effectum ponit: altera non ponit: sin altera ponit: hæc nõ ponit: ideoq; 2.por. 17. com.95. & quæst.3.

neutra ponit:) sed quòd modò efficiens, modò finis, modò materia, modò forma medium esse poßit: licet non eâdem prorsus ratione. Duæ enim externæ causæ, propriè acceptæ, medium fiunt: duæ verò internæ, non nisi impropriè. e.c. Inter quod & Solem terra interponitur, id lumine deficit: Inter Lunã & Solẽ terra interponitur: lumine igitur Luna deficit. Hîc terræ interiectio eclipseos causa efficiẽs est, propriè accepta. Qui vult esse sanus, is non vult cibum fluitare ad os ventriculi: Ambulans post cœnam vult esse sanus: Non vult igitur fluitare cibum. Sanitas causa finalis est propriè sumta, cur de ambulans post cœnam cibum ad os ventriculi fluitare nolit: sed in fundo ventriculi residere.

Duæ igitur externæ causæ, propriè accepta, medium fiunt: duæ internæ non item. Medium enim, vt iam crebrius diximus, maioris extremi, quod accidens quoddam est, causa est: accidens autem materiam aliam nullam habet, præter subiectum, cui inhæret (cùm vera materia solarũ substantiarum sit:) quod subiectum materia accidentis esse dicitur: non quòd ex illo accidens constet: sed quòd sine illo esse nõ poßit. Hæc materia cùm in demonstratione minorũ extremi locum teneat, mediũ esse nullo modo potest. Non dißimilis formæ ratio est. forma enim accidentis genus illius est: quod in demonstratione maius extremum est: & de materia siue subiecto in conclusione prædicatur. Non igitur propriè accepta de-

mon-

monstrationis medium est.

Per materiam igitur, siue materiæ necessitatem aliud nihil significare Aristoteles voluit quàm ipsam subiecti, quæ accidentis materia dicitur, naturam: siue internam illam subiecti causam: à qua accidens, quod demonstratur, emanat: & per quam demonstrandum est: siue illa natura materiæ sit, & subiecti forma: siue aliud illius subiecti accidens internum & essentiale. Materialem autem causam siue materiæ necessitatem hanc internam causam vocauit: quia cum subiectum materia accidentis sit: illud autem à quo accidens producitur, illi subiecto internum & essentiale sit: rectè ex ipsa materia siue subiecto productum dicitur. subiectum enim illius accidentis causa est: siue à forma subiecti: siue ab alio illius subiecti interno & essentiali accidente producatur. Quandocunque igitur accidens aliquod non per externam causam, sed per internam, quæ in eodem subiecto inest, demõstratur: per materialem causam, siue materiæ necessitatem demonstrari dicendnm est: quia medium tale assumitur: quod materiæ hoc est subiecto accidentis, essentialis est: quo posito, accidens illud necessario ponitur. Talis ista est: Quod pellucidum est, id lumen transmittit: Vitrum pellucidum est: g. lumen transmittit. τὸ διαφανὲς interna transmissionis causa est: in materia siue subiecto transmissionis, hoc est in vitro hærens: quam vitri naturam luminis transmissio ne-

cessario comitatur. Talis illa est: qua luminis accretio de Luna per figuram Sphæricam demonstratur. Talis denique qua risibilitas homini per rationalitatem inesse monstratur. Materia igitur impropriè sumitur: cùm demonstrationis medium esse dicitur.

Forma verò commune hic omnium causarum receptaculum est. dicitur causa formalis terminus medius, etiam si finalis sit: eâdem ratione: qua etiam definitio dicitur. causa enim in definitione accidentis primum locum tenet: quæ licet extra essentiam accidentis sit: essentialis tamen ideoq; etiam forma accidentis idcirco dici potest: quia essentiam illius constituit.

Ex his omnibus perspicuum est: ad tria causarum genera reuocari posse causas illas: quæ medium in demonstrationibus fiunt: ad finalem: ad efficientem externam: & ad internam illam: quæ per fluxionem efficere, & effectum producere dicitur: quam Aristoteles necessitatē appellauit. Forma has causas omnes sub se complectitur. Quæcunq; igitur harum trium causarum medium demonstrationis sit, semper, teste Aristotele, affectionis forma est: quia semper illius definitio est: idq; propterea: quia semper eiusdem causa est: quæ definitionis præcipua pars est. Hæc est Aristotelica, & ex ipsius rei natura depromta, de medio demonstrationis sententia.

2. Poster. cont. 53.

2. Poster. cap XI. seu cōt. 49. 51.

DE

DE METHODIS ET ORDI-nibus CAP. XII.& vltimum.

Methodus generatim accepta, habitus eſt intellectus inſtrumentalis: ad rerum cognitionem aſſequendam neceſſarius.

Maxima Logices pars in inſtrumentis, quibus ad rerum cognitionem aſſequendam vtimur, efficiendis, conſiſtit. Sunt autem inſtrumenta Logica, non quæcunque à Logico efficiuntur: ſed tantùm quæ ad tertiam operationem, ad ratiocinationem pertinent: quæ omnia ſub ſyllogiſmo, tanquam genere, comprehenduntur: vt vnum genere ſit inſtrumētum Logicū, Syllogiſticus proceſſus. Hic ſyllogiſticus proceſſus & Logicum inſtrumentum methodus dicitur: quia ab vno ad aliud, à noto ad ignotum tranſit. Ac quia præter Syllogiſticum proceſſum, in tradendis diſciplinis, etiam ordine quodam opus eſt: idcirco hic quoq; methodi nomine nominatur: quippe qui etiam ab vno ad aliud nos tranſire facit: quæ vis eſt græcæ vocis methodi. Quare ſi vocis notationem ſpectemus. & ordini & ſyllogiſmo methodi nomen competit: quamuis in primis ſyllogiſmo: qui verè & propriè ab vno ad aliud tranſit: dum ignotū ex noto concludit.

Ceterum definitio à nobis allata, generalis methodi definitio eſt: & tribus partibus conſtat: genere, differentia & cauſa: qualem perfectam accidentis definitionem eſſe capite præcedente ex Ariſtotele do-

cuimus. Genus statuitur habitus: Loquimur enim hic de methodo à rebus seiuncta: quâ habitus animi est: Differentia: quòd habitus intellectus sit & instrumentalis. Quo verò modo intelligendum sit, quòd methodus habitus intellectus dicitur, satis arbitror ex illis esse manifestum: quæ de natura Logicæ docuimus. Modus enim ille docendi, siue idea illa Logicæ, quæ ex perfecta Logicorum præceptorum cognitione, animo nostro impressa est, qua in tradendis Scientijs & artibus vtimur, qua nouimus, quo quidq; loco ponendum, & quo pacto probandum sit, methodus dicitur. Ex quo vtrunq; perspicitur: & cur habitus organicus dicatur: & quòd finis & prima illius causa sit: vt illius beneficio rerũ scientiam assequamur.

Distinguitur Methodus ista, in ordinem & proprie dictam methodum. ordo est habitus intellectus instrumentalis: quo res in disciplinis pertractãdas. ante vel post collocamus: idq; ob meliorem & faciliorem illarum disciplinarũ cognitionem. Methodus verò speciatim accepta, est habitus intellectus instrumentalis: quo illa probamus: quæ per ordinẽ ante vel post disposita sunt idq; vt perfectam rerum cognitionem assequamur.

Methodus generatim accepta, bifariam distinguitur: primum: quemadmodum etiam Logica: in metho-

methodum rebus immixtam: & in methodum à rebus seiunctam. Methodus rebus immixta siue in vsu posita aliud nihil est, quàm ipsæ res: quibus immixta est. Sic methodus, Physiologiæ immixta, aliud nihil est, quàm Physiologia: methodo Logica tractata: & Physiologia aliud nihil quàm methodus Logica: Physicis rebus immixta. Sic omnes disciplinæ methodo tractantur: & absq; methodo non consistunt: quæ causa est: cur ipsæ quoq; Scientiæ & artes, methodi crebrius appellentur. Methodus verò à rebus seiuncta dicitur: cùm vt habitus mentis tantũ, prout in mente alicuius est, non in vsu posita, consideratur. phys. 1.c.1. Eth. Nico. lib.1.c.1.

Diuiditur deinde methodus in ordinem & propriè dictam methodum: quorum vtrunq; etiam bifariam, in vsu, & extra vsum, consideratur. Ex quibus liquet: methodum tribus modis accipi: generaliter: pro quouis transitu mentis: qui doctrinæ causa fit: siue concludendi vim habeat: vt propriè dicta methodus: siue nõ habeat: vt ordo: deinde pro quauis arte & Scientia: quæ methodo, hoc est, ordine & propriè vocata methodo, est explicata: tertio pro propriè accepta methodo: siue pro illo mentis transitu: qui cum inferendi, vt vocant, necessitate est coniunctus.

Ceterum vtraque definitio, ordinis & methodi, tribus partibus constat: genere differentia: causa. Genus vtrique commune, est habitus intellectus instrumentalis: (hæc enim omnia generis vice funguntur) & suprà à nobis explicatum: differentia

ordinem à methodo, & hanc ab illo discernit. Ordo enim dicitur: quâ res tractandas ante vel post, hoc vel illo loco, hanc scilicet priori, illam posteriori, proponimus & explicandam sumimus: Methodus verò: quâ res hoc modo dispositas deinde probamus: intellige, qua vnam ex alia demonstramus, & ex priori loco posita, posteriorem concludimus. Ordo igitur proponit & disponit: Methodus proposita demonstrat.

Hinc vtrunque apparet: & in quo conueniant: & in quo differant ordo & Methodus. Coueniunt in eo: quòd vtrunque transitus quidam mentis est: ab vno ad aliud: & quidem cognitionis gratia: differunt: quòd methodus transitus est: vim monstrandi habens: ordo verò transitus: illa destitutus. propterea dicere solent: ordinis proprium esse disponere: methodi verò, notum facere. Ordo enim reuera mihi probat: cùm ordinare non sit probare. præterea ordo totam disciplinam respicit: methodus verò illius disciplinæ partes. Rectè igitur, hæc duo distinguuntur: quorum alterum præcedit: alterum consequitur: & rectè methodus, siue transitus duplex statuitur: cùm aliud sit, hanc rem priori loco proponere: aliud ex cognitione huius in cognitionem illius deuenire.

Finis ordinis in his duobus consistit: vt quàm optime, & quàm facilimè, disciplina aliqua discatur. Ordo enim perspicuitatem adfert: & idcirco ordo in disciplinis adhibetur: vt omnia planiora sint: quo facilius & quàm fieri potest, optime, disciplina aliqua perci-

percipiatur. Atq; hic ferè perpetuus est ordinis finis. Methodus verò adhibetur: vt res non solum benè & facilè percipiamus: verùm etiam vt perfectam rerum scientiam assequamur: quam non assequimur: nisi res, per suas causas demonstratas, cognoscamus. Summa: vt aliquid cognoscamus, methodus est: vt facilius id cognoscamus, ordo facit.

Hinc nō obscurum est: quantum illi opinioni tribuendum sit: quæ ordinem ex natura ipsarum rerum petendum esse existimat: vt scilicet res in disciplinis pertractādas ita disponamus: pro vt se naturali quodam ordine mutuò consequuntur. Hoc enim si verum sit, ruit ordo analyticus: quo tamen artes omnes effectrices tradendas esse Philosophus monuit. Quid quod varijs in locis pleno ore docet: in disciplinis non naturæ, sed facilioris cognitionis ordinē seruandum esse: ideoq; à notioribus semper incipiendum & progrediendum: siue hic sit ordo rerum: siue non sit? Et quæ causa est: cur ab vniuersalibus semper ferè ad minus vniuersalia progressus sit Aristoteles, nobisq; progrediendum esse præceperit? Nonne quia vniuersalia notiora sunt: sine quorum cognitione particularia non cognoscuntur? Sic enim Auerroes, causam adferēs, cur Aristoteles priùs de Syllogismo, quàm de demonstratione egerit: Quoniā, inquit, vniuersale notius est particulari: & oportet præcedere in ordine doctrinæ magis notum. Cùm igitur finis ordinis facilior cognitio sit: semper à no-

Metaph. 7. cont 23. Metaph. 5. cont. 1. phys. 1. in procem. Eth. Nicō. lib. 1. c. 4.

in procem. in Poster.

tioribus incipiendum est: nisi forte contingat: vt illorum quæ explicanda disponimus, nullum quicquam ad alterius cognitionem momenti habeat: quod cum fit: ordo nobilitatis seruatur: quàm ab Aristotele in propria Logicæ parte seruatū fuisse, alicubi ex Auerroe monuimus.

Ceterum tam ordo, quàm methodus, duplex est. Ordo enim alius syntheticus cōponens: alius analyticus, resoluens est: methodus alia demonstratiua: alia resoluens. Ordo componens, est instrumentum Logicum: quo Scientias ita disponimus: vt à primis rei principiis initio facto, ad secunda & sic deinceps progrediamur: donec ad vltima perueniamus: vt rerum scientiam quàm optime & facilime aliis tradamus. Resoluens autem, instrumentum Logicum est: quo artes ita disponimus: vt à notione finis, ad cognitionem principiorū progrediamur: idq́; propterea: vt, quantum fieri potest, optime & facilime ars aliqua tradatur. Methodus demonstratiua aliud nihil est: quàm demonstratio propter quid: resoluens aliud nihil: quàm demonstratio ab effectu.

Metaph. 7. cont. 42. Metaph. 5. cont. 1. phys. 1. in prooem. Eth. Nic. lib. 1. c. 4.

In proœm. in Topic.

De Methodo primùm generatim egimus: postea eam in suas species, in ordinem & propriè dictam metho-

methodum, distinximus: tandem etiam vtriusq; horum species recensemus: atq; ita, de ordine præcipientes, ordinē naturaliter nobis insitum, qui ab vniuersalioribus & notioribus, ad particulariora & ignotiora progreditur, seruamus. Complexi autē his verbis sumus, sicut ordinis, ita methodi duas tantū species: id quod mox demonstrabimus: vbi prius vtriusq; ordinis definitionem breuiter explicauerimus. Vtriusque ordinis definitio, genere constat, differentia, & causa: quæ à fine sumta est. Ex fine enim instrumentorum natura dijudicatur. Genus statuitur instrumentum Logicum: differentia, synthetici, à primis rei principijs in Scientijs disponendis ad vltima progredi: analytici, à notione finis, in disponendis artibus, ad prima principia tendere: finis synthetici, vt sciētia: analytici vt ars tradatur. Genus igitur vtriq; ordini commune est: & suprà explicatum: tantum illud notandum est: instrumentum Logicum & habitum intellectus instrumentalem, quod supra posuimus, idem hîc valere. Commune vtriq; etiam ordini est: quòd ad cognitionem conferat: sed ad scientiam tanquam ad vltimum finem: vel ad cognitionem, quæ non sit finis vltimus, sed quæ in operationem, tanquā vltimum finem, postea dirigatur, conferre: hoc verò discrimen inter illos facit.

Triplex igitur, docendi, causa, inter hos duos ordines discrimen statui potest: vnum in modo ordinandi siue disponendi & transeundi: alterum in re ordi-

nata: tertium in fine istius dispositionis: quorum tertium ex secundo: secundum ex primo consequitur. Si à primis & remotißimis principijs exordiamur: & ad minus remota trãseamus: donec ad proxima, quibus res demonstrantur, perueniamus, ordine componente progredimur: quo ordine Physiologiam Philosophus disposuit. Hinc alterum efficitur: ordinẽ hunc Scientijs tantum Contemplantibus accommodatum esse: quæ è primis principijs exordiuntur. Quia enim res, quarum scientia quæritur, ignorantur: & perfectè cognosci absq; primorum principiorum, vt satis in prooemio suo Philosophus docuit, non possunt: necesse est: vt ab illis Scientiæ exordiantur: cùm ab vltimo quod ignotum est, & cuius scientia quæritur: exordiri nullo modo poßint. Cùm igitur duo solum ordines, vt mox demonstrabimus, dentur: vel à principijs ad finem: vel à fine ad principia: hic autem in Scientijs locum nullum habeat: consequens est: solum componentem illis tradendis esse accommodatũ. Ex quo tertium consequitur. Quia enim in Scientijs tantum locum habet ordo syntheticus: quæ sola veri contemplatione contentæ sunt: manifestum est: vltimum illius finem esse perfectam rerum cognitionem.

1. phys. (margin)

Analyticus contrario modo se habet. hic enim non à principijs ad finẽ, sed à fine ad principia, vt ex Philosopho liquet, progreditur. Cùm enim vltimus illius finis non cognitio sit, sed operatio, & opus quoddam: neceßitas postulat, vt à notione illius operis exordiamur:

Metaph. 7. cont. 23. (margin)

mur: quod alioquin tota tractatio vana esset: & incertum: de qua re ageretur. Sic de arte ædificãdi præcepturo, primò omnium de fine siue domo cogitandum est: eaq; bifariam prænoscendæ: & quid sit: & quòd fieri possit: deinde à fine ad principia, ad parietes, tecta: ab his tandem ad lapides, lateres, ligna, cæmenta, quæ prima & remotissima illius artis elementa sunt. transeundum est: in quibus ars docens desinit: & operans incipit. Hic est verus ordo analyticus. hoc est Peripateticum illud resoluere: quando finem in sua principia, à quibus ars operans deinde incipit, resoluimus. Sic Auerroes, omnium Peripateticorum Interpretum, citra controuersiam princeps, artem suam Medicam, cui titulum Colliget fecit, lib.1. ca.2. disposuit: docuitq; in omni arte practica, hoc est, cuius finis vltimus opus est, siue actio, hæc tria consideranda esse: subiectum: finem: & instrumenta siue principia: quibus ad finem illum peruenitur: id quod non solum verbis monuit: sed etiam re ipsa doctissime præstitit. In primo enim libro de subiecto Medicinæ egit, de corpore humano eiusq; partibus: in secundo & tertio de fine: qui est sanitas, & ægritudinis depulsio: in quarto de sanitatis signis: in tribus postremis, de principijs siue instrumentis: quibus finem suum Medicus assequitur, hoc est, de causis cõseruantibus & restituentibus sanitatem. Sic Aristoteles Ethica sua ordine analytico disposuit. In primo enim libro de fine egit, qui est felicitas: in capite vltimo

breuiter de subiecto: postea ad virtutes, quibus ad finē illum peruenitur, descendens.

Id tantùm hîc notandum est: finem semper in hoc ordine in considerationem venire: quòd alioquin tota tractatio vana esset: Subiectum verò non semper: quippe quod aliquando ita notum est: vt consideratione non egeat. Quod si in considerationem vtrunq;, & finis & subiectum proponendum est, aliquando finis: aliquando subiectum priori loco tractandum erit: Subiectum: si illius cognitio ad finis cognitionem conferat: finis: si huius cognitio ad subiecti conferat cognitionem: siquidem à notioribus semper est incipiendum. Sic Auerroes priori loco de corpore humano differit: quod ex illius constitutione sanitas dijudicatur: Aristoteles autem priori loco de felicitate: ex qua subiectum Ethices cognoscitur: vt taceam: quòd Medico exacta subiecti cognitione opus sit: Ethicus autem qualicunq; sit contentus. Hoc ordine resoluente Aristoteles inter cetera Analytica quoque sua disposuit: atq; vt de Posterioribus tantum dicam, primùm libro priori à notione finis exorditur: hoc est, considerat an sit & quid sit demonstratio: deinde ad principia & instrumenta ordine progreditur: à proximis ad vltima: in quibus desinit ars docens & incipit operans. Docet enim ad demonstratiuam scientiā propositiones necessarias & medio vacantes ideoq; per se & καθόλου requiri: vtq; tales sint: opus esse: vt medius terminus prima & proxima maioris extremi

cap. 2.

causa

causa sit: postea: hanc causam semper maioris extremi formam & definitionem esse: tandem illam vel efficientem, vel finalem, vel materialem eiusdem extremi causam esse: id quod vltimum est & remotissimum: à quo ars operans incipit. Semper itaq; ordo resoluens à notione finis incipit.

Errant igitur, qui putant: ordinem hunc, ita ab vltimis & compositis ad prima & simplicia tendere: vt etiam in Scientijs locum habeat: quasi in Physiologia quoq; Analyticus ordo sit: si quis ab vltimis ad prima principia ordine progrediatur. Ex Aristotele enim & Auerroe liquet: analytico ordine vti, esse à definitione finis seu operis, quod vltimum est in exsecutione, exordiri: à tali, inquam, vltimo: quod à nobis generatur & generari potest: non à quouis vltimo: quod in nostro arbitrio & potestate non est situm. Hinc efficitur: ordinem hunc non in contemplantibus Scientijs, sed tantùm in artibus, & quorum finis actio est, locũ habere: eiusq; finem vltimum non scientiam sed operationem siue opus esse. Atq; ita satis explicata est vtriusq; ordinis definitio.

Metaph. 7. cont. 23. Golliget lib. 1. c. 1. & deinceps.

Sed obijci contra ista quæ diximus, potest Aristotelis autoritas: qui ordinẽ analyticum etiam à principijs ad finem progredi docet. Respondemus ex Aristotele: principiũ duplex esse: aliud cognitionis: aliud operationis. A fine igitur progrediens ordo analyticus, à principio progreditur: sed principio cognitionis ad principia operationis: quæ sunt finis cognitionis.

Eth. 6. c. 5. & li. 7. c. 8. Metaph. 7. cont. 23.

Metaph. 7.com. 23. *Vnde illud: quod etiam ab Auerroe citatur: principium operationis esse finem cognitionis: & principium cognitionis finem esse operationis. Sic Aristoteles ait: sanitatem quodam modo sui ipsius causam: & domũ ex domo esse: materiatam ex illa, quæ absq; materia est: hoc est, exstructam ex præcognita: cùm domus ædificari nequeat: nisi forma illius animo prius concipiatur.*

Metap. 7.cõt.23.

Ex his non difficile fuerit, geminum ordinum numerum demonstrare. Cùm enim finis ordinis cognitio sit: hæc verò duplicis generis sit: (vel enim propter se ipsam cognitionem quærimus, quam adepti quiescimus: vt in Scientijs contemplantibus: vel idcirco cognitionem quærimus: vt eam postea ad operationem dirigamus: vt in disciplinis practicis) manifestũ est: sicut cognitio, cuius causa ordinem adhibemus, gemina tantum est: & sicut disciplinæ, quæ ordine aliquo traduntur, geminæ tantum sunt, Contemplantes scilicet & Practicæ: ita ordinem quoq; necessario & geminum: & tantùm geminum: & quidem has quas diximus, veras ac germanas illius species esse: quarum altera contemplantibus: altera practicis inseruit disciplinis. Quocirca etiam Aristoteles non solum his tantùm duobus vsus est: sed etiam tertij alicuius nullibi vnquam meminit. Quin immo aperte duos, & tantum duos, & quidem hos duos vnà cum Platone posuit: cùm Platonem laudauit: quòd prudenter dubitarit: vtrum à principijs ad finem:

Eth.1.c.4.

finem: an contra à fine ad principia esset transeundum. Locus iste ita perspicuus est: vt si totam suam δυνότητα in loquendo adhibeat Talæus: nunquam probaturus sit: vnicam solùm methodum Aristotelem agnouisse: Sic analyticum ordinem in Metaphysicis aperte ponit: eumq; artium proprium esse docet: Componentem verò in Physicis: eumq; solũ solis contemplantibus Scientijs conuenire: quorum illud & verbis & re ipsa Auerroes comprobauit.

lib.7.cõt. 23.

lib.1.phys. in prooem. Collig. li. 1.cap.1.

Errant igitur primo, qui analyticum ordinẽ non tradendis, sed tantum inueniendis artibus aptum esse scribunt. Errant secundo: qui his duobus tertium definitiuum adijciunt: qui perinde vt quarta figura, merum Galeni figmentum est. Errant tertio: qui vnicum tantum ordinem, siue vt ipsi loquuntur, Methodum, methodum scilicet ab ordine distinguere nõ valentes, quemadmodum etiam inter scientiam, artem, facultatem, discrimen nullũ cernunt statuunt.

Ast, inquiunt, semper ab vniuersalibus progredimur: Ergo vnica methodus est. Errant primò: quod methodum cum ordine confundunt. aliud enim est, si distinctè docendum sit, disponere: aliud disposita probare. Errant deinde: quòd vnicum esse ordinẽ existimãt: eò quod semper ab vniuersalibus exordiamur. Est quidem hæc communis vtrique ordini conditio: à notioribus ideoq; vniuersalioribus exordiri & progredi: sed aliter tamen syntheticus aliter analyticus ab illis progreditur. Syntheticus ab vniuersalibus

progreditur: ſi tum ſubiectum, tum principia Scien-
tiæ ſpectes: ita tamen ab vniuerſalibus progreditur:
vt ſimul à primis principijs exordiatur. Cōtrà ana-
lyticus etiam ab vniuerſalibus incipit: ſed ſimul à fine
ſiue vltimo ad principia: non à principijs ad vltimū,
ſicut alter facit, progreditur. Ab vniuerſalibus igi-
tur & notioribus ſemper incipere, nō facit: vt vnum
& idem ſit à primis ad vltima, & ab vltimis ad pri-
ma tranſire.

Ceterùm & σύνθεσις & ἀνάλυσις duplex eſt.
Vera σύνθεσις ordo ille compōnēs eſt: Scientijs tan-
tùm diſponendis inſeruiens: de quo dictum eſt. Eſt de-
inde alia compoſitio: quæ in artibus operantibus con-
ſpicitur. Sic vera ἀνάλυσις, ordo ille eſt: a finis notio-
ne incipiens: ideoq; ſolis artibus tradendis cōueniens:
& componenti ex aduerſo reſpondens. eſt alia: qua
autorem quemuis reſoluimus: non ſolum Ciceronem,
aut Virgilium: ſed Scientias etiam, Phyſiologiam
Ariſtotelis, & Epiſtolas Pauli. Priori ἀναλύσεως
Ariſtoteles multis in locis meminit: eaq; artes omnes
practicas tradidit: poſterior per totam ipſius Logi-
cam diffuſa eſt: & in Prioribus dilucide explicata: de
lib.1. c. 23. qua cùm in libro de ſyllogiſmo egerimus: non eſt: cur
actum agamus. Similis iſta ἀνάλυσις qua ſcriptum
reſoluitur ordini reſoluenti in eo eſt: quod, ſicut ille
à fine ad principia tranſit: ſic iſta à fine ſiue conclu-
ſione ad principia. differt ab eo: quòd ille tantùm ar-
tibus competit: hæc verò omnibus diſciplinis & ſcri-

ptis

ptis communis est: ideoq; non à fine, qui in nostro arbitrio est, & à nobis fieri vel non fieri potest. sed à conclusione aliqua, quam alius posuit, progreditur: ac demum ἀνάλυσις ista methodũ potius quàm ordinem redolere videtur: quippe quæ ostendit: quid, quo pacto, probatum sit & demonstratum. ἀναλύσεως igitur ambiguitate decepti, & inter ordinem illum analyticum, & hanc ἀνάλυσιν distinguere non valentes, errarunt, qui existimarunt: ordinem analyticum magis inueniendis quàm tradendis artibus accommodatum esse. Hæc de ordinibus satis sunto.

Quid verò methodus sit, non obscurum fuerit, ex illis quæ dicta sunt, colligere. Ordo disponit: methodus infert & probat. reuera igitur aliud nihil est, quàm syllogismus: quo disposita probantur: cùm nulla alia sit probandi & concludendi vis, quàm syllogistica. Hoc, vt de interpretibus nihil dicam, significauit aperte Aristoteles: cùm scripsit: diuisionem esse paruam particulam dictæ methodi: & in eodem capite: quòd non liceat ista methodo, puta diuisione, destruere aliquid: & ibidem: quòd talis via sit: quæ nihil demonstret: quibus in locis, tam viam quàm methodum promiscue pro transitu probante, hoc est syllogismo, de quo egerat, cuius paruam particulam diuisionem esse dicebat, accepit: vt cuiuis, loca illa consideranti, patet. addit enim diuisionem esse quasi infirmum syllogismum: quibus 1. prior. cap. 22.

verbis se ipsum explicat: quid per methodum intellexerit. Plura loco non addo. Syllogismus igitur commune nomen est: omnes methodos complectens.

Verùm enimuerò quia methodus proprie dicitur respectu Scientiarum, & cōtemplantis Philosophiæ: cui tota Logica mancipata est: (in hac enim proprie transitus ille fit : qui vim demonstrandi habet) idcirco peculiari ratione & per excellentiam demonstratiuo syllogismo conuenit: qui sicut duplex est : ita methodum quoq; duplicem constituit: quarum altera methodus demonstratiua vocari solet: quæ etiam synthetica dici potest: quemadmodū altera resoluens recte dicitur: quòd à posteriori, hoc est, ab effectu ad causam progrediatur. Cùm igitur methodus ista duplex aliud nihil sit quàm duplex illa demonstratio: quæ methodus dicitur : eò quòd in Scientijs illius beneficio ab vno ad aliud cum illatione transeamus: non est cur hic plura dicamus: cùm ea satis superq; sit explicata.

PAR-

PARTIS PROPRIAE LIBER SECVNDVS.

De Topicis siue de Dialectica.

De syllogismo Dialectico, quid sit.

CAP. I.

Syllogismus dialecticus est, qui ex probabilibus ratiocinatur.

Pars ista Logicæ proprio nomine Dialectica dicitur. Vulgò enim receptum fuit: vt orationes siue collocutiones illas inter duos, quorum alter alterũ vincere nitebatur, dialecticas appellarent. hinc nomen istud ad hanc artem Aristoteles, teste Auerroe, transtulit: in qua viam monstrat, de quauis re proposita, cum quouis disserendi. Vocatur alio nomine Topice: quia locos tradit probabilium propositionum. Lib. 1. Top. ca. 1.

Scopus igitur huius libri est διαλέγεσθαι, *siue Dialecticus syllogismus: de quo hæc duo præcipue traduntur: ex quibus propositionibus constet: & quo pacto copiam illam propositionum nobis comparare posimus. Instruitur autem hîc vtraque pars disputans: tam ea: quæ ad obiecta respondet: quàm illa: quæ obij-*

li.1. cap. 1. cit: vt ex primis statim Aristotelis verbis manifestum est. quibus enim armis res aliqua oppugnatur: ijsdem etiam propugnatur. Vtilitas profectò maxima. ab hac enim parte instructi ad differendum cum quouis apti sumus: vt taceam: quantum momenti ad dextrè philosophandum habeat.

Sicut autem in libro de demonstratione non propositiones necessariæ enumerantur: sed modi tantùm & conditiones earum præscribuntur: ita hîc quoque non probabiles recensentur: sed modi tantùm illarum traduntur: & sicut ibi, quemadmodũ etiam in libro de syllogismo prius γένεσις demonstrationis & syllogismi docetur: postea de abundantia propositionum præcipitur: ita hîc priori loco docetur: ex quibus propositionibus syllogismus dialecticus constet: posteriori loci monstrantur: ex quibus probabiles propositiones depromuntur.

Ceterum definitio Dialectici syllogismi obscura non est. Syllogismus, cuius structuram in tertio priorus partis libro docuimus, genus est: tres præcipuas sub se species complectens: demonstratiuum, dialecticum, Eristicum. Species istæ à materia sumuntur, Omnes enim propositiones vel veræ sunt: vel falsæ, speciem tamen veri habentes: si quidem probandum aliquid per illas sit: Veræ vel summè veræ siue necessariæ: vel probabiliter. ex necessarijs demonstratiuus: ex probabilibus dialecticus: ex apparentibus Eristicus syllogismus generatur, additur quarta species ab

ipse

ipso Aristotele, pseudographus: qui neque demonstratiuus est: cùm non ex veris & primis: neq; Dialecticus: cùm non ex probabilibus: neq; etiam planè Eristicus: cùm ex proprijs & domesticis Scientiarũ concludat. Videtur itaq; cum vtroque, cum demonstratiuo & Sophistico syllogismo commune quid habere: cum illo: quia ex domisticis Scientiarum: cum hoc: quia ex falsis concludit. Talis est Brysſonis quadratura. Tales sunt demonstrationes Flaccianæ. Horum syllogismorum omnium commune genus, est forma illa communis, in libro syllogismi monstrata: quam participantes syllogismi dicuntur: demonstratiui verò aut probabiles ratione materiæ: cui forma illa accommodatur. De demonstratiuo dictum est: de Eristico postea dicetur: nunc de Dialectico. lib. 1. Top. cap. 1.

Dialecticus igitur syllogismus est, qui ex probabilibus ratiocinatur: hoc est, qui ex propositionibus probabilibus conclusionem probabilem colligit. Sunt autem probabilia: quæ vel omnibus: vel pluribus: vel sapientibus: & his quidem vel omnibus: vel pluribus vel præcipuis & maxime celebribus vera videntur.

DE ATTRIBVTIS *Topicis.*

CAP II.

Attributa Topica quatuor sunt, definitio: proprium: genus: accidens.

Primo capite docuimus: syllogismum Topicum ex

probabilibus propositionibus constare: hoc docetur: ex quibus partibus ipsæ propositiones probabiles conflentur. Sunt autem quatuor in summa prædicata Topica: ex quibus omnia problemata & propositiones dialecticæ conficiuntur: quod hoc argumento probatur: Quicquid de subiecto aliquo dicitur, id vel cum subiecto illo reciprocat, vel non reciprocat: si illud: definitio est aut proprium: & definitio quidem: si naturam subiecti exprimat: proprium: si eam non exprimat: si hoc: vel pars erit definitionis: vel non erit: si pars: vel genus erit, vel differentia: si non: accidens.

Sed videntur quinque esse non quatuor tantùm: cum differentia etiam prædicatum Topicum sit: vt vel ex ista probatione liquet. Responsio est: differentiam cum genere ab Aristotele coniungi: vt ex capite tertio liquet.

lib. 1. Top. cap. 7. *Inueniuntur autem hæc quatuor, vt docet Aristoteles, in prædicamentis: in quibus veritatem suam obtinent: vt in parte communi declarauimus. Ex quo simul vtrumque perspicitur: & quòd dialectica problemata nō de rebus quæ extra animum sunt, fiant:* 2. poster. com. 3. *sed tantum, vt Auerroes explicat, de ijs, quæ in animo sunt: & quòd nihilominus vera sint: cùm rebus veris & verè extra animū existentibus innitantur.*

Ex ijsdem responsio sumitur ad hanc obiectionem. Quæri enim potest, quo modo eadem prædicata, & propositionem per se, siue demonstratiuam, & propositionem probabilem siue dialecticam constituant:

cui

cui respondetur: in Apodicticâ res, prout extra animum re ipsa sunt, considerari: ideoq́; prout prædicatum subiecto re ipsa & essentialiter inest: quo pacto consideratum genus, definitio, proprium, propositionem necessariam constituit: hîc verò, prout in animo tantum sunt, hoc est, non rem ipsam, sed modum prædicandi: an scilicet aliquid vt genus, an vt accidens attribuatur: quo modo consideratum genus propositionem dialecticam efficit.

Quæritur etiam, an non propositio illa nugax sit: in qua definitio de eo quod definitur, idem de eodem prædicatur? responsio est: definitionē bifariam considerari: quâ talis, siue quâ definitio est, hoc est, quâ essentiam rei declarat: & quâ attributum quoddam est, quod de re definita dicitur. priori modo considerata idem est cum re definita, & ad Metaphysicum pertinet: posteriori, quodā modo diuersa: vt pote notior re definita: & sic ad Logicum pertinet; licet hic quoq; posterior modus duplex sit: quorū vnus ad Apodicticam, alter, vt diximus, ad Dialecticam pertinet. Definitio enim, etiam vt prædicatum accepta, vel vt necessariū, vel vt probabile prædicatū consideratur.

Quinq; igitur modi sunt: quibus à Logico definitio consideratur: vel vt attributum probabile: vel vt attributū necessariū: vel vt principium: vel vt conclusio demonstrationis: vel deniq; vt thesi solū discrepat à demonstratione: quarum prima consideratio Dialectici est: quatuor reliquæ demonstratoris.

QVID PROPOSITIO DIAlectica, quid problema, & quid thesis sit.

CAP. III.

Propositio dialectica est interrogatio probabilis aut omnibus: aut pluribus: aut sapientibus: & his quidẽ vel omnibus: vel pluribus: vel maximè celebribus non absurda. Problema dialecticũ est contemplatio: vel ad electionem & fugam: vel ad veritatem & cognitionẽ attinens: idq; vel per se: vel vt adminiculans ad aliud quippiam eiusmodi: de quo aut neutram in partem opinio est: aut multi secus ac sapientes sentiunt: aut sapientes secus ac multi: aut vtriq; ipsi inter se dissentiunt. Thesis autem est admirabilis nobilis alicuius Philosophi sententia.

1. Top. c. 3. *Propositio & problema, vt docet Aristoteles, solo modo differunt. Modum autem appellat diuersam interrogandi rationem. Si enim simplex quæstio sit, veluti, est ne animal genus hominis? propositio dialectica est: sin mixta quæstio sit & de affirmatione & negatione simul quærat, veluti, est ne animal genus hominis néсne? problema dialecticum est. Genus dialecticæ propositionis, interrogatio est: quia dia-*

dialecticæ propositiones rogabantur: differentia, probabilis: quæ vox duo exigit: vnum: vt veritatem propositio dialectica habeat: alterum: vt eam veritatem habeat: quæ non careat controuersia. quod enim vel ita falsum est: vt omnibus conspicua illius falsitas sit: vel ita verum & certum: vt de eo nemo ambigat: id à nemine, mentis compote: in quæstionem proponitur. probabile igitur est quod veritatem quidem aliquam habet: sed cum quadam dubitatione coniunctam. Sequentia verba differentiæ explicatio sunt. oportet propositionem istam vel apud omnes homines: vel plurimos: vel saltem apud sapientes probabilitatem obtinere: & apud sapientes etiam, vel omnes: vel plurimos vel certe celeberrimos & maximi nominis. Quod enim probabile est: id minimum sapientibus, & horum quidem minimum primarijs probabile videbitur: quodq́ ab istis probabile iudicatur: id probabile esse censendum est.

Problema autẽ definitur, quòd sit contemplatio, θεώρημα: vel ad electionem & fugam: vel ad cognitionem attinens: hoc est, problema aliud ethicum est & de illis rebus quæ in actione: aliud contemplantis Philosophiæ: & de illis rebus quæ in cognitione consistunt. exempla practici problematis: Vtrum voluptas summum bonum sit: Vtrum professio Christi necessaria sit: contemplantis Philosophiæ: vtrum anima ex traduce sit: vtrum aspectus recipiendo, an potius extrà mittendo fiat. Duplex igitur proble-

matum finis est, actio & cognitio. Additur id definitione, problema vel ipsum per se ad hunc finem pertinere: vel certè alij alicui, cuius cognitio vel ad actionem vel ad cognitionem per se prodest, adminiculari: de quo alioquin, si hoc adminiculum non accederet, vel neutram in partem neque in veram neque in falsam opinio esset: vel contrariam sapientibus vulgus opinionem conciperet: vel sapientes vulgo: vel etiam vtrique sibimetipsis. Atque hoc problema Logicum est: veluti an tres solùm in Syllogismo termini sint: vt perspicuum sit: Logicam instrumentum esse.

Thesis bifariam vsurpatur: propriè pro admirabili aliqua sententia nobilis alicuius Philosophi: impropriè siue communiter pro quouis problemate dialectico. positio propriè accepta, est illud Heracliti, quod omnia moueantur: item Copernici, quod Sol lib. I Top. cap. 9. *non moueatur. Sed notandum hîc est: vt recte monet Aristoteles: nõ omnem thesin siue problema considerationem dignum esse: quædam enim plectenda potius esse quam discutienda: & quæ sensu dijudicantur, nõ nisi à fatuo in quæstionem proponi. Vbi obiter quoque notandum est: fatuas omnino esse illas concludendi formas, quas proprias vocant: cùm conclusio sensu nota sit: & quidem notior præmissis. v.g. Cæsar vicit in prælio pharsalico: Pompeius non vicit:*

Pompeius igitur non fuit

Cæsar.

DE

DE LOCIS DIALECTICIS, *& regulis quibusdam generalibus.*

CAP. IIII.

Primus igitur locus eſt, videre: num vt accidens ſubiecto attribuatur: quod illi alio aliquo modo ineſt. 2.li.Top. cap.2.

Hactenus γένεσις*: ſepnitur* εὐπορία*. Vt doctrina Dialecticorum locorum eò melius intelligatur: primò breuiter, quid locus ſit, dicendum eſt. Locum communiter ſedem argumenti: h. e. medij termini domicilium definiunt: Atq; hæc vera loci definitio eſt: ſi de locis illis vniuerſalibus, de quibus in libro ſyllogiſmi, quæratur: hîc verò per locos non tantùm attributa illa communia, genus, proprium, accidens: & quæ ex illis deducuntur, coniugata, caſus &c. quæ medij termini ſedes ſunt, Ariſtoteles intellexit: ſed etiam regulas quaſdam & præcepta generalia: quæ docent: & quo pacto ex illis communibus attributis medium petendum, & propoſitionum probabiliũ copia comparanda ſit: & quo modo cum alio colloquendum. In libro itaq; de ſyllogiſmo prolixè de geneſi: breuiſſimè de euporia: hîc contrà, agit: quia geneſis iam monſtrata eſt: euporia huius loci quaſi propria & ampla eſt. Incipit autem Ariſtoteles à communiſſimis locis, & quidẽ deſtruentibus & ab illis ad minus communes progreditur: quorum quoſdã tantum breui-*

ter perstringemus: ex quibus etiam reliqui dijudicari: & quibus reliqui sine labore addi ex Aristotele possunt.

Primus igitur locus siue primum præceptum docet: diligenter attendendum esse: num vt accidens prædicetur: quod vel genus est, vel proprium, vel definitio: quamuis id in primis circa genus accidat: v.g. si quis dicat candori accidisse, quòd color sit: vel candorem coloratum esse. color enim candoris genus, vt accidens sumitur: etiam in posteriori exemplo: in quo denominatè de specie prædicatur: cùm genus de specie denominatè nunquam dicatur. Sume igitur genus vt accidens: & abundabis propositionibus, ad aliquid destruendum. Obserua etiam in respondendo, genus vt accidens sumtum esse: & animaduertes fraudem. vtrique enim & opponenti, & respondenti præcipitur.

Alius locus est videre: quibus inesse dicatur: num omnibus: an verò nulli: & considerare species, non infinita. Considerare autem & incipere à primis oportet: & ab illis deinceps progredi vsque ad indiuidua.

Hic alter locus est, locus, inquam, partitionis. Primò videndum est, affirmans ne problema sit, an negans: h.e. vtrum colloquens prædicatum subiecto inesse vel non inesse monstrare velit: deinde subiectum illud distinguendũ in suas species est: & species rursum

sum

ſum in ſpecies: & ſic deinceps, donec ad extrema quæ indiuidua ſunt, deueniatur v.g. ſi dicat, oppoſitorum eandem ſcientiam eſſe: ſubiectum in quatuor ſuas ſpecies diſtinguendum eſt: & videndum: num relatorum: num contrariorum: num priuantium: num contradicentium eadem ſcientia ſit. Et ſi hinc, quod vis nondum manifeſtum euadat: iſta rurſus in ſuas ſpecies ſunt diſtinguenda: quouſque ad extrema, ad indiuidua, peruenias. e.c. num iuſtorum & iniuſtorum: dupli & dimidij: cæcitatis & viſus: affirmationis & negationis eadem ſit ſcientia. Si in vno inuenias, eandem ſcientiam non eſſe: refutatur problema vniuerſale affirmans: quem ad modū etiam negans: ſi in vno aliquo id locum habere demonſtres. Syllogiſmi igitur & inductionis via hîc procedere poſſumus. Eſto concluſio: oppoſitorū non eſt eadem ſcientia: medium: quia relatorum eadem ſcientia non eſt. Per infinita quæ conſiderari non vult, indiuidua intelligit: quæ numero infinita ſunt.

Alius locus eſt definire tum accidēs ſeu attributum problematis: tum id cui accidit, ſiue ſubiectum problematis: & quidem vel vtrunq; per ſe: vel alterū tātùm: deinde conſiderare: nū aliquid in definitionibus non verum, vt verū ſumtum ſit.

Locus tertius problema ſiue propoſitionem demonſtrare docet ex ipſius rei natura & definitione.

sit istud hoc modo. ad probandum conclusionem medium assumitur, quod definitio est, vel subiecti, vel attributi. Si definitio subiecti prædicato competit: etiam prædicatum cum subiecto illo cohæret: quemadmodum etiam, si prædicati definitio subiecto tribui potest: ipsum quoque prædicatum eidem inesse, manifestum est. Contra si alterutrius definitio ab altero remouetur: etiam illa duo à se inuicem remouentur. Quæritur, vtrum anima mortalis sit, an verò immortalis: probo ex definitione subiecti, immortalitatem: anima est substantia, quæ ex se ipsa motu continuo, mouetur: quod autem eiusmodi est, immortale est: g. anima immortalis est. Sic ex definitione prædicati. quæritur, num vir bonus inuidus sit: probatur negans ex prædicati definitione: inuidus est, qui dolore afficitur: eò quòd benè cum probo aliquo agi videat: talis autem bonus siue σπουδαῖος non est: esset enim φαῦλος: g. non est inuidus. Potest igitur medius terminus ab vtroque, à prædicato & subiecto, ab vno scilicet, post aliud sumi: vel ab vno tantùm. Sed animaduertendum est respondenti: ne definitio, vel pars definitionis falsa, pro vera obtrudatur.

Præterea, eum qui problema propositioné sibi facit, instare oportet.

Præceptum est non locus. numeratur inter locos, & locus etiam ab Aristotele vocatur: quia vtrunque & oppo-

opponentem & respondentem, construentem & destruentem instruit. Præcipit autem hoc præcepto respondenti: vt problema aduersarium in propositionem conuertat: contraq; illam instet: opposita propositione contraria, siue contradicente: hoc enim non parum momēti habiturum aduersus thesin siue problema illud exemplum. problema aduersarij est: an quicunq; credunt saluantur necne? estq; aduersarij institutum partem affirmantē tueri. in propositionem igitur istam, Omnis credens saluatur, problema conuertatur: eiq; contradictio opponatur: quidam credens non saluatur: quæ sic efficiatur: Diabolus non saluatur: Diabolus credit: g. quidam credens non saluatur.

Amplius definiendum est: qualia vocanda sint: vt à multis vocantur: qualia nō sint.

Præceptum non locus est: res vsitatis nominibus, quibus vulgò nominantur, nominandas esse: sed verè nec ne rei alicui aliqua appellatio tribuatur: id non à vulgo sed à singulis artificibus discendū esse. Vocabula vsitata & significantia retinenda sunt: sed an huic rei istud vocabulum conueniat: id ab artificibus discendum est: e. c. salubre appellandum est quod sanitatis causa est: an verò istud sanitatis causa salubreq; dicendum sit, id à Medico discendum est.

Præterea si quid multis modis dicatur: positum autem sit inesse vel non inesse: alte-

rum eorum quæ multis modis dicuntur, monſtrandum eſt: ſi vtrunque monſtrari nequeat.

Si ſubiectum vel prædicatum homonymum ſit: monſtratur prædicatū ſubiecto ineſſe: quod vel omnibus vel aliquibus ſubiecti ſignificationibus competat: vel quòd prædicati ſignificationes quædam ſubiecto inſint. Sic in negantibus. Obſeruandum autem eſt: ne ex poſitione quarundam ſignificationum, aliud quippiam ineſſe ſumatur, quod non ineſt. Summa, animaduertenda eſt inter colloquendū omnis ambiguitas: ſiue homonymia ſit: ſiue aliud quippiam.

Vt autem contraria eidem ineſſe monſtrétur, conſiderare genus oportet.

Hoc eſt, ad demonſtrandum prædicatum quod ex duobus contrarijs conſtat, ſubiecto ineſſe: medium ſumitur genus ſubiecti. v. g. quod ſenſus & rectè ſentiat, & erret: ſiue, quòd circa ſenſum rectum & error locum habeāt, à genere probatur: quia ſentire eſt iudicare: iudicare autem vtroq; modo contingit, bene & malè: g. & circa ſenſum vtrunq; accidit: iudicare enim ipſius ſentire genus eſt.

Rurſum verò ex ſpecie cōtraria generi ineſſe monſtrari poſſunt.

Sicut prior locus docet monſtrare duo contraria ſubiecto ineſſe, per genus ſubiecti: ita hîc per ſpeciem.

Sub-

Subiectum igitur hîc genus est : cui contraria inesse monstrantur, per speciem, v.g. habitus malus est, & bonus: quia scientia bona & mala est.

Quia verò necesse est, de quibus genus prędicatur, de illis etiam speciem aliquam prædicari: & quæcunq; genus habēt, vel denominate à genere dicuntur, ea necessariò etiam specierum aliquam habere, vel denominate ab aliqua dici: si fuerit aliquid positum, à genere dictum: considerandum est: num etiā species aliqua illi attribuatur. si nulla illi attribuitur: nec genus illi competit.

Sensus est: Cui genus aliquod tribuitur: ei necessario etiam species aliqua illius generis tribuitur: si nulla: neq; genus: v.g. vtrum anima moueatur: considerandæ sunt sex illæ species motus: & videndum: num aliqua illarū anima moueatur si aliqua mouetur: si nulla: non mouetur. Eodem modo vt sciens aliquis dicatur, vel Physicum, vel Mathematicum eum esse oportet. Vt enim sciens à scientia quæ genus est: sic Physicus à Physica, quæ scientiæ species est, denominatur. Valet hîc locus ad destruendum siue confutandum & confirmandum. Cui enim nulla tribui species potest: ei nec genus rectè attribuitur: & cui aliqua attribui species potest: illi genus quoque rectè attribuitur.

Quibuscũq; verò alterum solùm inesse, vel non inesse necesse est: si abundemus ad differendum de altero, quòd vel insit, vel non insit: simul quoq; quod ad alterum attinet, abundabimus.

Quotiescunq; duorum contrariorum ea ratio est: vt alterutrum subiecto ex necessitate insit: atque ita alterum insit: vt alterum inesse nequeat: ibi eâdem demonstratione vtrunq; demonstratur. Si enim istud inesse monstres: simul monstras illud non inesse: sin istud nõ inesse monstras: illud inesse ostendis: e.c. quòd homo sanus aut ægrotus: numerus aliquis par aut impar sit. Si illud inest: hoc non inest: sin hoc: illud non.

Contraria sex modis inter se coniungũtur. aut enim vtrunq; contrariorum vtrique iungetur: idq; bifariã: aut vtrunq; vni attribuetur: & hoc rursum duobus modis: aut vnum vtrique: & hoc quoq; duobus modis: ex quibus sex modis quatuor tãtùm postremi contrarietatem efficiunt.

Docetur hîc: vni propositioni non vnam tantùm, sed plures contrarias esse: ideoq; ex illis eligendã esse: quæ maximè accõmodata ad probandã thesin videbitur. Sunt autem tres coniunctionis modi: quorum vnusquisque geminus est. Vel enim contrarium contrario iungitur: idq; duobus modis: hoc pacto: oportet

ami-

amicis benefacere : inimicis male : aut vice versa: oportet amicis malè facere: inimicis bene: vel vtrūq; contrarium, de vno contrario affirmatur, etiam dupliciter: oportet amicis benè facere: & oportet amicis male facere : aut inimicis benefacere: & inimicis malè: vel vnum de vtroque bifariam: amicus benefaciendum est: & inimicus benefaciendū est : aut amicis malefaciendum: & inimicis malefaciendum.

Rursum, cùm ponitur accidens, cui aliquid contrarium est, videndū est, num etiam contrarij capax sit: quemadmodum accidentis.

Si prædicatum aliquod, subiecto attribuatur: videndum est: vtrum contrarium aliquid illi prædicato sit: & vtrum illi subiecto insit. Si contrariū inest: etiam accidens siue prædicatum inest: si contrarium non: neq; accidens. vtrunq; enim ab eodem subiecto recipitur: v. g. si quis dicat odium esse in parte animæ irascibili : videndum est: num ibidem amor sit: si non: neque odium. Ostende igitur amorem ibi non esse: & refutaueris odium ibi esse. monstra amorem ibi esse: & ostenderis odium ibi esse posse.

Rursus coniugata & casus tum destruenti tum construenti consideranda sunt.

Locus iste medium petere docet à cōiugatis & casibus. Coniugata sunt : quæ iuxta eandem coniuga-

tionem dicuntur: hoc est abstracta & concreta: quæ ab abstractis illis denominantur. sic iustitia, & iustus: fortitudo & fortis, coniugata dicuntur. Casus verò vocantur aduerbia, à nominibus deducta: quæ modum indicant: quo prædicatum subiecto inest: v.g. iustè, fortiter, viriliter: quamuis reuera, vt Aristoteles monet, eôdem recidant casus & coniugata. Vno igitur coniugatorum monstrato: omnia monstrantur: si iustitia laudabilis: etiam iustus: etiam iustè. literati in pretio habendi: quia literatura in pretio habenda est.

Topic. 2. cap. 3. de coniug.

Item in similibus videndum est, num similiter se habeant.

Docet petere medium à simili. de similibus enim idem iudicium est. vna est opinio multarum rerum: quia vna est scientia multarum rerum. Sciendum autem est: si duo in vno conueniunt: ea quoque in pluribus conuenire: si in pluribus non: neque in vno: v. g. si scire, cogitare est: etiam multa scire, multa cogitare est. hoc autem verum non est: ergo nec illud.

Præterea ex magis & minus argumenta petenda sunt. Sunt autē illius quod magis & minus est quatuor loci: vnus: cùm magis ad magis sequitur: alter: cùm vnū de duobus dicitur, si illi cui magis inesse videtur, non inest: neq; illi inest, cui minus inesse videtur: & vice versa: si illi inest, cui

cui minus inesse videtur: etiam illi inest, cui magis inesse videtur: tertius: cùm duo de vno dicuntur, si id, quod magis inesse videtur, non inest: neque illud, quod minus videtur: aut si id inest, quod minus videtur: etiam illud, quod magis: postremus: cùm duo de duobus dicuntur, si, quod alteri magis inesse videtur, non inest: neque alterum alteri: aut si quod alteri minus inesse videtur, inest: etiã alterum alteri.

Ex magis & minus quatuor modis ratiocinamur: quorum tres postremi sex modos constituunt: vt septem modis ex hoc loco argumentari liceat. primus est: cùm neq; ex magis minus, neq; ex minus magis (vulgò perperã dicunt, à maiori ad minus, vel à minori ad maius argumentari (sed cùm attributum subiecto inesse concludimus, si sicut subiectum, sic etiam attributum intendi magisq; recipere poßit, hoc modo: si voluptas bonum est: etiam magis voluptas magis bonum est. si facinorosus plectẽdus est: etiam magis facinorosus magis plectendus est.

Alter modus, isq; geminus est: cùm prædicatũ huic subiecto non inesse monstratur: eò quòd alteri, cui magis inesse videtur, non insit. Atque hoc est à magis ad minus argumentari. subiectum, cui idem prædicatum magis inesse videtur, medium fit: quo idẽ prædicatum ab altero subiecto remouetur: v. g. Si Mosi

nõ creditis, inquit Dominus, neque mihi credetis, h.e. multò minus. Si terrena non intelligitis, cælestia quo modo intelligetis? Qui Mosi non credunt ij nec mihi credunt: vos Mosi non creditis: ergo neq; mihi. non igitur hîc ratio rerũ habetur: quæ qua maior & præstãtior sit: sed attributionis siue prædicationis: siue, vt Aristoteles loquitur, τὸ μᾶλλον, καὶ ἧττον ὑπάρχειν.

Altera secundi modi concludendi species huic ex aduerso respondet: estq; argumentatio à minus ad magis: v. g. si decem viris robustior est: ergo etiam quatuor. Si illi ad quos verbum Dei factum est, dij sunt: multò magis Deus est, quem pater sanctificauit, & in Mundum misit. Ioh. 10.

Tertius modus secundo contrarius est: cùm duo prædicata sunt, & vnum subiectum: ibi vel per illud prædicatum, quod magis inesse illi subiecto videtur, alterum non inesse monstramus: v. g. verè credens nõ prorsus deficit: quia nõ excidit vnquam gratia diuina: quod magis inesse videtur: vel per illud quod minus inesse videtur, alterum inesse monstramus: v. g. renati adulteria cõmittunt: g. etiã alia peccata: hoc à minus ad magis est: sicut alterũ à magis ad minus.

Postremus modus est: cùm duo prædicata duobus subiectis inesse dicuntur, vnum quodq; prædicatum suo subiecto. Si igitur illud prædicatum illi subiecto non inest, quod & cui magis inesse videtur: neq; alterum alteri inest: quod & cui minus inesse videtur: & si illud prædicatum illi subiecto inest, quod & cui

minus

minus inesse videtur : etiam alterum alteri inest exemplum prioris : spiritus non est simul & semel in pluribus locis:g.multò minus corpus humanum vbiq; diffusum est : exemplum posterioris: corpus humanũ vbiq; est:g.etiam spiritus in multis locis esse potest.

Tribus igitur modis, vt de primo nihil dicã, a magis ad minus argumentamur:quemadmodum etiam tribus à minus ad magis:quam varietatem, subiecti & prædicati varietas efficit : quando vel vnum prædicatum de duobus subiectis : vel de vno subiecto duo prædicata:vel de duobus subiectis duo prædicari prædicata possunt.vide Institutionem de hoc loco.

Amplius ex eo quod similiter inest, vel inesse videtur, tribus modis duci argumẽtum potest. Cum enim vnum quippiam duobus similiter inest,vel inesse videtur, si alteri non inest,neque alteri inest:aut si alteri:etiam alteri. si duo eidem similiter insunt vel inesse videntur : & alterum nõ inest:neq; alterum inest:sin alterũ: etiam alterum. eodẽ modo si duo duobus similiter insint. si enim alterũ alteri nõ inest: neq; alterum alteri inest : sin alterum alteri inest:etiam alteri alterum.

Locus hic è paribus & similibus ducere argumentum docet:estq; ab illo, cuius suprà mentionem fecimus, distinctus. aliud enim est, vt docet Aristoteles, Tom. 5. ἐκ τῶν ὁμοίως ἐχόντων, *aliud* ἐκ τοῦ ὁμοίως ὑπάρ- cap. 6.

χόντων argumentari. Intelligitur autem hic locus ex proxime præcedenti. sicut enim à magis ad minus, pro varietate subiecti & attributi tribus modis argumentamur: ita quoq; à paribus & similibus. Vel enim vnum prædicatum duobus subiectis eodem modo & similiter tribuitur: aut vni subiecto duo prædicata: vel duobus duo: quorum vnus quisque geminus est: cum & ex positione vnius, alterius positio: & ex euersione vnius, alterius euersio concludatur. Exemplum 1. Iudas & Petrus similiter electi fuisse videntur: sed Iudas electus non fuit: g. nec Petrus: vel: sed Petrus electus fuit: g. & Iudas: 2. Verè credentes æquè iustificati sunt & sanctificati: sed non sanctificati: g. nec iustificati: vel: sed iustificati: g. & sanctificati. 3. æquè mors stipendium peccati est & vita æterna donum Dei: sed vita æterna donum Dei non est: g. nec mors stipendium peccati: Vel: sed mors stipendium peccati est: g. & vita æterna donum Dei.

Rursum si quid magis & minus dicitur, etiã simpliciter est.

Sensus est: si accidens, quod de subiecto dicitur, magis & minus recipiat, h. e. cum incremento siue accessione & decessione subiecto attribuatur: etiam simpliciter eidem attribuitur. v. g. de quo dicere possum, quòd magis vel minus literatus sit: de eo quoque simpliciter dicere possum, quòd literatus sit. istud igitur per illud probatur. Non admodum absimile huic loco est illud vulgatum: ab est tertij adiecti, ad

est se-

est secundi adiecti, valet consequentia: Deus est iustus: g. Deus est. Ad hæc accidentis loca locus etiam causarum & effectorum est referendus: sed causarum & effectorum probabilium, non nessariorum: quæ ad demonstratorem attinet. vide Institutionem Logicā.

DE LOCIS COMPArationum.

CAP. V.

Primùm igitur, quod diuturnius, & stabilius est, optabilius eo est, quod minus tale est.

Hactenus loci accidentis: sequuntur loci comparationum: qui & ipsi locis accidētis ab Aristotele annumerantur. Docent hæc duo sequentia capita, qua ratione particularia comparationum problemata, vel refutanda vel probāda. destruenda vel construenda sint. Ceterum nobis satis erit quosdam tantùm locos enumerare: ex quibus tamen de ceteris quoque quos prolixè Aristoteles recenset, fieri iudicium poterit. Sunt autem comparationis problemata triplicis generis. Vel enim vnum prædicatum cum duobus subiectis comparatur: vel duo prædicata cum vno subiecto: vel cum duobus subiectis duo prædicata: quorum primum præcipuum est: & scopus istius tractatus. Exemplum primi generis est: vtrum sanitas, an deambulatio melior sit, &c. Ad probandum igitur tale problema, hi comparationum loci conducunt: qui aliud nihil sunt, quàm præcepta & propositio-

nes vniuersales: quæ maiores propositiones fiũt: quibus problema aliquod particulare demonstratur: exempli causa, ad probandum hoc particulare quæsitum, vtrum sanitas deambulatione melior sit, seruit generale præceptum illud, etiam aliis particularibus accommodatum, finis præstantior eo est, quod ad finem est: idq́ maior fit Syllogismi, & medium: quo particulare illud quæsitum, sanitatem præstantiorem esse, demonstratur. Sic de aliis.

Notandum hic est: etsi hi comparationum loci propositiones sunt: quæ in Syllogismo particulari maiorum loco ponuntur: eas tamen non vt propositiones hîc ab Aristotele enumerari: sed vt præcepta quædam & regulas, siue modos: qui ostendunt: qua ratione particulare quæsitum probandum sit vel refutandum ex probabilibus.

Habent autem hæc quæsita comparationis, locum in rebus diuinis: in naturalibus: in Ethicis: & in iis, quæ in communi consuetudine posita sunt: & in his quidem maxime. Hoc tantum obseruandum est: huius generis problemata non proponi de illis rebus, quæ plurimum dissita sunt: & de quarum excessu & defectu nemo dubitat: v.g. vtrum cælestis vita loco dãnatorum: optabilior sit: sed de illis: inter quas non facile sit discernere: quæ quibus sint præstantiores. Ceterum quia istæ regulæ nulla explicatione indigent. breuiter illas ex Aristotele enumerabo. prima de rebus cõmuniter vsitatis vera est. sic vinum quod

Top.9.c.1.

ætatem fert, illi præſtat, quod ætatem non fert. alioquin in religione vetus conſuetudo veritati non præſcribit: quamuis etiam ibi verum quodcunq; prius: adulterinum quodcunque poſterius.

Optàbilius etiam eſt, quod vir prudens, aut bonus elegit: aut lex recta: aut periti in quouis genere: aut quæcunq; plures, aut omnes, aut deniq; etiam omnia eligunt.

Sic bonum omnia appetunt. in Medicina illud præferendũ eſt, quod pluribus & peritioribus Medicis placet.

Quod propter ſe eligitur, illo quod propter aliud eligitur, magis eligendum eſt.

Sic ſanitas potior eſt deambulatione. Eſt hoc affine illi, quod finis præſtantior illis ſit: quæ ad finem ſunt: quorum vtriq; non diſsimile illud eſt: Propter quod vnum quodq; tale eſt: illud magis tale: de quo mox aliquid.

Quod per ſe cauſa boni eſt, id magis eligendum eſt, quàm quod ex accidente cauſa eſt: quem ad modum & è contrario, quod per ſe mali cauſa eſt, id magis fugiẽdum eſt quàm quod ex accidente illius cauſa eſt.

Sic virtus fortunæ præſtat: ſcãdalum datum magis vitandum eſt quàm acceptum. Etenim & virtus & fortuna bonorum cauſa eſt: ſicut mali & da-

tum & acceptum scandalum: sed virtus sicut & datum scandalum per se: fortuna & acceptum ex accidente.

Quod simpliciter bonum est, præstantius illo est, quod alicui tantùm bonum est.

Sic sanitas sectione, quæ alicui necessaria est, melior est: quia omnibus & simpliciter necessaria est.

Quod meliori & honoratiori inest, vel proprium illius est, optabilius illo est, quod deterioris proprium est.

Sic quod Deo inest illiusq; proprium est, illi præstat, quod homini inest: quod animæ: illi, quod corpori.

Quod in melioribus, aut prioribus, aut honoratioribus est, melius est.

Proximè præcedens locus diuersa subiecta distinxit: hic vnius & eiusdem subiecti diuersas partes & membra: Sic sanitas præstantior est robore, forma. illa enim in humidis & siccis, calidis & frigidis: quæ primæ sunt animalis qualitates, consistit: hæc in posterioribus: robur quidem in neruis & oßibus: bella forma in membrorum conuenientia.

Finis præstantior illis est, quæ ad finē sunt.

Sic lucrum præstantius est nauigatione. præceptum

ptum hoc perſpicuum eſt, & vniuerſale: ſi dextre intelligatur. Præſtat finis illis, quæ ordinata ſunt ad finem illum aſſequendum: ſed non præſtat omnibus, quæ qualicunque fini destinata ſunt: & inter fines etiam alius alio præſtantior eſt. Aeterna felicitas lucro præſtat. fides, bona opera propter finem illum ſunt: quæ tamen lucrum & diuitias huius ſeculi longe ſuperant.

Huc illud pertinet: propter quod vnum quodq́; tale eſt illud magis tale eſt. propter finem enim puta propter lucrum illa, quæ propter finem ſunt, puta nauigationẽ, volumus: ideoq́; finem magis volumus Eadem regula in reliquis quoque cauſarum generibus valet: ſed in primis in finali perſpicua eſt: licet etiam hic obijci aliquid poſſit: Angeli enim propter homines electos ſunt: g. homines electi magis ſunt. electi angelorum quodam modo finis ſunt. Vt igitur verum hoc effatum ſit: hæ tres conditiones notandæ ſunt: 1. illud ſolum verum eſſe de accidentibus: quæ magis & minus recipiunt: non de ſubſtantijs: dicit enim, illud magis tale eſt, vel id ipſum. Sic non valet: Nicomachus eſt homo propter Ariſtotelem: g. Ariſtoteles magis homo eſt. Sic nõ valet: Angeli ſunt propter homines: g. homines magis. eſſe enim ad eſſentiã pertinet. 2. neceſſe eſt: vt affectio eodẽ modo in affecto ſit: quo in afficiente ſiue cauſa eſt. Sic non valet: iſte eſt ebrius propter vinum: ergo vinum magis ebrium eſt: affectio. n. iſta, ebrietas, in homine ebrio actu: in vino

tantùm potestate est. 3. necesse est: vt, quod alterius causa esse dicitur, plane & absolute illius causa sit. Sic non valet: Ouidius est poëta propter præceptorem: g. præceptor magis poëta est: ferrum candẽs vrit propter ignem: ergo ignis magis vrit. His tribus conditionibus obseruatis, vera est hæc regula in omni genere causæ. Locus igitur de fine huius regulæ pars est.

Duorum ad eundẽ finem attinentium præstantius illud est, quod fini propinquius est: & omninò quod ad finem vitæ attinet, præstãtius eo est, quod ad alium aliquem finem spectat.

Sicut finis fine præstantior est: ita quoq; illa, quæ ad nobiliorem finem attinent, illis præstant, quæ ad ignobiliorem: immo ipsi quoque, vt dicebamus fini.

DE ALIIS QVIBVSDAM Comparationum locis.

CAP. VI.

Si duo sibi admodum sint similia: vt excellentiam cernere nullam posſimus: qua alterum alteri excellat: videndum est, an ex consequentibus id colligi queat. ad quod enim vel maius bonum, vel minus malum consequitur: id optabilius est.

Capitu

Capite superiori de illis Comparationū locis egimus: quibus rerum excellentiam ex simplici duarum rerum inter se collatione cognoscimus: hoc loci siue regulæ traduntur: quæ etiam illorum excellentiam iudicare docent: quæ sibi admodum sunt affinia & similia: vt ex simplici duorum inter se comparatione alterius præstantiam nō animaduertas. in his igitur consequentia illorum sunt consideranda. consequuntur autem rem aliquam & bona & mala. præstantior illa ex duabus erit: ad quam maius bonum: item ad quam minus malum seu incommodum consequitur. vnde illud: ex duobus malis minus malum eligendum est. nihil enim obstat: quo minus res bonas & optabiles incommodum aliquod consequatur.

Est autem hæc à consequentibus consideratio duplex: quemadmodum duplicia sunt, quæ sequuntur. consequens enim aliud prius, aliud posterius est: v.g. ad discentem ignorantia prior, & scientia posterior consequitur: estq́ plerunq́ posterius consequens melius. ex his igitur quod vtile videbitur, eligendum est.

Præterea plura bona paucioribus anteponenda sunt.

Plura bona paucioribus præferenda sunt: & quod plura bona consequuntur: illud quoq́ alteri præferendum est: exceptionem vide apud Aristotelem. Top.3.c.2.

Eadem si cū voluptate fiant, magis eligenda sunt, quàm si absq; voluptate fiāt: quem-

admodum etiam eadem cum indolentia magis eligenda sunt quàm cum dolore.

Vnum quodq; etiam eo tempore, quo plurimũ valet optabilius est: & quod omni tempore, eo, quod plurimis.

Sic prudentia Senum optabilior est, quàm adolescentum. sic herba aliqua aliam hoc tempore, aliam alio virtutem habet. Iustitia quoq; & temperantia fortitudini præstant: quia hæc aliquando tantùm: illæ vero semper necessariæ sunt & in precio. Sic Apostolus caritatem fide maiorem esse probat.

Ex duobus illud magis eligendum est: quod si omnes haberemus, alero noñ indigeremus, quàm quod si haberemus, altero etiam indigeremus.

Sic iustitia fortitudine præstantior est: & magis expetenda. si enim iusti omnes essemus: fortitudine non esset opus. contrà etsi omnes fortes essemus: iustitia tamen egeremus.

Præterea ex ortu & interitu, ex abiectionibus & acceptionibus & cõtrariis ducenda argumenta sunt. Quorum enim interitus abiectiones & contraria magis fugienda & cauẽda sunt: illa magis eligenda sunt: quorum verò acceptiones & ortus magis eligẽda sunt: & ipsa magis sunt eligenda. Amplius magis eligendum est quod

quod bono propinquius eſt & ſimilius: quàm quod illi diſsimilius eſt, ab eóque remotius.

Sic quidam Aiacem Vlyſſe meliorē dicebant: quod propius ad Achillem accederet: eiq́ ſimilior eſſet.

Item è duobus quorum alterum meliori, alterum deteriori ſimilius eſt, melius illud eſt, quod meliori ſimilius eſt.

Exceptionem vide apud Ariſtotelem. Top. 3. c. 2.

Melius etiam eſt, quod difficilius acquiritur: quod non omnibus commune eſt: quod ab incommodis immune eſt. Amplius, ſi hoc ſimpliciter altero melius eſt: etiam huius optimum optimo illius ſimpliciter melius eſt.

Exempli cauſa: ſi aurum argento ſimpliciter melius eſt: etiam optimo argento optimum aurum ſimpliciter melius eſt.

Præterea quæ cum amicis communicare licet, ea magis eligenda ſunt quàm quæ non licet.

Sic nobilitati diuitiæ: fidei charitas & bona opera anteponenda videntur. Huc diſputatio Iacobi referri poſſe videtur.

Meliora etiam ſunt quæ ex abundanti ſunt quàm quæ neceſſaria ſunt.

Sic bene viuere ipsi viuere præstat : quorum illud ex abundanti est: hoc necessariũ. Atq; hæc satis sunto: cetera ex Aristotele petantur.

DE LOCIS GENERIS.

CAP. VII.

Vt intelligas, an quod alicuius genus esse perhibetur, illius reuera genus sit, primò tibi considerandæ sunt omnes illius, cuius genus esse perhibetur, species, vidẽdumq; num aliqua sit, cui nõ competat.

Capitibus sequentibus de locis generis, proprij & definitionis præcipitur. Locos generis & proprij non Topic. 4. cap. 1. *ita frequentes in dialecticis collocutionibus esse Aristoteles testatur: vtiles tamen ad definitiones: quæ ex genere & differentia construuntur. Cum locis ge-* in 4. Top. cap. 1. *neris etiam differentiæ locos Philosophus coniungit: ob illorum, vt Auerroes ait, paucitatem. Sunt autem locorum generis, vt ait ex Themistio Auerroes, bases quatuor: vna: quòd genus inseparabile à re illa sit cuius genus est: altera: quòd de toto subiecto prædicetur: tertia: quòd prædicatione etiam subiectum exuperet: postrema: quòd de subiecto in eo quod quid est prædicetur. Cuicunq; igitur vna harũ quatuor conditionum deest, illud genus nõ est: in quo omnes quatuor simul inueniri necesse est. Ex quo liquet : destruere genus facilius esse quã adstruere: cùm ad illud suf-*

ſufficiat: ſi vnica harũ conditionũ abeſſe monſtretur: ad hoc verò non: niſi ſimul omnes adeſſe monſtrentur.

Senſus primi loci eſt: ſi prædicatum vt genus, de ſubiecto aliquo prædicari illiusq́ genus eſſe, dicatur: vt ſcias num hoc reuera illius genus ſit, necne: diuidendum ſubiectum illud in ſuas ſpecies eſt, & ſpecierum ſpecies, vſque ad indiuidua: videndumq́; num de omnibus illis prædicetur: ſi de omnibus prædicatur: genus eſt: ſi vel de vno non dicatur, genus non eſt: non ſecus atque ſuprà in ſecundo loco generali de accidente monuimus.

Deinde, ſi non in eo quod quid eſt, prędicetur, ſed vt accidens.

Genus in eo quod quid eſt prædicari notum eſt. Quicquid igitur non ſic de ſubiecto dicitur, ſed tantùm prædicatione accidentis, quod modò adeſt modò abeſt, id genus non eſt: cum genus à ſpecie inſeparabile ſit. Sic color albus non vt genus: ſed vt accidens de niue prædicatur. Vt autem appareat: an aliquid vt accidens & non vt genus prædicetur, conſideranda eſt accidentis definitio. Cuicunq; enim illa conuenit: id non vt genus, ſed vt accidens ſubiecto attribuitur.

Amplius: ſi non in eadem diuiſione genus & ſpecies ſint: ſed alterum quidem ſubſtantia ſit: alterum qualitas: vel alterum relatio: alterum qualitas.

Si diuidendo ſubiectum ſiue, ſpeciem in alio prædicamento ſubiectum, in alio prædicatum reperias: planũ eſt: hoc non eſſe illius genus. v.g. nix & Cycnus ſubſtantiæ ſunt: album verò qualitas: ex quo liquet: hoc non eſſe illorum genus.

Rurſus, conſiderãdum eſt: num neceſſe ſit: vel num contingat: vt genus illud participet: quod poſitum eſt in genere.

Poni in genere ſpecies dicitur & quod anguſtius eſt: quod ſub genere, tanquam pars, continetur: poni inquam, dicitur: quando genus de eo prædicatur. Sic homo, Petrus, in genere ponitur: ſi de eo animal enũcietur. participare verò illud genus dicitur: cum illius definitionem recipit. ſenſus igitur eſt: ſpecies omnis definitionem generis recipit: genus verò nullius ſpeciei. Si igitur prædicatum vt genus ſubiecti aſsignetur: videndum eſt: num ſicut prædicati ſiue generis definitio ſpeciei competit: ita viciſsim ſpeciei generi competat. Hoc ſi fiat: prædicatum genus non eſt. oportet enim genus latius patere ſpecie. Sic videmus: locos iſtos ad quatuor illas baſes redire.

Amplius videndum eſt: num de aliquo poſita ſpecies vera ſit: genus verò non ſit.

Si ſpecies poſita, hoc eſt ſubiectum certi problematis de quo agitur, verè alicui attribuatur: ipſum verò attributum, quod vt genus illius aſsignatur, ei non attri-

attribuatur: perspicuum est: id non esse genus. v. g. si scibile genus opinabilis statuatur: opinabile est scibile: opinabile autem ei etiam quod non est attribuatur: cui scibile attribui nequit: siquidem opinari quæ non sunt licet: scire verò nequaquam: planum est: τὸ ἐπιστητὸν non esse genus τοῦ δοξαστοῦ.

Rursus videndum est: an nullius specierum particeps sit, quod positum est in genere.

Quod nulla est ex speciebus primis istius generis: illius quoq; hoc non est verum genus. Ponatur motus genus voluptatis. Si neq; ortus est: neq; interitus: neq; variatio: neq; accretio: neq; imminutio: neque latio voluptas: etiam non est species motus: neque motus illius genus.

Præterea videndũ est: an de pluribus quàm genus, dicatur id quod in genere positum est.

Si species communior genere est: manifestum est: eam speciem illius non esse.

Rursus vtrũ de æqualibus genus & species dicantur.

Si neutrum neutro communius sit: planum est: ea species & genus non esse. Sic vnum & ens species & genus non sunt: quia æqualia sunt.

Videndum autem etiã est: nũ non alicuius, quæ specie non differunt, genus illud sit, quod dicitur, aut num non esse videatur.

Seruit hic locus destruenti & adstruenti. Si attributum genus esse vnius saltem indiuidui, (hoc enim specie non differt) quod sub specie & subiecto continetur, monstretur: omnium simul genus est: sin vnius genus non esse ostendatur: nullius genus est. v. g. Si ostendas animal genus esse Socratis: simul ostendis: illud omnium hominum genus esse: sin monstres: lineam imparis numeri genus non esse: ostendis etiam, illam nullius numeri genus esse. Plures generis locos non addo. nā si omnes, qui ab Aristotele enumerantur, omnium quatuor Topicorum attributorum locos huc adferre vellem; in immensum libellus noster excresceret. Tantùm triplex illud inter genus & differentiam discrimen breuiter adijciam.

li. 4. Top. cap. 6. Quoniam autē quibusdam differētia quoq; in quid de speciebus prædicari videtur; separandum genus à differentia est, istis, li. 4. Top. cap. 2. quæ dicta sunt, elementis: primùm, quia genus de pluribus dicitur quàm differentia: deinde; quia in responsione ad quæstionem quid est magis conuenit genus, quàm differētiam, dicere: tum quia differentia qualitatem generis semper significat: genus autem nunquam differentiæ qualitatem.

Triplex hîc ratio præscribitur: qua genus à differentia discernitur: vna: quòd genus de pluribus, ἐπὶ

πλέον,

πλέον, dicatur: altera: quòd genus ad quæstionem quid est aptius respondeatur quàm differentia: v. g. qui dicit, hominem esse animal magis naturā illius exprimit: quàm qui pedestre dicit: postrema: quæ simul probatio quædam secunda est: quod differentia semper qualitatē generis significet: (significat enim differentia ποῖόν τι, ποῖόν τι scilicet, γένος, siue ποιότητα τοῦ γένους) genus verò nunquā differētiæ. Qui enim dicit, homo est pedestris ratione præditus, is quale quid dicit: quia animal tale, pedestre scilicet vel ratione præditum dicit: qui verò dicit, homo est animal, is non quale quid pedestre dicit: hoc est: differentia simul etiam genus notat: genus verò non differentiam. His reliqui generis apud Aristotelem loci absq; difficultate adijci possunt.

Ex his apparet: locos generis regulas & modos esse: quibus docemur: vtrū quod pro genere alicuius venditatur, reuera illius genus sit, nec ne: siue quibus vtrunq; docemur: & quo pacto probandum sit, hoc huius genus esse: & quo pacto id refutandū sit: ideoq; quibus instructi, apti sumus ad dialecticas collocutiones. Hinc quoq; planum fit quod suprà diximus: Dialecticam de illis tantùm rebus agere: quæ in animo sunt quæstio enim ista, vtrum id quod genus esse dicitur reuera genus sit, de ea re quærit, quæ extra animum nihil est: cùm genus nihil sit nisi quatenus mente concipitur.

DE LOCIS PROPRII.
CAP. VIII.

Primum igitur, rectè nec ne aſsignatũ proprium ſit, ex hiſce videndum eſt. rectè vel nõ rectè aſsignatur: ſi per notiora, vel nõ per notiora ponitur proprium.

Top.5.c 1. *Proprium quadruplex conſtituit Ariſtoteles: per ſe: ſemper: ad aliud: aliquando. proprium per ſe, eſt quartum illud prædicabile: de quo in parte communi: ſemper propriũ vocat, quod ſemper & omni tempore de re illa, cuius proprium eſſe perhibetur, verum eſt: & quod nunquam amittitur: quale eſt illud animalis, quòd ex anima & corpore ſit compoſitum. hoc non multum à proprio per ſe, quod etiam perpetuitatem includit, diſcrepat. ad aliud, ſiue comparatione ad aliud proprium dicitur, quod rem aliquam non ab omnibus alijs, ſed ab aliquo tantũ, cum quo comparatur, diſcernit. Sic bipedem eſſe, proprium eſt hominis, reſpectu equi. atque hoc ferè idem eſt cum illo, quod proprium ſecundi modi vocatur: aliquando verò proprium, eſt, quod non ſemper ineſt, ſed tantum aliquo certo tempore: vt intereſſe concioni in templo. Proprium comparationis ſiue ad aliud, duas rurſum ſpecies habet. vel enim omnia & ſemper diſcernit: vel plerunq; & pleraque. Omnia & ſemper diſcernens, ſiue omnibus & ſemper proprium, eſt illud hominis ad equum, eſſe bipedem: ſicut enim omnis homo*

homo & semper bipes est: sic nullus equus, & nunquam bipes est. plerisque & plerunque proprium est, vt pars animæ intelligens imperet: appetitus siue affectus obtemperent. id enim non semper fit: neque in omnibus. Proprium istud comparationis, aliquando duo, aliquando quatuor problemata efficit: duo: cùm alterius tantùm proprium de alterutro illorum, quæ comparantur, affirmatur: de alterutro verò negatur. v. g. homo est bipes: equus non est bipes: quatuor verò: cum vtriusque proprium de vtroque & affirmatur, & negatur. v. g. homo nō est bipes: homo est quadrupes: equus est bipes: equus non est quadrupes. Quodcunque autem horum monstretur: destruitur quod positum fuerat, hominem scilicet esse pibedem. Ceterum loci, qui hîc traduntur, ad illud solùm proprium attinnent, quod per se est & semper.

Primus locus iudicare docet: num rectè proprium assignatū sit nec ne: quod sic cognoscitur. Si id quod alicui rei vt proprium attribuitur, illa re notius non est, non bene assignatum est: sin notius est: benè. notius verò & ignotius propriū esse potest duobus modis: vno: si prorsus sit ignotius: vt si quis ignis propriū ponat, similimum animæ (ignis enim notior anima est) altero: si notius non sit, hoc huic inesse. vtrouis horum deficiente, malè expositum proprium est. Proprium, quemadmodum etiam definitionem, assignamus, cognitionis & discendi causa: vt scilicet illud, quod definimus, vel cuius proprium adferi-

mus exacte cognoſcamus. notius igitur proprium eo, cuius proprium eſſe perhibetur, eſſe oportet: non ſolum ſimpliciter: verum etiam quòd illi inſit. Seruit deſtruenti hic locus: ſi proprium ignotius eſſe: conſtruenti ſiue propugnanti: ſi illud notius eſſe oſtẽdat.

Deinde deſtruentem quidem videre oportet: num aliquod nominum illorũ, quibus proprium aſsignatur, multis modis dicatur: vel etiam num tota illa oratio plura ſignificet, cõſtruentem verò: ſi plura non ſignificet, neq; vocabulum vllum: neque tota oratio.

Deſtruitur & refutatur proprium: ſi id ambiguis verbis, vel oratione ambigua aßignatum oſtendatur: confirmatur: ſi omnia propria ſint, remq́ vnam declarantia.

Amplius, deſtruentem quidẽ, videre oportet: an multis modis illud dicatur, cuius proprium adfertur: nec determinatum ſit, cuius propriũ eſſe dicatur: conſtruentem verò: an non multis modis dicatur: ſed an vnum ſit & ſimplex.

Hic locus ſuperiori ex aduerſo reſpondet. Oportet deſtruere volentem videre: num illud cuius proprium adfertur, homonymum ſit. ſi ſit: & non expreſſe colloquens dicat: ſe illius, in hac ſignificatione accepti pro-

proprium aßignare: non rectè propriũ aßignat. v. g. ſi quis electi proprium eſſe dicat, vocari: non explicans: in qua ſignificatione electum accipiat: male aſſignat. rectè autem aßignari probare volens, oſtendere debet: illud, cuius proprium allatum eſt, homonymum non eſſe.

Præterea deſtruentem quidem conſiderare oportet: an crebrius idẽ in proprio dictũ ſit; confirmantem autem: an nullo nomine crebrius vtatur.

Recte ponitur, quando nulla ſit inanis eiuſdem nominis repetitio: male: cum eiuſdem vocis ſit repetitio. Conturbatur enim auditor: itaq́ tota illa oratio, qua proprium exprimitur, obſcura ſit. Tale eſt, ſi quis ignis proprium his verbis efferat: corpus leuiſſimum omnium corporum.

Rurſus deſtruentem quidem videre oportet: an in proprio explicãdo tale aliquod nomen adhibuerit, quod omnibus inſit: Confirmantem autem: an nullo vſus ſit cõmuni, ſed tali, quod ab aliquo ſeparet.

Male ponitur: ſi illius orationi nomen commune inſit. quod enim commune eſt: id ab alio non ſegregat. ita ſi quis proprium ſide iuſtificati ponat pacem cum Deo habere & conferre eleemoſynam, malè pro-

prium ponit: quia commune adhibet quod est eleemosyna. Benè ponitur: si commune nihil insit.

Præterea distruitur proprium, si quis plura assignet eiusdem propria, non explicās quòd plura ponat: confirmatur si non plura, sed vnum ponat.

Destruitur proprium: si vnius rei non vnum tantum, sed plura propria pro vno adferātur: v.g. si ignis proprium ponatur, corpus tenuißimum & leuißimum: duo propria ponuntur: cùm vtrumque de solo igne verum sit. Confirmatur, si vnum tantum aßignatum sit.

Pręterea, refellitur proprium: si eo ipso vtatur, cuius proprium asignat, vel aliquo illius: confirmatur: si neque eo ipso, neque aliquo illius vtatur.

Non rectè proprium aßignatur, si vel illud ipsum cuius proprium aßignandum est, loco proprij ponatur: vel pars illius. vtrumuis enim fiat: proprium notius non erit. si idem proprij loco ponatur: non notius, sed æquè notum erit: si pars: ignotius: quia posterius. Ex his paucis locis, reliqui, quos Aristoteles subijcit iudicandi sunt.

DE

DE ALIIS QVIBVSDAM *proprij locis.*

CAP. IX.

Primùm quidem igitur refellentem respi- re ad singula illa oportet,quę sub illo,cu- ius proprium allatum est , continentur: veluti,an nulli eorum insit: an de hoc ve- rè non dicatur:an non sit vniuscuiusque proprium,ratione illius,cuius proprium perhibetur:confirmantem autem : añ de omni verè dicatur:& ratione huius.

Capite superiori locos quosdam indicauimus : qui ostendunt:rectè ne vel non rectè positum proprium sit:hoc paucos quosdam enumerabimus:quibus docemur:num id, quod proprium esse ponitur, proprium sit, nec ne. Destructurus igitur proprium, siue demonstraturus id proprium non esse, considerare singula debet: quæ sub illo, cuius proprium aßignatur, continentur. si enim vel nulli illorum inest: vel de aliquo non verè enunciatur: vel nõ singulorum illius respectu. cuius proprium esse ponitur, proprium est pro proprio non est habendũ. v:g. si quis Scientis propriũ ponat, non decipi ratione posse: consideranda singulæ scientis species sunt. Si igitur videã: id de Geometra dici nõ posse (decipitur.n.crebrius ὑπὸ τῶ ψευδογραφεῖν) manifestũ est. id Scientis proprium non esse.

Construenti verò ostendendum est : illud de singulis verè idq́ vt proprium: & quidē illius cuius proprium perhibetur, causa, enunciari. quod cùm sit : verum proprium est.

Deinde destruenti quidem videndum est: an de quo oratio vera est, non etiam nomen verum sit : & an de quo nomen verum est, non etiam oratio vera sit : construenti verò,an de quo oratio enunciatur,etiam nomen prædicetur: & de quo nomen,etiam oratio.

Nomen hîc vox illa dicitur : qua res aliqua,cuius proprium aßignatur,appellatur : oratio, verba illa: quibus proprium exprimitur. Si igitur oratio rei alicui competit:de qua nomen verè non enunciatur: vel vice versa:non est hoc verum proprium.v.g. Scientiæ capacem esse,cùm etiam intelligentijs competat:quibus hominis appellatio non conuenit, non erit verum hominis proprium. Propugnantis ratio huic contraria est.

Amplius destruētem quidem videre oportet:an subiectum vt proprium asignarit illius,quod in subiecto esse dicitur: Construentem verò : an id quod in subiecto est,subiecti proprium asignarit.

Si quod in subiecto est proprium , subiecti loco ponatur:

natur: ipsum verò subiectum vt proprium illius assignetur: verum proprium non est. Si quis subtilissimi corporis propriũ esse dicat ignem: is ex subiecto proprium: & ex proprio subiectum facit: itaq; ordinem naturalem inuertit. Construentem contrarium decet ostendere.

Rursus destruẽtem quidẽ cõsiderare oportet: an per participationem proprium assignarit: construentem verò: an non per participationem assignarit: nec quiditatem significans: licet cnm re cõuertatur.

Iuxta participationem propriũ assignatur: cùm naturam siue τὸ τί ἐστι rei, cuius proprium esse dicitur, declarat: ideoq; non proprium sed differentia aut genus est. proprium cum illa re, cuius proprium est, conuerti debet: ita tamen: vt τὸ τί ἐστι illius non exprimat: neque ad essentiam illius pertineat. est quidem proprium accidens essentiale: quia essentiam consequitur: sed non est pars essentiæ. Destruitur igitur, si τὸ τί ἐστι significare monstretur: defenditur: si non significet: quamuis cum re conuertatur.

Hactenus paucos quosdam locos attulimus: quibus docemur: & quando non rectè proprium assignetur: & quando prorsus proprium non sit, quod assignatum est. Atq; hi sunt loci proprio proprij: quemadmodum etiam reliqui, qui ab Aristotele cum istis connectuntur. Tertio deinde loco Aristoteles etiam

ex cōmunibus illis locis, à coniugatis, à similibus &c. proprium iudicare docet: quod quo pacto fiat, ex ipsis fontibus hauriatur.

DE LOCIS DEFINITIONIS, *non rectè constructæ.*

CAP. X.

Duobus fieri modis solet: vt malè aliquid definiatur: altero: si obscura interpretatione vsus sit: altero: si plus dixerit, quàm debuit.

Top.6.c.1. *Tractatio hæc de definitione, quinq; vt autor est Aristoteles, partibus continetur: h. e. quinque modis definitio destruitur: vno: si definitio rei illi cui nomen competit, planè non conueniat: altero: si genus in definitione non sit expressum: vel certè non genus domesticum: tertio: si definitio propria non sit, & cum re quæ definitur, reciproca: quod fit: quoties vel communior est, vel angustior: quarto: si τὸ τί ἐστι nō contineat: postremo: si non rectè sit definitum. Primæ tres conditiones ex superioribus locis iudicãtur: prima ex locis accidentis: altera ex locis generis: tertia ex locis proprij: v. g. si quis hominem definiens, animal immortale, æternum, esse dicat: is definitionem adfert: quæ rei illi, cui nomen conuenit, & quam se definire dicit, non competit: id quod ex locis accidentis demonstratur. De tribus igitur istis conditionibus*

hic

hic nihil seorsum præcipitur: tantùm duarum postremarum loci traduntur: & quidem priori loco illius, quæ est de non rectè definiendo.

Malè igitur & non rectè definire duobus modis contingit: altero: si definitione obscura vtatur, qui definit: altero: si plura in definitione ponat, quàm oporteat: quorum vtrunq; diuersis modis fieri solet: quot ex Aristotele breuiter & ordine recensebimus.

Primus igitur locus illius quod obscurè dicitur, est, si homonymô aliquid sit, quod in definitione ponitur.

Obscura definitio fit: ideoq; mala: si vel vna vox, vel plures in ea homonymæ sint: vt si quis sanitatem Symmetriam calidorum & frigidorum definiat. vox enim συμμετρίας plura significat: quo fit: vt nō certò constet: quo sensu in definitione accipiatur. mala talis definitio est: quia inutilis ad cognitionem: cuius causa definitio aßignatur. eandem ratio est: si res quæ definitur homonyma sit. incertum enim est, quidnam definiatur. Tople. 6. cap. 2.

Alius, si iuxta metaphoram dixit.

Secundus locus, qui obscuram definitionem esse ostendit, metaphora est. In quacunq; definitione metaphora est: illa obscura est: quia omne metaphoricum obscurū est: puta in definiendo. si quis scientiā ἀμετάπτωτο definiat: temperantiam concentū: is metaphoris vtitur: ideoq; obscurè & malè definit.

Præterea, si non positis vocabulis vtatur.

Si definitio non vsitatis & notis, sed inusitatis & incognitis vocibus constet, obscura est. Omne enim inusitatum obscurum est.

Quædam verò nec per homonymiam nec per metaphoram, nec propriè dicuntur.

Hoc est, in quibusdam definitionibus nec homonymia est: nec metaphora: quæ tamẽ propriæ & planæ non sunt: quod fit: cùm nimis ex remota similitudine vocabula arcessuntur: vt, si quis legem definiat, quòd mensura seu imago sit naturâ iustorum: aut Scripturam Sacram, quòd imago sit. Talis definitio peior est metaphorica: quæ rẽ definitam aliquo modo propter similitudinem declarat: quod hæc nullo modo facit: quia nimis remota similitudo est: quam ob causam metaphorica dici non potest.

Amplius, si contrarij definitio manifesta nõ fiat ex allata: aut si per se prolata ignoretur, cuius definitio sit.

Duplicem obscuræ definitionis notã hic locus continet. si contrariæ rei definitionem non etiam quodam modo innuit, alicuius rei definitio, obscura & mala est. Contrariorum enim eadem scientia est. si seorsum absq; re definita efferatur: incertumq; sit: cuius nã rei definitio sit: similis est illis picturis, quas, quid sibi velint, quidue repræsentent, tantisper ignoramus:

ramus:donec quis illud adſcribat. Et hactenus quidem, quot modis non bonam efficiat definitionem τὸ ἀσαφὲς: nunc quot modis τὸ ἐπὶ πλέον.

Primò igitur videndum eſt: an aliquo vſus ſit, quod omnibus inſit: vel ſimpliciter omnibus, quæ ſunt: vel illis, quæ ſub eodem genere ſunt cum rebus definitis.

Ἐπὶ πλέον *definitio eſt, & cõmunior re definita duobus modis: vno: ſi definitioni inſeratur, quod omnibus vniuersè rebus competit: altero: ſi inſeratur, quod nõ omnibus quidem vniuerſe rebus: veruntamen etiam non illi ſolùm rei ſed alijs etiam quæ ſub eodem cum illa genere ſunt, competit. exemplum prioris: homo eſt animal rationale, tres dimenſiones habens, vel reapſe ſubſiſtens. inſeritur definitioni, quod non ſolùm animali, ſed omni etiam corpori omniq; rei, competit. Exemplum poſterioris: homo eſt animal rationale, mortale. additur mortale, quod omnibus animalis ſpeciebus ineſt.* ἐπὶ πλέον *igitur hæc definitio eſt: ideoq; non rectè & legitimè constructa. ratio huius loci manifeſta eſt. genus enim in definitione exprimitur: vt rem definitam ab eo diſtinguat quod genere communis eſt: differentia: vt eam à genere, & ceteris eiuſdem generis ſpeciebus diſcernat.*

Aut videndum eſt: an proprium quidem ſit

quod appositum est: ipso verò ablato etiã reliqua oratio propria sit, essentiamque declaret.

E'πὶ πλέον & superflua illa definitio est: in qua etiam propriũ superfluum ponitur: quod superfluum esse deprehenditur: si eo ablato, nihilosecius reliqua oratio seu definitio cum re definita reciprocet, eiusq́ essentiam exprimat. Ita si quis huic definitioni, homo est animal ratione præditum, doctrinæ capax addat: proprium quidem addit: sed superfluũ: quia etiam eo demto, essentia hominis reciproca exprimitur oratione.

Simpliciter autem loquendo, superfluum omne illud est: quo ablato, perspicuam rem definitã id quod reliquum est facit.

Quicquid non necessariò ad rei definitæ cognitionem requiritur, siue proprium sit, siue nõ proprium, id superfluum est: & superfluam efficit definitionem. Talis est illa animæ definitio: quòd numerus sit, se ipsum mouens. numerus enim redundat.

Præterea videndum est: an aliquid eorum, quæ in definitione sunt, nõ omnibus insit, quæ sub eadem specie continentur.

Si vox aliqua definitionis non omnibus competat, quæ sub re definita comprehenduntur, superflua est. hæc definitio prioribus peior est. Talis est: si quis dicat,

cat, homo est animal ratione praeditum, quatuor cubitorum. τετράπηχυ *enim non omnibus hominibus competit.*

Rursus videndum est: an idem crebrius dixerit.

Hoc est, an qui definiuit, idem de eadem re definita crebrius enunciarit. Tale est illud Xenocratis: qui prudentiam definitiuam & contemplatiuam dixit eorum quae sunt. definitiuum enim & contempla- Top.6.c.3. *tiuum idem sunt: cùm illud huius pars sit. Exceptionem vide apud Aristotelem.*

Videndum item est: an illi, quod vniuersè dictum est, aliquod particulare adijciat.

Superflua definitio fit: si quod generatim dictum est, in parte etiam dicatur. exempli causa: si quis aequitatem imminutionem eorum quae vtilia & iusta sunt, definiat. quod enim iustum est, id vtile quiddam est.

DE LOCIS τοῦ τί ἐστι.

CAP. XI. ET vltimum.

Vtrum verò dixerit & definierit τὸ τί ἐστι necne, ex hisce videndum erit. Ac primùm quidem si nō ex prioribus & notioribus confecerit definitionem.

Hactenus alterius partis, quæ de nō bene definiendo erat, locos breuiter explicauimus: & eos quidem omnes: qui ab Aristotele enumerantur: nunc alterius quoq; partis, cuius innumeros Aristoteles proponit, paucos quosdam proferemus: ex quibus etiam reliqui quodā modo intelligentur. Vt igitur scias: vtrum definitio naturā & τὸ τί ἐστι rei definitæ exprimat: vide: vtrum ex prioribus & notioribus confecta sit.

Vt locus iste, qui plurimum eruditionis continet, rectè intelligatur, sciendum est: quot modis aliquid prius & notius dicatur. Prius igitur & notius aliquid duobus modis dicitur: simpliciter siue naturâ: & nobis. simpliciter prius & notius dicitur, quod simplicius est: quodq; principium est & causa, cur alterum sit: quo ablato, alterum aufertur. sic materia, forma, elementa simpliciter priora & notiora sunt corpore naturali: priora quidem: quia illius causæ & principia: notiora: quia cognitio & scientia huius ex illis pendet. Nobis prius & notius compositum dicitur: quod naturæ ordine posterius quippiam est, & effectus rationem habet. dicitur notius: quia vel in sensus incurrit: vel sensibus proximum est: vt cognosci à nobis facile queat: prius: quia prius quam simplicia & causæ, quæ remotæ à sensibus sunt, à nobis cognoscitur. Sic homo iste homine nobis notior est: homo animali.

Sensus igitur primi loci est: vt definitio naturam rei definitæ verè exprimat: necesse est: eam ex eius-

modi rebus constare: quæ vtroq; modo, & simpliciter, & quò ad nos, re definita priores sint & notiores. definitio enim cognitionis causa construitur: ad quã, vt ex demonstrationibus liquet, vtrunq; prius requiritur: simpliciter quidem: quia scire est rem per causam cognoscere: nobis autem: quia nobis inutilis est ille docendi vel significandi modus: qui ex nobis incognitis exorditur.

Sed quærat aliquis: cùm alia simpliciter: alia nobis notiora & priora sint, quo pacto defintio ex ijsdẽ simul constabit? Respondeo ex Aristotele: aliquando quidem fieri: vt quæ simpliciter notiora sunt: ea nobis ignota sint: sed non semper: aliquando enim eandem rem & simpliciter & nobis notiorem esse. Perfecta igitur definitio ex vtroq; modo notioribus constat: veruntamẽ propter aliquos aliquando, qui causas & principia cognoscere non valent: ex eiusmodi rebus conficienda erit: quæ ipsis tantum sunt notiores. Talis est definitio puncti, lineæ, superficiei: quæ ex posterioribus, non prioribus naturâ constat. Sed simul tenendum est: eiusmodi ex naturâ posterioribus rebus confectas definitiones, τὸ τί ἐστι non explicare: ideoq; perfectas definitiones nõ esse. patet: quia legitima, quæ τὸ τί ἐστι explicat definitio, ex genere & differentia constare debet: quorum vtrunq; vtroq; modo prius & notius est composito. Deinde si veras existimemus & perfectas eiusmodi definitiones esse, quæ ex rebus cuiuis notioribus conficiuntur: seque-

Top.6.c.3.

tur: vnius & eiusdem rei diuersas & plures definitiones esse: cùm alia aliis sint notiora: neque solum diuersorum respectu plures eiusdem rei definitiones erunt: verùm etiam vnius & eiusdem hominis respectu: cum alia iuueni siue puero: alia eidem viro aut seni notiora sint. Vnica igitur est perfecta definiendi ratio, ex vtroq; modo notioribus: quamuis, vt dictum est, imperitis se se nonnunquam liceat accommodare: qui simpliciter notiora non capiunt: quæ ab excellentibus tantùm, & dextris ingeniis percipiuntur. Refutatur definitio; si neq; ex simpliciter, neq; ex nobis notioribus rebus constet. Obseruandum tamen est: non omnes res ita comparatas esse: vt prioribus definiri queant: plurimæ enim teste etiam Auerroe, sunt: quæ ex posterioribus definiendæ sunt: vt instrumēta omnia: quarum etiam definitiones descriptiones potius sunt, quàm definitiones: quæ solarum compositarum substantiarū sunt: ad quas etiam propriè præceptum istud attinere Auerroes asserit. Atq; hic prior locus est: qui ostendit: definitionem ex notioribus non constare: si priora per posteriora, definiat.

in epit. in 2. Poster. cap. 1.

Top. 6. c. 3.

Alter locus (duobus enim modis fieri potest, vt nō ex notioribus definitio constet) est: si res quiescens & definita per infinitam & in motu positam, definiatur. finitum enim & quiescens infinito & in motu posito notius est.

Illius verò, quod est ex non prioribus, tres sunt loci: vnus: si oppositum per oppositum definiatur: exem-

plū

pli causa: si bonum per malum definiatur, hoc modo: bonum est res: quæ nõ est mala. hæc definitio ex prioribus non constat: cùm opposita simul sint naturâ: vt taceam: quòd talis definitio etiam non sit ex notioribus: quando eadem duorum oppositorum scientia est. Tantum relata excipiuntur: quæ definiri nõ possunt: sine correlatorum mentione.

Alter locus est: si ipsi definito in definitione vtatur. Talis est illa Solis definitio: quòd astrum sit de die lucens: diem enim in definitione ponens: ipsum Solem siue rem definitam ponit: cùm dies Solem includat: nihilq́ aliud sit: quàm latio Solis supra terram. Sic igitur definitum in definitione ponitur: cum eadem res ponitur: licet non idem nomen ponatur. Deprehenditur hoc vitium: si nomen rei in illius definitionẽ conuertatur: vt hîc dies, in definitionẽ diei.

Tertius est: si species disparata per disparatam definiatur: verbi gratia: impar est, quod vnitate maius est pari. Talia enim simul sunt naturâ. Quò etiam pertinet, si per inferiora superiora definiantur: verbi gratia: bonum est habitus virtutis. bonum enim virtutem sub se complectitur. Locus igitur ex prioribus & notioribus reuera vnicus est: quinque tamen siue partes, siue membra, quæ diximus, habens.

Alter τ̃ τί ἐστι locus, est videre: an genus rei definitæ in definitione non exprimatur.

Natura & essẽtia rei nõ exprimitur illa definitio-

ne: quæ genus quod proprie τὸ τί ἐστι dicit, non continet. Tale est: si quis corpus definiat, quod habeat tres dimensiones: tale: si homo definiatur, quod sit ratione præditus. differentia enim potius quale quid dicit, quàm ipsum quid est.

Vidēdum item est, an, cùm de pluribus res definita dicitur, definitio omnia complectatur.

Vt naturam rei definitio exprimat, necesse est: vt si partes quod definitur habet, omnes in definitione exprimantur: sin vna prætereatur: τὸ τί ἐστι non explicat. Ita si quis Grammaticam definiat, quod sit scientia scribēdi illud quod pronunciatum est: omittit legendi. Grammatica enim non magis in scribendo quàm in legendo occupata est. Ita si quis peccatū definiens dicat, esse actionem pugnantem cum lege Dei, is inclinationē & defectum siue morbum illum naturæ hæreditarium omittit: quem Apostolus non minus quàm actionem peccatum esse pronunciat.

Considerandum etiā est: an transiliens genera dicat.

Definitio, quæ loco proximi generis, quod præterit, remotum exprimit, τὸ τί ἐστι non declarat. verbi gratia: si quis iustitiam definiat, habitum æquabilitatis efficientem, is proximum genus, quod virtus est, omittit.

Rur-

Rurſus in differentiis ſimiliter conſiderandum eſt: num etiam differentias generis dixerit. Si enim nō propriis rei differentiis definiuit: vel etiam, ſi aliquid dixit, quod nullius differentia eſſe ſolet: manifeſtum eſt: eum non definiiſſe.

Hactenus locos Ariſtoteles de genere definitionis tradidit: quos nos, duobus exceptis, omnes recitauimus: deinceps locos differentiæ perſequitur: ex quibus duabus partibus omnis legitima conſtat definitio. Deſtruēti autem præcipitur. Vt igitur videas: vtrum definitio bona ſit, & τὸ τί ἐστι rei exprimat: primò, vt dictum eſt, conſiderandum genus eſt: deinde differentia. Si enim propriam & ſpecificam differentiam non continet, bona definitio non eſt. Ita ſi quis loco differentiæ in definitione aliqua ſubſtantiam ponat, aut animal: differentiam nullam adfert: cùm iſta nullius rei fiant differentia.

Ad iudicandā igitur propriam & ſpecificam generis differentiam, quæ ad definiendum apta eſt, hæc tria notanda ſunt: primum: vt videamus: an differētia in definitione aßignata aliam ſibi habeat è regione oppoſitam ἀντιδιῃρημένην. Sicut enim ſpecies ſub eodem genere ἀντιδιῃρημέναι ſunt: ita quoque differentiæ: quibus ſpecies conſtituuntur. Si nulla ſit differentia illi oppoſita: differentia non eſt. alterum eſt: ſi ἀντιδιῃρημένη, ſit: ſed quæ de genere verè non enuncietur: etiam altera vera non eſt generis differentia:

cùm eadem sit vtriusq;, vt pote ἀντιδιῃρημένων ratio. Extremũ est: si & ἀτιδιῃρημένη sit: & verè de genere enuncietur: sed generi iuncta speciem non faciat, nec altera differentia specifica erit. Atque hæc satis sunto.

Ex his omnibus liquet: quid priscis & sapientissimis illis Peripateticis Dialectica fuerit: & quis ac quotuplex illius finis sit. Ancillatur in primis, vt dictum est alibi, Dominæ suæ: eiq́; ita ancillatur: vt non solùm in rerũ indagatione probabilius suis argumentis viam illi sternat: verùm etiam in genus, differentiam, definitionem inquirit: num reuera talia sint, qualia esse perhibentur: eaq́; Dominæ suæ offert: quibus illa deinde vtitur, ad demonstratiuam rerum scientiam constituendam. Suppeditat deinde principia & probabilia argumenta ad disserendum cum quouis de re quauis, probabiliter. Quocirca etiã Aristoteles in Dialectica sua nõ solùm locos & regulas tradidit probabilium propositionũ: quibus quiduis refellere vel confirmare possemus: verùm etiam libro postremo diligenter tum de modo & via interrogandi, tum respondendi præcepit: quod, sicut alia quoque multa, ex ipsomet Aristotele est petendum.

Nobis satis est, formam saltem & ideam veræ, priscæ & Peripateticæ Dialecticæ delineasse.

PAR-

PARTIS PROPRIAE LIBER TERTIVS.

De Sophisticis Elenchis.

Quid Elenchus sit & quotuplex.

CAP. I.

ELenchus est Syllogismus: cum contradictione conclusionis.

Necessariam huius partis tractationẽ, velut ἀλεξιτήριον φάρμακον, vt à Philopono appellatur: deq́ ea seorsum præcipiendum in Logica fuisse, ex ipsa rerum natura, ex qua etiam totam suam Logicam deduxit, Aristoteles demonstrat. Quem ad modum enim in rebus naturalibus aliæ verè tales sunt, quales esse videntur: aliæ videntur quidem: reuera autem non sunt: vt hominum alij reuera formosi sunt: alij videntur, propter fucum. cum formosi reuera non sint: religiosorum alij verè religiosi sunt: alij tantùm videntur, hypocritæ: Sapientum alij verè sapientes sunt: alij tantùm videntur, Sophistæ: Sic in Logica Syllogismorum alij verò Syllogismi sunt: alij tantùm esse videntur. Ceterum istius rei, cur scilicet Syllogismi esse videantur, qui reuera paralogismi sunt: plures causæ sunt: quarum nobilis-

in præfat. in Poster.

li. 1. Elēch. cap. 1.

ſima & appoſitiſsima eſt vocabulorum homonymia: Quia enim de rebus verba facientes, non nudis rebus, ſed vocibus, rerum notis, vtimur: fit: vt eandem rerũ, quæ vocabulorum eſt, rationem eſſe putemus: quemadmodum in calculis accidere videmus: vbi eadem eſt calculorum & florenorum ratio, ſiue numerus. Sed res ſe non habet ita. Quia enim vocabulorum numerus finitus eſt: rerum autem infinitus: fit: vt paſsim vna eademq́ vox, eademq́ oratio plura & diuerſa ſignificet: quæ cauſa eſt: cur ſicut calculorum imperiti, facile & ab alijs & à ſe ipſis quoque defraudantur: ita vim vocabulorũ ignorantes, ſine labore decipiantur: quia exiſtimant: quod vocabulo competit: id rei quoque conuenire: non animaduertentes: vocabulum illud ambiguum eſſe: nec quicquid vocabulo cõpetit, id omnibus illius ſignificationibus conuenire.

Ex his ſatis liquet: quanti facienda ſit illorũ ſententia: qui putant: Ariſtotelem ex abundanti ſolum de Sophiſticis Elenchis præcepiſſe: reuera enim id neceſſarium non fuiſſe: quam ob rem etiam in partitione Logices librum hunc omittunt: nec Logices partem faciunt. Atqui perſpicuè Ariſtoteles docet: ſicut rerum naturalium quædam verè tales ſunt, quales eſſe videntur: quædam tantum videntur: ita quoque Syllogiſmorum. Ne igitur, quicquid ſplendet, pro auro haberetur: de apparentibus ſyllogiſmis fuit præcipiendum.

Non egit itaque de Sophiſtarum Elenchis ſapientiſsimus

tissimus Præceptor : quòd nos Sophistas esse vellet: neq; nos ista discimus: vt decipiamus : sed idcirco discimus: vt Sophistarum, quorum omni tempore semper maxima copia fuit, & in primis hoc nostro seculo est, sophismata deprehendere, dextreq; dissoluere possimus: quemadmodum etiam hanc ob causam librum istum Aristoteles conscripsit.

Porrò sicut in Apodictica & Dialectica paucis primum de genesi egit : ita quoq; hîc tribus verbis eam attingit: cum Syllogismum Eristicum ex propositionibus probabilibus, sed quæ tales esse videantur, reuera autem non sint, constare scribit : Postea εὐπορίαν *docet: & locos ostẽdit: ex quibus eiusmodi propositiones promuntur : qui ad numerum tredecim sunt: de quibus mox dicemus.*

li.1.Elẽch. cap.2.

Nunc ad definitionem Elenchi. Genus Elenchi syllogismus est: hoc est, forma illa Syllogismi: Apodictico, Dialectico & Sophistico communis. Elenchus enim Syllogismus est: sed Syllogismus quidam: quocirca loco differentiæ adÿcitur, cũ contradictione conclusionis: *vt significetur: non omnem, sed illum demum Syllogismum elenchum esse : qui conclusionem colligit, alterius conclusioni contradicentem.*

Est autem Elenchus duplex: verus, & falsus siue Sophisticus. verus est : qui ex veris præmissis legitimè infert contradictionem: Sophisticus: qui vel ex speciem tan-

tùm veri habentibus: vel non legitimam contradictionem concludit.

Ad verum elenchum, sicut ad quemuis syllogismum bonum, duo requiruntur: forma bona: & materia bona. forma suprà monstrata est: materiam res suppeditant: ex quibus syllogismus construitur: estq; aliud nihil: quàm medius terminus cum quæstione coniunctus. Bona igitur materia est: cùm medius terminus verè cohæret cum extremis: elenchus verus: qui & propositionibus veris constat: & qui in forma non peccat: falsus siue Sophisticus: cui vel vtrunque: vel saltem alterum deest. Contradictionem sane efficit: sed aliquando in materia tantum. aliquando in materia & forma simul peccat: nunquam vitio & dolo carens: quòd alioquin Sophisticus non esset. Dicitur Sophisticus talis siue elenchus siue syllogismus: quia elenchus & syllogismus esse videtur: qui nihil minus est: sicut etiam Sophistica speciem sapientiæ habet: & Sophista speciem Sapientis. Quem ad modum enim Sapientis est, semper vera, nunquam falsa, de rebus quidem, quas nouit, proferre: & falsa proferentem falsitatis & erroris conuincere posse: ita Sophistæ vtrunque horum imitatur: vt sapiens esse videatur. Atq; hæc causa est: cur ἀπὸ τοῦ σοφοῦ Sophista dicatur: quia sapientis simia est: vt pro sapiente habeatur.

Ceterum Elenchus Sophisticus, & syllogismus Sophisticus

phisticus hîc pro eodem sumuntur. Siue enim alteriũ cõclusionem ex professo refutare: siue suam probare thesin Sophista conetur: semper talem conclusionem colligit: quæ cum sapientis sententia pugnet. e.c. siue aduersum me, catholicè sentientem & demõstrantem, corpus Christi sua substantia vbique non esse, disputando Vbiquista concludat: siue ipse per se inferat, illud vbique esse: semper contradicet Catholicæ sententiæ ipsius conclusio: ideoq́ & syllogismus erit & elenchus Sophisticus: si quidem ad locum sophisticum sophisma ipsius pertinebit. Quemadmodum igitur elenchus Sophisticus duplex est: ita quoque syllogimus Sophisticus: quorum alter in materia solùm peccat: alter in materia & forma simul: nullus in sola forma: id quod expreßè Aristoteles docuit, cùm scripsit: Contentiosæ autem rationes sunt: quæ vel ex iis, quæ probabilia videntur, sed non syllogisticè concludunt: vel concludere videntur: *& planius alibi:* cùm scribit: Eristicorum syllogismorum alium syllogistica vi præditum esse alium destitutum.

li. 1. Soph. Elench. cap. 2. & li. 1. Top. cap. 1.

DE LOCIS SOPHISTICIS generatim.

CAP. II.

Locus Sophiſticus eſt ſedes medij termini Sophiſtici.

Locus generatim acceptus, quo modo in libro de ſyllogiſmo accipitur, ſedes eſt & domicilium medij termini. Iam quia medius terminus, pro ratione triplicis materiæ, triplex eſt: loci quoque particulares triplicis generis ſunt: quorum quidam propoſitiones neceſſarias, ſiue medium neceſſarium (medius enim terminus cum vtroque extremo coniunctus, propoſitiones conſtituit) quidam probabiles: quidam Sophiſticas & fallaces ſuppeditant. Quem ad modum verò loci demõſtratiui & Dialectici aliud nihil ſunt: quam modi & regulæ ſiue præcepta: quibus docemur: quale eſſe oporteat, & vnde petendum medium ſit vel neceſſarium, vel probabile: ſic loci Sophiſtici aliud nihil ſunt: quàm indices: medium Sophiſticum & fallax indicantes: ſiue, quod eôdem redit, modi & conditiones: quæ Sophiſticas conſtituunt propoſitiones. v.g. ad probandam hanc concluſionem: Iudas ſaluatus eſt: locus ille Sophiſticus, qui homonymia dicitur, medium offert: quod quia homonymum eſt, homonymas efficit propoſitiones, totumq́ue ſyllogiſmum

ſmum fallacē: Omnes electi ſaluantur : Iudas electus fuit: g. ſaluatus. Ita ad probandā hanc concluſionem: Chriſtus non fuit ante Abrahamum: medium ſuppeditat locus ille à dicto ſecundum quid: Qui poſterior eſt Abrahamo: is non fuit ante Abrahamum : Chriſtus eſt poſterior, g. non prior. Sic de reliquis. Quidam hos locos Sophiſticos fallacias vocant. Sed differunt. fallacia enim non eſt ipſe locus: ſed illud, quod ex loco fallaci petitum eſt: hoc eſt, vel totum Sophiſma: vel dolus ille malus in ſyllogiſmo latens: ob medium fallax, ex loco Sophiſtico petitum.

Sunt autem loci Sophiſtici tredecim: homonymia: amphibolia: compoſitio : diuiſio : proſodia : figura dictionis: accidens, dici ſecundum quid & ſimpliciter: elenchus: petitio principij : conſequens: non cauſa vt cauſa: duæ interrogationes vt vna : quorum ſex primi loci in dictione : ſeptem poſtremi extra dictionem conſiſtunt.

Ad hæc quinq; Sophiſtas collineare autor eſt Ariſtoteles. Vel enim conuincere volunt, ἐλέγχειν: vel falſum quid & erroneum in alterius oratione oſtendere: vel ad abſurdū illum propter ipſius ſententiam deducere: vel efficere: vt ſolœciſmum in ſermone committat: vel deniq; vt nugari, hoc eſt, crebrius idem, li. 1. Soph. Elēh. c. 3.

non sine tædio auditorum, dicere cogatur Sed horum præcipuum est conuincere : quod maximè Sophistæ sectantur. Huius scopi loci hîc præscribuntur: à quo etiam liber iste denominatus est.

Ceterum verbis scripti duo complexi sumus: numerum locorum: qui ad Sophisticè conuincendũ apti sunt: & locorum illorum partitionem. Diuiduntur itaq; hi tredecim loci in duas classes : quarum altera sex priores: posterior septem continet posteriores. Sex priores in dictione consistunt. h. e. docent ipsis vocabulis & verborum oratione fallere : reliqui extra dictionem in rebus: quando fraus non in vocabulis & oratione sed in rebus ipsis cõsistit: eò quod vel ex parte totum: vel ex eo quod per accidens est , illud quod per se est, concluditur: & quæ sunt his similia.

DE LOCIS SOPHISTICIS *in dictione.*

CAP. III.

Homonymia locus est Sophisticus: qui medium terminum homonymum suppeditat.

Quid homonymia vel homonymum sit, in parte communi explicatum est. Quotiescunq; igitur medius syllogismi terminus homonymus est , Sophisma est

est ὁμωνυμίας: quod negatione consequentiæ reÿcitur. exempla paßim occurrunt. Tale est: Quicunque credunt, saluantur: omnes diaboli credunt: g. omnes diaboli saluantur. Negatur consequentia: quia Sophisma ὁμωνυμίας est: siue quod eôdem redit: quia quatuor termini sunt. medius enim terminus homonymos quatuor semper terminos efficit. Ex quo liquet: paralogismos huius loci in materia simul & forma peccare.

Amphibolia locus est Sophisticus: qui sermonis ambiguitate fallere docet.

Homonymia in singulis plerunque vocabulis consistit: quamuis interdum etiam in pluribus simul locum habeat. medius enim terminus aliquando pluribus vocibus constat: qui, si ambiguus sit, non consistit in vnica tantum dictione homonymia. Amphibolia verò nunquam in vnico vocabulo: sed semper in pluribus reperitur: estq́; aliud nihil quàm propositio: ob constructionem ambigua: quæ loco maioris in Sophismate poni solet. Exempla sunt: Quod quis videt, hoc videt: niuem videt: g. nix videt. Quod quis cognoscit, id cognoscit: literas cognoscit: g. literæ cognoscunt. Negatur cōsequentia: quia fallacia Amphibolias est. Discrimen igitur homonymiæ & amphiboliæ perspicuum est. ibi non tota propositio: sed medius tantum terminus ambiguus est: hîc verò tota maior propo-

ſitio: in qua ſola ambiguitas ob ambiguam conſtru-ctionem hæret.

Compoſitio locus eſt Sophiſticus: qui verborum compoſitione inſidias ſtruere docet.

Cum verba componuntur, hoc eſt, ſenſu compoſito accipiuntur, quæ ſenſu diuiſo tantum vera ſunt: ſophiſma dicitur compoſitionis. e. c. poſſe ſedentem ambulare: poſſe non ſcribentem ſcribere. Hæc ſenſu diuiſo vera ſunt. qui enim modo ſedet: is paulo poſt ambulabit: qui modò non ſcribit: is poſtea ſcribet: ſenſu autem compoſito falſa. fieri enim nequit: vt aliquis ſedens, dum ſedet, ambulet: non ſcribens, ſcribat. fraus igitur, ſicut de priori fallacia dicebamus, in maiori propoſitione hæret. Sic enim Sophiſma ſtruetur: Poßibile eſt ſedentem ambulare: iſte iam ſedet: g. iam ambulat.

Diuiſio eſt: quæ diuidendo fallit.

Compoſitio & diuiſio valde affines ſunt: ſibiq́ ex aduerſo reſpondentes. Quemadmodum enim compoſitio ex maiori compoſita, h. e. ſenſu compoſito, non vero, accepta, diuiſum ſiue certũ & diſtinctum quid infert: ſic vice verſa, diuiſio ex maiore diuiſa vera, concluſionem compoſitam falſam, v. g. Duo & tria

ſunt paria, & imparia: quinq; ſunt duo & tria. g. quinq; ſunt paria & imparia. Maior propoſitio diuiſa eſt, & vera: concluſio compoſita & falſa. In compoſitione igitur & maior propoſitio, & cõcluſio falſa eſt: hîc ſola concluſio. Atq; hic vnus compoſitionis & diuiſionis modus eſt.

Alter eſt: cùm vox aliqua ab alia vel aliis diuiditur, à qua, vel à quibus non eſt diuidenda: & coniungitur cum illa: cum qua non eſt coniungenda. Hoc quoties fit: compoſitio & diuiſio concurrunt. Tale eſt: ego poſui te ſeruum exiſtentem liberum. Senſus duplex eſſe poteſt: pro ratione compoſitionis & diuiſionis verborum: vel, ego te feci liberum, cum eſſes ante ſeruus: vel, ego te conſtitui ſeruum, qui fuiſti liber. Sic igitur aliquis ſophiſticabitur: Quem ego poſui ſeruum exiſtentem liberum, illum libertate donaui: iſtum poſui ſeruum exiſtentem liberum: g. libertate donaui. Atqui non ex ſeruo liberum: ſed contrà ex libero ſeruum fecit.

Proſodia eſt: quæ inſidias ſtruit in rebus ad proſodiam pertinentibus.

Cùm accentus & ſpiritus, diphthongi & vocales, breues & longæ ſyllabæ confunduntur, ad aliquem decipiendum, ſophiſma dicitur proſodiæ. Sic fallacia proſodiæ committitur, ſi aram & haram, equum & æquum pro eodem accipias. Qui ſeruit aræ, eſt ſacer-

dos: subulcus seruit haræ: g. sacerdos est. Qui habet æquum, is quoq; bonam causam habet: iste habet equum: g. & bonam causam. Dixerat hic æquum: sed tulit alter equum. Ista tamen fallacia in Scriptura magis, quàm in voce locum habet.

Figura dictionis locus est Sophisticus: qui non idem eodem modo interpretatur.

Figura dictionis est similitudo vocabulorum, quæ eodem modo terminantur, vel quæ eiusdem generis sunt: & quæ sunt his similia. Locus igitur figuræ dictionis est, qui duo diuersa pro eodem interpretari & accipi iubet: eò quòd eiusdem sint generis & terminationis. Sic apud Græcos τὸ ἄῤῥεν, τὸ θῆλυ, *pro eadem re accipienda videntur: quia eiusdem generis. Sic quantitas & qualitas idem significare videntur. Sic valere & docere eandem vim habere, actionemq; significare ambo videntur: propter eandem terminationem. Tantum de locis in dictione.*

DE

DE LOCIS EXTRA *dictionem.*

CAP. IV.

Ex accidente paralogiſmi ſunt: cùm quiduis rei & accidenti ſimiliter attribuitur.

Locus Sophiſticus ex accidente, quem accidentis vulgò fallaciam appellant, ex accidente ſtruere captiones docet: mediumq́; huiuſmodi oſtendit: quo minor propoſitio ex accidente ſolùm vera conſtituitur: quæ cauſa eſt: cur ſyllogiſmus talis non elenchus ſed paralogiſmus ſit. Conſtruitur ſophiſma iſtud: cum vt Ariſtoteles docet, quiduis rei & accidenti, hoc eſt, ſubiecto & illius attributo ſimiliter attribuitur. Videtur igitur prima fronte geminus iſtius ſophiſmatis modus eſſe: & cùm quod ſubiecto accidit cum illius attributo: & cùm quod attributo accidit: cum illius ſubiecto in concluſione coniungitur: ſiue attributum aut ſubiectum: ſiue accidens illud in concluſione ſubijciatur, vel prædicetur. Res tamen ſecus habet: eſtq́; germanus huius loci ſenſus hic: Accidentis ſophiſma eſſe, cùm quiduis, quod cum attributo concluſionis cohæret, etiam illius ſubiecto eodem modo attribuitur: cum quo tamen non eo modo, quo cum attributo, ſed ex accidente duntaxat, cohæret. Oſtendit igitur hic locus eius modi concluſionis medium, quod cum maiore extremo verè & per ſe cohæret, li. 1. Elēch. cap. 4.

cum

cum minore autem ex accidente duntaxat. Per rem enim subiectum conclusionis siue minus extremum Philosophus intelligit, per accidens, extremū maius, per quiduis, medium, seu illud, quod cum maiore extremo verè & per se cohæret, cum minore verò ex accidente duntaxat. Exemplum: probare volo, Legem diuinam malam esse. semper enim conclusio primùm est consideranda. medium, sed speciosum & fucatum, locus iste suppeditat, quòd iram operetur: de quo sicut maius extremum verè & per se enunciatur: sic illud non nisi ex accidente minori extremo competit.

Quod iram operatur, id malum esse: Lex iram operatur: ergo, Lex mala est.

Tale illud est: Quod peccatum auget, id malum est: Lex peccatum auget: mala igitur. Tale illud, Qui gladium mittere venit, is malè venit: Christus gladium mittere venit: malè igitur venit. Hoc modo tū malæ causæ bonus effectus est, bonæ malus attribuitur. Huiusmodi illud Aristotelis est: Qui diuersus à Socrate est, is ab homine diuersus est: Coriscus diuersus à Socrate est: ergo accidit enim Corisco: vt illud à quo diuersus est, homo sit.

Ex his omnibus liquet, dolum & fallaciam in minore propositione hærere: in qua medium minori extremo ex accidente tribuitur: sed ita: vt cum illo per se vereq; cohærere videatur: De hoc & compluribus etiam aliis, Institutionem nostram consule.

Paralogiſmi verò ex eo, quòd alquid ſimpliciter hoc, vel aliqua ex parte & non proprie dicitur ſunt: cùm quod in parte dicitur vt ſimpliciter dictum accipitur.

Senſus eſt: Captiones, quæ ex eo ſumuntur, quod eſt aliquid ſimpliciter, vel nõ ſimpliciter dicere: tunc fiunt: cum &c. Hunc locum vſitate fallaciam à dicto ſecundum quid, ad dictum ſimpliciter appellant: ſed ſenſu Ariſtotelico non nihil immutato. Simpliciter enim accipere quod in parte dictum eſt, Ariſtoteles ad eandem propoſitionem refert: quod fit: cùm attributum in propoſitione, vt plurimum minore, ex parte tantum & quodam modo ſiue tempore, ſiue cum certa quadam cõditione & limitatione de ſubiecto dicitur: quod tamen ita accipitur: ac ſi de toto ſubiecto ſimpliciter dictum eſſet: ideoq; in concluſione ſimpliciter abſq; reſtrictione de toto ſubiecto maius extremum concluditur. exemplum: Qui reliquit Mundum, is nõ eſt in Mundo: Chriſtus reliquit Mundum: g. non eſt in Mundo. Paralogiſmus eſt à ſecundum quid, vt ſimpliciter. reliquiſſe Mundũ de Chriſto non ſimpliciter, ſed ex parte tantum dicitur: reſpectu ſcilicet carnis: quod tamen ita accipitur: ac ſi de Chriſto iuxta vtramq; naturam dictum eſſet: ideoq; de Chriſto ſimpliciter maius extremum concluditur. Tale etiam illud eſt. Quod nouum eſt, id nõ eſt antiquum: Lex Chriſti noua eſt: non igitur anti-

qua.noua est secundum quid. Tale & illud. Qui fuit ante Abrahamum: is non primum natus est ante annos mille quingentos: Christus fuit ante Abrahamũ: g. non. Quotiescunq; igitur in oppositione deest conditio illa, secundum idem. *paralogismus est huius loci: quanquam simul ad Elenchi ignorationem pertineat: quò tandem omnes Sophistici elenchi reuocantur.*

Alij verò paralogismi ex eo, quòd constitutum non sit, quid syllogismus aut elenchus sit, hoc est, ex defectu definitionis oriuntur.

Multi paralogismi & Sophistici Elenchi veri syllogismi & Elenchi esse videntur: quia disputans non satis, neq; quid syllogismus, neq; quid verus Elenchus sit, intelligit: quæ ignorantia ipsius facit: vt à Sophista conuincatur. Docet igitur *his verbis Aristoteles: paralogismos quosdam huius loci in materia & forma simul peccare: quod fit: quoties deest conditio illa* ὡσαύτως. *tum enim medius terminus homonymos quatuor terminos efficit: quam ob causam & Elenchus in dictione ab Aristotele ponitur: & locus homonymiæ huc reuocatur. Quid elenchus sit capite primo dictum est: quot verò ad verum elenchum conditiones requirantur, nunc dicendum est. Elenchus contradictionem concludit. tot igitur ad verum Elenchum*

li.1 Elēch. cap.4. de Elench.

chum conditiones requiruntur: quot ad veram duarum propositionum contradictionem.

Ceterum vera condictio hæc quatuor, quæ idcirco contradictionis conditiones nominabimus, potissimum exigit: vnum: vt dicantur ὡσαύτως, eodem modo: alterum: κατὰ τὸ αὐτὸ, secundum idem: tertium: πρὸς τὸ αὐτὸ, ad idem: postremū: ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ, eodem tempore: quibus tamen omnibus illud substernitur: vt idem subiectū & prædicatum sit in vtraq; propositione. Si enim vel duo diuersa subiecta sint: vel duo prædicata: contradictio non est. Sic in istis nulla est contradictio: Iulianus fuit apostata: Constantinus non fuit apostata. Constantinus fuit imperator: Constantinus non fuit Apostolus. Hoc posito, videndum deinde est: num reliquæ quatuor contradictionis conditiones adsint: si omnes adsint: vera contradictio est: sin vnica desit: contradictio non est.

Prima conditio ὡσαύτως, exigit: vt vtrumque, subiectum & prædicatum vtriusq; propositionis, eodem modo accipiatur, eandemq; in vtraq; propositione significationem habeat: quorum si alterutrum homonymon sit, contradictio non est. Sic primæ huius conditionis defectu, istæ non sunt contradicentes: Omnes electi saluantur: Quidam electi non saluantur. subiectum enim aliter in priori, aliter in posteriori propositione accipitur. Sic istæ non pugnant: Diaboli credunt: diaboli non credunt: attributum enim homonymon est.

Altera conditio, κατὰ τὸ αὐτὸ, requirit: vt prædicatum in vtraq; propositione, subiecto, secundũ eandem subiecti partem, naturam & proprietatem, attribuatur. Non satis est: vt subiectum & prædicatum eodem modo vtrobiq; accipiantur: sed præterea etiam necesse est: vt prædicatum subiecto iuxta eandem conditionem attribuatur. Huius cõditionis defectu non pugnant ista: Christus fuit prior Abrahamo: Christus nõ fuit prior Abrahamo. Homo est mortalis: homo non est mortalis.

Tertia conditio, πρὸς τὸ αὐτὸ, insuper vult: vt nõ solùm secundum eandem subiecti partem de subiecto prædicatum enuncietur: verùm etiam: vt de subiecto illo ita enuncietur: vt in enunciando non respiciatur ad duo diuersa extra illud subiectum: h.e. vt prædicatum de subiecto non comparatiuè enuncietur. Sic non pugnant ista: duo sunt duplũ: duo non sunt duplum: duplum, cum vnitate collata: non duplum, cum numero ternario.

Deniq; si hæc omnia adsint: necesse etiam est: vt prædicatum de subiecto respectu eiusdẽ temporis dicatur. Sic non pugnant ista: Regnum Iudaicum florentißimum fuit: regnum Iudaicum nõ fuit florentißimum. Si igitur hæ quatuor conditiones omnes simul adsint, πόλεμος ἄσπονδος inter duas enũciationes excitatur. Sic istæ duæ, corpus Christi aspectabile est: corpus Christi aspectabile non est: sine fine pugnant: quas Deus neq; modo huius, neq; modo

alio

alterius ſæculi : neq; naturali neq; perſonali, veras vnquam faciet: cùm in illis nulla planè deſit conditio contradictionis.

Aſt, inquiunt noui iſti Logici, deeſt cōditio ὡσαύτως. at, inquam, non deeſt. Deeſt ὡσαύτως, quando, vt dictum, eſt, vel ſubiectum vel attributum homonymon eſt: quorum cum vtrunq; hîc eâdem prorſus ſignificatione in vtraq; propoſitione accipiatur, deeſſe ὡσαύτως, dici non poteſt. Corpus enim Chriſti naturale homonymon nō eſt: niſi forte etiam duplex Chriſto fabricari corpus velint, verum & phantaſticum: nec attributum aſpectabile: quippe quod eodem planè modo vtrobiq; vſurpatur. Agnoſcent ne igitur tandem Sophiſticam ſuam ignorantiam?

Sed iuuemus paulululum nouam iſtorum Logicam. Dicere voluerunt: alterā conditionem, κατὰ τὸ αὐτὸ, deeſſe. ita enim ſe explicant: corpus Chriſti aſpectabile eſſe, ſecundum eſſe naturale. non aſpectabile, ſecundum eſſe perſonale. Sed & hoc modo ſerram per lineam reciprocant. Prædicatum enim nō ſecundum idem de ſubiecto dicitur: quādo ſubiectum duas, ſiue partes, ſiue naturas, ſiue proprietates, ſiue conditiones habet, reapſe diſtinctas: vt ex ſupra poſitis exemplis liquet: & ipſum vocabulum oſtendit, οὐ κατὰ τὸ αὐτὸ, ἀλλὰ κατ᾽ ἄλλο. Atqui eſſe naturale & eſſe perſonale in copore Chriſti re ipſa non differunt: ſed vnum & idem eſſe ſunt: quia corpus Chriſti humanum, ſiue humana Chriſti natura, ne ad momen-

tum quidem subsisteret: si nō in vnitate personæ subsisteret. Quemadmodum igitur personalitas vt sic dicam, & subsistētia mea mihi necessaria est: sic corpori Christi subsistētia necessaria est: quam cùm propriam nō habeat: eam à persona Verbi habet: in qua subsistit: & à qua gestatur: & quemadmodum esse meū personale non diuersum est à naturali: sic quoq; in Christi corpore esse naturale & personale, nō duo, sed vnum & idem esse sunt: quando esse naturale, sine personali nullum prorsus esset. Concludimus igitur: in duabus istis enunciationibus: Corpus Christi est aspectabile, corpus Christi non est aspectabile: in quibus nulla plane contradictionis conditio desideratur (duæ enim posteriores nullo modo desiderantur) eam esse contradictionē, quæ nullo vnquam alio modo colletur: quàm si posteriorē falsam esse fateamur.

Elenchi igitur, siue syllogismi Sophistici fiūt: cùm ex defectu alicuius harum quatuor conditionū, contradictionem concludimus. Talis est: Qui prior est Abrahamo, is non post Abrahamum demum natus est: Christus prior est Abrahamo: g. non &c. conclusio contradicit veritati: quæ est, quòd Christus ad carnem quod attinet, longè post Abrahamum natus sit: colligiturq; ex defectu secundæ conditionis, secundum idem: Christus est prior: Christus non est prior. Talis etiam est: Qui non possunt peccare in illis nullum est peccatum reliquum: nati ex Deo non possunt peccare: g. Sophisma est Elenchi, ex defectu pri-

mæ conditionis ὡσαύτως: peccare enim aliter in maiore, aliter in minore accipitur: in maiore, non possunt peccare, scilicet, vllo modo, siue vllo peccati genere: in minore verò, non possunt peccare, certo peccati genere siue specie, hoc est, non peccant plena volũtate, seu ex destinata malitia, siue peccato ad mortem. Quatuor igitur termini in hoc sophismate sunt: & idcirco ad homonymiam pertinet: quemadmodum prius illud ad locum secundum quid vt simpliciter: quò tamen istud quoque referri potest. Elenchus enim commune domicilium est omnium locorum Sophisticorum: quò tandem omnia Sophismata reuocantur. Sic etiam accidentis paralogismus huc reuocatur. peccat enim aliquando quidem ex defectu tertiæ conditionis, ad idem: aliquando verò ex defectu primæ: Venditio Iosephi est à Deo: venditio Iosephi est peccatum: g. peccatum est à Deo. Venditio Iosephi est peccatum: venditio Iosephi non est peccatum: peccatum est, respectu fratrum: non peccatum, respectu Dei.

Qui igitur in dissoluendis Sophismatis, quoduis Sophisma huc refert, non peccat: sed melius & planius respondet: qui vnumquodq; ad proprium suum domicilium refert: & illud quidem Sophisma, quod ex defectu primæ conditionis fallere conatur, modò ad homonymiam: modò ad accidens: quod ex defectu secundæ, ad secundum quid vt simpliciter: quod ex tertiæ defectu, ad accidens. Sic de ceteris. Tan-

tùm quartæ conditionis defectus huc propriè pertinere videtur.

Qui verò id, quod in principio est, sumunt, tot modis fiunt, quot modis principium petitur. videntur conuincere; si quis idē & diuersum simul cernere nequeat.

Locus perspicuus: illis familiaris: qui veris in mala causa argumentis destituuntur. phantasiam facit: cùm contra disputans non animaduertit: quid quo probetur. Petitur principium: vt alios petitionis modos in præsentia mittamus: vel quia idem, alijs paulò verbis coloratum, ad sui probationem assumitur: vel diuersum quidem, sed æque incertum & controuersum. exemplum prioris: anima ex traduce est: quia inest in semine. exemplum posterioris: corpus Christi in pane est: quia vbiq; est: vel contrà: corpus Christi vbique est: quia in pane est: h. e. infinitus in locis & panibus. incertum per incertum confirmant. Valeret hic illorum circulus: si vel vtrunq;, vel saltem alterutrum à Spiritu sancto in Scripturis esset definitum: sed quia vtrunque Scripturis Sanctis aduersatur: principium petunt: dum errorem errore defendunt. In primis verò nobile est huius rei exemplum, illa aduersariorum probandi ratio: Status controuersiæ & prima quæstio est, vtrum verborū Domini, hoc est corpus illud meum, *hic sensus sit: in pane corpus Christi substātialiter & corporaliter, vt ipsi loquuntur,*

tur, occultari. illi ſe hanc ſuam gloſſam belle demonſtraſſe exiſtimant; ſi hæc ipſa Domini verba, quorum interpretatio quærebatur, ad ſuæ gloſſæ probationem aſſumant: ideoq́ cùm alijs omnibus deſtituuntur, tandē huc redeunt, hoc eſt corpus meum. *Quaſi verò de verborum Domini veritate quæratur: & non de ipſorū gloſſæ vanitate: & quaſi vaniſsimum ipſorum figmentum cum veriſsimis ipſius veritatis verbis quicquam habeat commune. De petitione illius* li.2. ca. 18.
quod in principio eſt plura in Prioribus & Topicis lib.8. c. 13.
vide.

Ex conſequēte verò elenchus fit: quòd conuerti conſecutio exiſtimatur.

Paralogiſmus conſequentis eſt, cùm illa conuerti exiſtimamus, quæ non conuertuntur: h.e. cùm propoſitionem vniuerſalem aientem, vniuerſe & ſimpliciter conuertimus. Peccant huius loci paralogiſmi in materia & forma ſimul: ideoq́ ſimpliciter paralogiſmi ſunt. ſi enim in formā ſyllogiſticam redigas huius loci propoſitiones. puras aientes in media figura habebis. e.c. Omnes electi externè vocantur: Simon Magus externè vocatus fuit: electus igitur fuit. Vniuerſalis iſta, Omnes electi externè vocantur, vniuersè non conuertitur. ſic igitur in forma peccant huius loci elenchi: non quòd promiſcuè quoduis formæ vitium huc pertineat: cùm hîc non de forma, ſed materia Sophiſtica præcipiatur: & non huius tantùm loci

paralogiſmi, ſed aliorũ quoq; plurium in forma peccent: ſed quòd vniuerſalis affirmatæ ſimplex conuerſio neceſſario puras aientes in media figura efficiat.

Qui verò è non cauſa, vt cauſa, elenchus ſtruitur, fit: cùm quòd cauſa non eſt aſſumitur: ac ſi elenchi cauſa eſſet.

Elenchus, qui non cauſæ, vt cauſæ dicitur, tunc fit: cum tale quippiam aſſumitur: quod cauſa eſſe concluſionis contradicentis videtur: cuius tamen reuera cauſa non eſt. Sunt autem Elenchi huius loci, nõ ſimpliciter ἀσυλλόγιστοι: *ſed tantùm* πρὸς τὸ κείμενον: *ſuntq; ſatis frequẽtes: & ſæpe numero valde ſpecioſi. Talis eſt ille Vbiquiſticus: Qui ad dexteram Dei ſedet, is vbiq; eſt: Chriſtus, etiam iuxta humanam naturam, ad dexteram Dei ſedet: g. etiam iuxta humanam naturam vbiq; eſt. Duplex reſponſio eſt: altera ad formam: altera ad materiam: quarũ vtrâq; conſequentia reijcitur. ad formam reſpondetur: quòd puræ ſint particulares: immò potius puræ ſingulares: ideoq; ſyllogiſmi nomine indigna argumentatio. Maior enim vniuerſalis non eſt: quæ ſi vniuerſalis conſtituatur, falſiſſima eſt: ideoq; aliud nihil dicit: quàm illum, qui ad dexterã ſedet, hoc eſt, Chriſtum vbiq; eſſe. Sed demus malis iſtis malæ formæ fabris,* σὺν ὄχλῳ *hanc Syllogiſmum eſſe: reijcitur tamen nihilominus reprehenſione conſequentiæ: quia ſophiſma eſt è non cauſa, vt cauſa. Non enim ſeſſio ad* dexte-

dexteram, aut quicquam tale: sed sola immensitas causa est omnipræsentiæ: adeo, vt quicquid sua substantia vbiq; præsens est, id necessariò immensæ & infinitæ sit substantiæ: & quidem substantiæ simplicissimæ, si ὅλως ὅλον *vbiq; ponatur. Quocirca idem & eodē prorsus modo effeceris: si ita, aut simili quouis modo, colligas: Qui tertio die ex mortuis resurrexit, is vbiq; est. Christus, & quidem humanitatis respectu, ex mortuis tertio die resurrexit: g. vbiq; est, & quidem humanitatis respectu. Qui enim ex mortuis tertio die resurrexit, is vbiq; est: non quia incarnatus: non quia naui vectus: nō quia super aquis ambulauit non quia guttas sanguinis sudauit: non quia mortuus: non quia resurrexit: non quia in cælum ascendit: non quia ibi ad dextram præsidet: non quia inde ad iudicium venturus est: sed solùm, quia immensus & infinitus Deus est. non magis igitur sessio ad dexterā Vbiquitatis causa est, quàm resurrectio.*

Sed excipient aduersarij: dexterā Dei vbiq; esse: eumq; qui ad totam, nō ad partem duntaxat dexteræ sedet, necessariò vbiq; esse: ideoq; & istā ad dexteram sessionem veram Vbiquitatis causam, & maiorem syllogismi vniuersalem esse, eò quòd omnis, qui ad dexteram vbiq; diffusam, totam sedet, vbiq; sit, Responsio est: illos nescire qui dicāt. sic enim struendus syllogismus erit (nam istius syllogismi: Dextera Dei vbique est: Christus ad dexteram sedet &c. vanitatem ipsius Vbiquitatis patroni viderunt)

Quicunque ad totam dexteram, vbiq; diffusam, sedet, is vbique est: Christus ad totam dexteram, quæ vbique diffusa est, sedet, & quidem humanitatis respectu: g. etiam humanitatis respectu vbiq; est. Falsissimam esse minorem hinc fit manifestum. Dextera Deo in Scripturis per similitudinem attribuitur. Quemadmodum enim nos robur & virtutẽ nostram dextera nostra exerimus: sic Spiritus sanctus in Scripturis, nostræ sese attemperans infirmitati & consuetudini, dexteram Deo tribuit, ad significandum robur Dei & potentiam: & quemadmodũ quos charos habemus, & quos proximum honoris & dignitatis locum obtinere volumus, nobis ad dexteram sedere volumus: ita Christus, charissimus Patri, proximum à Patre, quâ caput Ecclesiæ & Vicarius Patris est, hoc est, ratione officij, non naturæ, locum obtinet. sic mater Solomonis Solomoni: Sic Iosephus Pharaoni ad dexteram sedebat. sic Regum & Principum legati, Regibus & Principibus ad dexteram collocantur: proximum & secundarium, non æqualem dignitatis locum occupantes. sic Christum ad dexteram Patris præsidere, & Scriptura apertissime tradit: & Patres antiquissimi confirmant. Ex quo efficitur: dexteram in ista locutione, sedet ad dexteram Patris, non accipi pro vbique præsente Dei virtute: quæ aliud nihil est, quàm ipse Deus: quo modo accipitur: cùm dextera seorsum Deo tribuitur: sed pro secundo dignitatis gradu. Qualis enim quæso hæc locutio

cutio fuerit, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis, hoc eſt, ſedet ad potentiam Dei Patris omnipotentis, vel ſedet ad Deum Dei Patris omnipotentis? Metaphorica igitur locutio eſt: ex communi conſuetudine petita: qua nequaquã ſignificatur: Chriſtum ad dextram, hoc eſt, virtutem & potentiam Dei, vbique diffuſam, ſedere: ſed proximam dignitatem, quâ Mediator eſt, obtinere: vtq; Patris Vicarium præſidere: & ad dexteram non in terra: multò minus vbiq;: ſed ſurſum, ἐν ὑψιλοῖς ſedere: vt Spiritui Sancto in Scripturis decernenti Patres orthodoxi communi cõſenſu ſubſcripſerunt. Perſpicuum igitur eſt: minorem poſtremi ſyllogiſmi falſiſſimam eſſe: maiorem autem primi ſyllogiſmi, nõ alio, quàm quo diximus ſenſu veram: ideoq; quia in forma & materia, dum non cauſam pro cauſa adfert, peccat, noſtra reſponſione plane profligari.

Qui verò fiunt, quòd duæ interrogationes, vt vna, accipiuntur: ij tũc fiunt: cùm plures interrogationes eſſe latet: & quaſi ad vnam vna reſponſio datur.

Elenchi ſecundũ duas interrogationes, vt vnam, fiunt: quando ad duo interrogata vnica reſponſione reſpondetur. Cùm enim vel duo prædicata de vno & eodem ſubiecto: vel vnum prædicatum de duobus ſubiectis rogatur, ſi quidem conuinci, & aliquid abſurdi dicere nolimus: non vnica, ſed duabus diſtinctis re-

ſponſionibus eſt reſpondendum. exemplum prioris: vtrum terra ſit aqua, an aliud quippiam exemplum poſterioris: vtrum hic & hic ſit homo. ſi ad iſtud interrogatum duplex, eſt ne hic & hic homo, vnica affirmatione reſpondeas: conuinceris hoc pacto: hic & hic eſt homo: iſte percuſsit hunc & hunc: hominem igitur, non homines percuſsit. Diſtincte igitur reſpondendum eſt: hic eſt homo: & hic quoque eſt homo: ſuntque non vnus, ſed duo homines.

Dominatur hic locus in illis interrogationibus: in quibus duo prædicata de vno ſubiecto rogantur: ſed duo prædicata contraria: de ſubiecto ex illis contrarijs compoſito: vt ſi de toto cœtu, qui menſæ Domini particeps ſit, in quo aliqui verè fideles ſunt, aliqui infideles, quæratur: ſunt ne iſti fideles, an verò infideles. Vtrumuis vnica reſponſione reſpondeas, caperis. duplex enim interrogatum duplicem poſtulat reſponſionem.

DE RATIONE DISSOLVENDI *Elenchos Sophiſticos.*

CAP. *vltimum.*

Ratio diſſoluendi Elenchos Sophiſticos, vnica eſt, reprehenſio conſequentiæ.

Omnis Sophiſticus, ſiue Elenchus, ſiue Syllogiſmus, ad aliquem ex iſtis tredecim locis pertinet: ideoque in materia peccat: cùm tredecim iſti loci materiam

ſiue

siue propositiones nobis suppeditent Sophisticas: sed aliqui vt suprà dictum est, in materia tantùm peccant: aliqui in materia & forma simul. Siue autem in materia tantùm: siue in materia & forma simul peccet Elenchus Sophisticus: semper reprehensione consequentiæ reijcitur, & fallacia monstratur. e.c. Qui ad Patrem cælestem, qui vbiq; est, abit, is vbiq; diffunditur: Christus homo, quà homo, ad Patrem suum cælestem, qui vbiq; est, abijt: g. vbiq; diffusus est. Negatur consequentia: quia paralogismus est homonymiæ: seu quod eôdem redit: quia quatuor termini. medius enim terminus homonymos est: & in maiori quidem noua & Ecclesiæ Christi insolenti significatione accipitur pro disparere & immensum fieri: in minore verò, sicut in Scripturis accipitur, pro eo, quod est, relicto hoc aspectabili Mundo, in sublimem & cælestem illam regiam, quæ thronus & domus Dei in Scripturis appellatur, & in qua Deus tanquam in throno & palatio suo peculiari quodam modo regnat, seq; beatis angelis & hominibus conspiciendum præbet, proficisci. Atque hæc vnica & perpetua ratio est Sophisticos Syllogismos dissoluendi.

Ex quo apparet: non planè verum esse: quod quidam docet: consequentiam reijci: cùm vitium in forma est: cum verò in materia est: vel inficiatione, vel distinctione præmissarum, vel instantia respondendū esse. Omnis enim Elenchus Sophisticus, siue paralogismus sit, siue Syllogismus, reprehensione consequen-

tiæ, & fallaciæ demonstratione profligatur. Quòd si non Elenchus sit Sophisticus: quod fit: cùm ad nullum locum Sophisticum quadrat: (non enim quoduis formæ vitium vt malè quidam existimant, huc pertinet:) sed alius qualiscunq; Syllogismus vitiosus: falsam conclusionem inferens: ibi fatemur: vitium vel in forma, vel in materia latere: ac si in forma lateat, consequentiam negandam esse: negationisq; istius rationem adferendam: si in materia: vel vtramque vel saltem alterutram præmissarum negandam esse, aut distinguendam.

Generatim itaq; si de vitiosis syllogismis loquamur, sciendum est: omnem Syllogismum, siue Syllogismus sit, siue paralogismus, materia cōstare & forma: & vel materia mala: vel forma mala: vel vtraq; simul. In dissoluēdis igitur eiusmodi. Syllogismis prior cura formæ sit: posterior materiæ. si forma sola vitiosa sit: consequentia negatur: & ratio adfertur: vel quòd minor in prima figura negans sit: vel quòd puræ particulares: vel quòd plus in conclusione: & quæ sunt huius generis alia: quæ ad locos Sophisticos non quadrant. Sic in isto. Totus Christus vbiq; est: Totus Christus deitate & humanitate constat: g. deitas & humanitas vbiq; sunt: consequentia negatur: quia plus in conclusione est. sequitur tantùm: g. quidam deitate & humanitate constans vbiq; est. ratio: quia conclusionem vtrunq; extremum, & quidem integrum, nō truncatum, ingredi debet. est autem extre-

mum

mum minus, non deitas & humanitas, sed constat deitate &c. quod verbum, constat, in conclusione reticetur. Deinde argumentatio ista non Syllogismus est: sed tantùm expositio: quæ duo in conclusione idcirco coniunguntur: quia in vno tertio singulari conueniunt: quem ad modum in libro de Syllogismo explicauimus: Tale etiam illud est: Verbum est vbique: Verbum est caro factum: g. caro est vbique. plus est in conclusione. Quemadmodum enim malè colligerem: si ita colligerem: Socrates bibit cicutam: Socrates constabat anima & corpore: g. anima & corpus biberunt cicutam: sic in superioribus duobus exemplis se res habet. Concludendum enim est: g. quidam qui anima & corpore constabat cicutam bibit: g. quiddam caro factum vbiq; est. Talem, non aliam conclusionem ἔκθεσις colligit.

In materia bifariam peccatur. Vel enim materia Sophistica est: ex qua quotiescunq; Syllogismus aut paralogismus cõstat, negatione consequentiæ, quemadmodum diximus, reycitur: vel alia quæuis materia mala: cuius Syllogismi inficiatione vel distinctione præmissarum refutantur: e.c. Qui corpus Christi spiritualiter tantum percipi docent, illi non ipsum corpus, sed spiritum tantùm & virtutem quãdam corporis percipi docent: Sacramẽtarij, inquit bella Concordia, corpus Christi tantùm spiritualiter non corporaliter percipi docent: g. Falsißima maior est. corpus enim Christi verum, cum cibus sit, non ventris,

sed mentis:mente,non ventre contingendum est:cordis,non corporis manu suscipiendum.haustu interioris,non exterioris hominis absumendum : immò ita palato cordis fidelis suscipiendū est : vt illo solo recipiatur:quippe quod non quâ viuum & gloriosum est, sed quâ mortuum & exsangue fuit, & quasi in cruce pendens,sursum tamē,vbi verè apponitur, ex manu Summi Pontificis accipitur : quò certe os corporis non pertingit : sed sola mens fidelis : quæ simul & semel,Christum in cruce pendentem oculis fidei intuetur:& eiusdem fidei manu sursum in cælo apprehendit. Eiusmodi igitur Syllogismi inficiatione propositionum refutantur : quia manifestam in præmissis falsitatem continent : quæ causa est : cur Sophisticis Elenchis nō sint annumerandi: qui tectam fallaciam tontinent:ideoq́ speciem veri habent.

Ad distinctionem quod attinet:sciendum est : ista responsione vtendum non esse : nisi cùm in aliquo extremorū ambiguitas hæret. Quotiescunq́ enim medius terminus,vel totus ambiguus est, vel pars illius: paralogismus fit homonymiæ : qui consequentiæ reprehensione est reÿciendus.Talis est iste: Quæ duo inseparabiliter vnita sunt,illorum vbi vnum est,necesse est etiam alterum esse:in Christo duo, deitas scilicet & humanitas, inseparabiliter vnita sunt : g. Hic nō ambæ præmissæ distinguendæ sunt : sed consequentia neganda propter homonymiam : cùm vocula illa, duo,quæ pars medÿ est,aliter in maiore,aliter in minore

nore accipiatur: & in maiore quidem pro illis duobus quæ æqualia sunt: in minore pro inæqualibus: quorum alterum finitum, alterum infinitum est. Talis etiam iste est. Cuius tota persona, duabus naturis constans, vbique est, illius etiam vtraque natura vbiq; est: Sed Christi tota persona, quæ deitate & humanitate constat, vbique est: g. etiam vtraq; natura, tam humana, quàm diuina. Sophisma est ὁμωνυμίας: quatuor terminus constans. illa enim medij termini verba, persona duabus naturis constans, aliter in maiori, aliter in minori accipiuntur: in maiori, pro persona: quæ ita duabus naturis constat: vt neutra seorsum perfecta persona sit: sed quæ ex æquo concurrant ad cõstituendam vnam personam: sicut anima & corpus in homine: in minori verò, nõ quòd persona Christi tertium quippiam sit, compositũ ex deitate & humanitate, tanquam partibus ex æquo concurrentibus (persona enim Verbi sicut simplicissima, ita æterna est: carnisq; assumtione nullo modo immutata: vt in quinta Synodo Patres catholicè definierunt) sed quòd verbum siue secunda Deitatis persona in vnitatem personæ carnem sibi asciuerit: eamque propria subsistentia destitutam gestet & sustentet. Non sequitur igitur: licet tota persona vbique sit: vtramque simul naturam sua essentia vbique esse: cum persona sit æterna Verbi hypostasis: cui humana natura hypostatice vnita est: non quòd ad æternam Verbi ὑπόστασιν aliquid adiece-

rit: ſed quòd in ea ſubſiſtat: propria ſubſiſtendi vi, &, vt loquuntur, ſubſiſtentia, deſtituta: quodq́ue æterna τοῦ λόγου ὑπόςασις iam etiã aſſumtæ naturæ perſona ſit: quæ ante ſolius λόγου perſona erat. Hoc modo ſi perſonam pars aduerſaria acciperet, cùm ingeminat: humanam Chriſti naturam omnipotentem, vbiq́ue præſentem eſſe. non in ſeſe, ſed in perſona orthodoxè ſentiret: ſicut orthodoxè iam tandem aliquando loqui vi veritatis coacta eſt: & reſtituta pax Eccleſiæ eſſet: ſimulq́ue cũ πανταχουσίᾳ πολλαχουσία, ὑπουσία, ἐνουσία, συνουσία, vſurpatio & vſus, nuper cõfictus, ex ea eliminatus. Si. n. in perſona tantũ, quæ æterna & ſimpliciſſima τοῦ λόγου ὑπόςασις eſt, in cuius conſortionem & vnitatem recepta eſt, nõ in ſe ſe τὸ πανταχοῦ, vel, ſi magis placet, τὸ πολλαχοῦ humana natura habet: profectò non ad vſurpationem illud habet: quandoquidem vſurpare τὸ πολλαχοῦ humana natura nequit: niſi in ſeſe illud vſurpãdo recipiat, receptũq́ue habeat: itaq́ue actu multis in locis ſua eſſentia ſit: cùm τὸ πολλαχοῦ vſurpare aliud nihil ſit, quàm actu mulis in locis & ſua eſſentia præſens eſſe: quæ vſurpatio principium quoque illud, actiones ſuppoſitorum ſunt, euertit: & cauillationem ad hypoſtatica vnione & dextera Dei vbiq́ue diffuſa, ductam, in fumum diſſipat: totumq́ue τῆς πανταχουσίας, atque adeo etiã τῆς πολλαχουσίας ædificium labefactat. Qui verò hypoſtaticam vnionem non aſſumtione humanæ naturæ in vnitatem

tem

tem personæ τ͂ λόγου, quo modo à Spiritu Sancto in Scripturis, & tota orthodoxa Antiquitate definitur, sed vel proprietatum transfusione & exæquatione, vel reali idiomatum communicatione, aut simili aliquo modo definiendam censent: ij, siquidem humanam Christi naturam reipsa subsistere credũt, propriam illi ὑπόστασιν aßignant: id quod ab impietate Nestorij non longius abest, quàm cælum Brentianum, in quo familia quoque diabolorum continetur, ab inferno. Brent. de Maiest. fol. 160. & 126.

Tertia illa respondendi ratio, per instantiam, per se infirma est: quæ locum habet: vbi sufficientem responsionem vel præcedit, vel sequitur.

Atq; hactenus, qua potuimus breuitate, summam Logicorum præceptorum recensuimus. qui plura volet; is ipsum consulat Aristotelem.

FINIS.

Sequentes concluſiones, ante ſeorſum editas, huic Iſagoge locupletatas ſubijcere placuit: tum quia Præfationis iuſtam defenſionem aduerſus iniquam cuiuſdam criminationem, quam Animaduerſionibus ſuis intexuit, cõtinent: tum quia non parum lucis doctrinæ de demonſtratione adferunt: tum deniq;, vt omnes, non cæci, viderent: quid æra lupinis diſtent: vtq; dulciſſimum illud Atticæ & Philoſophicæ illius Meliſſæ mel, ſiquidem literati eſſe quàm haberi malunt, ſolidamq; rerum ſcientiam garrulæ audaciæ & temeritati anteponunt, auidè deguſtandum & imbibendum: à fermento autem Ramiſtico diligenter ſibi cauendum eſſe ſciret: quippe quod & Philoſophiam ac Theologiam & totam inficit ac polluit literaturam.



DE

DE TRIBVS ILLIS NECESSARIARVM ENVN-*ciationum gradibus. de omni: per se: vniuersale: conclusiones.* XCIII.

I



NATVRAM & proprietates demonstrationis in Posterioribus Analyticis explicaturus Aristoteles: naturam quoque propositionum & conclusionum, ex quibus demonstratio constat, explicare debuit: id quod sanè diligentisimè præstitit.

II

Non solùm enim summè necessarias & propositiones & conclusiones ad demonstrationem requirit: sed de conditionibus quoque diligenter præcipit: quibus prædita propositio vel conclusio, summè necessaria est: & ad demonstrationem omnibus modis accommodata.

III

Eiusmodi conditiones siue gradus tres præscribit: de omni: per se: vniuersale: qui respectum illum notant: qui inter subiectum est, & attributum: quiq; & simul: & sigillatim necesitatem in enunciationibus efficiunt: licet alius alio maiorem.

IV

Primus enim, *de omni*, necefsitatem perpetuitatis habet, attributum ſcilicet ſubiecto perpetuò ineſſe, maiorem alter: qui ad perpetuitatem iſtam eſſentialem inſuper & definitionis nexum, inter ſubiectum & prædicatum addit: maximam tertius: qui quicquid adhuc accidentarij & contingentię in ſecundo relinquebatur, expurgat: enunciationemqúe ſummè neceſſariam: & ad demonſtrationem accommodatam reddit.

V

Hinc fit: vt primus quidem gradus abſq; ſecundo: quem ad modum etiam ſecundus abſque tertio: tertius verò nunquam abſque illis reperiatur.

VI

Quamuis autem in enunciationibus primus & ſecundus gradus ſeorſum, & abſque tertio reperiuntur: demonſtrationem tamen quam in Poſterioribus Ariſtoteles ſibi propoſuit, illa ſolùm enunciatio ingreditur: quę omnibus ſimul tribus prędita eſt conditionibus.

VII

Primus igitur gradus ſiue conditio *de omni*, flagitat: vt attributum non ſolùm omni totique ſubiecto inſit: verùm etiam vt ei perpetuò

petuò insit: quæ perpetuitas causa est necessitatis: qua fit: vt res aliqua aliter se habere non possit: quæ aliter se habere posset: si cum subiecti vniuersitate perpetuitas coniuncta non esset.

VIII

Per se verò, quâ quidem ad demonstrationem admittitur, non solùm exigit: vt attributum omni subiecto perpetuò insit: verùm etiam: vt illi ita insit: vt de natura illius sit: idq; vel vt naturam subiecti constituens: cuius generis primi modi attributa sunt: vel vt eam necessariò consequens: qualia secundi modi prædicata sunt: vtq; vel attributum in subiecti: vel subiectum in attributi definitione accipiatur.

IX

Ceterùm, sicut in Scientijs primò omniũ subiectum firmiter constituendum est: quippe quòd reliquorum omnium basis est: ita Philosophus, de instrumento Scientiarum, de demonstratione præcepturus: primùm subiecti: deinde prædicati habuit rationem.

X

Etsi enim, vt dictum est, omnes istæ tres conditiones σχέσιν illam notant: quæ inter subiectum est, & attributum: alia tamen ma-

gis & primò ſubiectum: alia contrà magis & primo reſpicit attributum.

XI

Sicut igitur prima conditio κατὰ παντὸς ad ſubiectum pertinet: tertia verò τὸ καθόλου, vt ſuo loco demonſtrabimus, ad prædicatũ: ita cõditio per ſe: ſicut medio inter illas duas loco eſt: ſic medio quodam modo ſe habet: & in aliis quidem modis, primò ad attributum: in alijs autem primò ad ſubiectum refertur.

XII

Quamuis ad rem ipſam quod attinet, eôdem res redeat: quando ſicut per ſe & eſſentialiter attributum ſubiecto ineſt: ita per ſe & ſuam eſſentiam illud ſubiectum habet: & vice verſa.

XIII

Primus modus duas conditiones flagitat: vt attributum ſubiecto re ipſa inſit: vtq́ue ei inſit ἐν τῷ τί ἐστι: cuiuſmodi definitio eſt: definitionis partes, genus & differentia: harumque partium partes.

XIV

Ad ſecundum modum propria & eſſentialia accidentia pertinent: qui ſicut exigit: vt accidens ſubiecto inſit: ita vult: vt ſubiectum in definitione illius accipiatur.

Tertius

XV

Tertius modus ſubſtantias ſolas amplecti-
tur : & eas quidem, tam ſecundas, quàm pri-
mas: vt ex verbis Ariſtotelis eſt manifeſtum:
eſtq́; per ſe tertio modo illa enunciatio : in
qua exiſtentia ὕπαρξις de ſubſtantia, vel pri-
ma, vel ſecunda, enunciatur.

XVI

Quartus modus illarũ enunciationũ eſt: in
quibus, vel effectũ de cauſa ſua propria : pro-
pter quam eſt: ſed externa: eaq́; tum efficiente
tum finali dicitur: vel cõtrà, cauſa de effecto.

XVII

Ex his quatuor modis tertius nunquam
ad demonſtrationem aptus eſt : quartus in-
ſolenter : primi verò duo ſemper : licet non
eadem prorſus ratione: de qua re, ſuo loco
diximus.

XIIX

Tertius gradus τὸ καθόλου ſeu vniuerſale eſt:
quo neq; res vniuerſalis : neque ſignum vni-
uerſale ſignificatur : ſed illa enunciationis
conditio : quæ ſummam in propoſitionibus
efficit neceſsitudinem.

XIX

Cùm enim ſecundi quidẽ per ſe modi pro-
poſitiones omnes: primi aũt aliquæ tantùm
ſummè ſint neceſſariæ: perſpicuũ eſt: quaſdã

primi modi esse : quæ non nihil admixtum contingentiæ habent: à qua vt penitus demonstrationis enunciationes Philosophus expurgaret: tertiam hanc conditionem siue gradum adiecit : qui prædicatum & omni perpetuò subiecto: & per se : & quatenus ipsum , hoc est, cũ reduplicatione, vult inesse: ideoq; prædicatum cum subiecto reciprocare: quæ summa enunciationis est necessitas.

XX.

Sicut igitur in primo gradu voce παντὸς subiectum notatur: ita τὸ καθόλου ad prædicatum primò pertinere : cum respectu tamen ad subiectum: luce meridiana clarius est.

XXI.

Sicut enim primus gradus exigit : vt prædicatum totum subiectum complectatur: ita ex altera parte postremus vult: vt prædicatum non latiùs pateat subiecto : ideoq; vt prædicatum & subiectum æqualia sint & reciproca: sine qua æqualitate & reciprocatione summa necessitas non consistit.

XXII.

Quod sanè perspicuè quoq; ipsius Philosophi verba ostendunt: qui in vniuersalis descriptione ait: *Vniuersale autem illud dico : quod non solùm de omni est: & per se: sed etiam quatenus ipsum*: quibus verbis illud vniuersale seu καθόλου

θόλου esse dicit: & cum illo τὸ καθόλου coniungit: quod inest: id quod attributum esse, nemo est, qui ignoret.

XXIII.

Nec quicquam exceptio valet: si quis dicat: τὸ καθόλου pro καθ' ὅλου positũ esse: ac si sensus esset: καθ' ὅλου δὲ, puta, ὑποκειμένου ἐκεῖνο λέγω, ὃ &c.

XXIV.

Præterquàm enim, quòd hoc pacto τὸ καθόλου & tertius gradus, non solùm non noua & maior quàm prima & secunda necessitatis conditio esset: sed prima quoque minor: quæ cum subiecti vniuersitate perpetuitatem coniunctam habet: quodqúe non scriptum sit καθ' ὅλου sed καθόλου: etiam ab Aristotele hæc interpretatio confutatur.

XXV

Cùm enim priùs dixisset: *Vniuersale autem dico quod*: id mox quasi meliùs muniens, ait: φανερὸν ἄρα, ὅτι ὅσα καθόλου, ἐξ ἀνάγκης ὑπάρχει τοῖς πράγμασι: vniuersale autem Prioristicum necessitatem istam non habet. & iterum: τὸ καθόλου δὲ ὑπάρχει τότε, ὅταν ἐπὶ τοῦ τυχόντος καὶ πρώτου δεικνύηται: quibus verbis clarius dici nihil potuit.

XXVI

Cùm igitur illud quod inest: & quod de

quouis & primo subiecto monstratur, καθόλου Philosophus appellet: perspicuum est: eum τὸ καθόλου cum attributo coniungere.

XXVII

Neq; sanè vel Ramea: vel alia Grammatica patitur: vt in illis eiusdem cōtextus verbis: ὃ τοίνυν τὸ τυχὸν πρῶτον δείκνυται, δύο ὀρθὰς ἔχον, ἢ ὁτιοῦν ἄλλο, τούτῳ πρώτῳ ὑπάρχει καθόλου: pro καθόλου, καθ' ὅλου dicamus: cùm subiectum in casu dandi positum sit, τούτῳ πρώτῳ: cum quo patrius casus cohærere nullo modo potest.

XX VIII

Ex quo profectò loco euincitur: cùm præter subiectum & attributum aliud nihil sit in enunciatione: ad quod vox illa καθόλου referri queat: eam omninò ad attributū, quod primo subiecto inest, esse referendam.

XXIX

lib.1.post cont.11. Sed quid clarius illis Philosophi verbis: cùm ait: *γ non esse* καθόλου *ipsi β?* Syllogismum enim in Barbara struit: in quo β minoris: α maioris extremi: γ verò medij locum tenet: & γ siue medium, quod in minore propositione de β affirmatur, ipsi vniuersale esse negat.

XXX.

Ex his omnibus liquet: τὸ καθόλου & καθ' ὅλου idem nequaquam esse: quod si verum esset: καθόλου profectò nec vniuersaliter, nec vniuersale, sed de vniuersali vel vniuerso vertendum esset.

XXXI

Hanc ipsam interpretationem Interpretes quoque Aristotelis, tàm Græci, quàm Arabes & Latini confirmant.

XXXII

Themistius enim inter cetera sic scribit: δεῖ γὰρ τὸ καθόλου πρὸς τῷ παντὶ ὑπάρχειν· καὶ καθ' αὑτὸ ὑπάρχειν· ἔτι καὶ πρώτῳ ἐκείνῳ ὑπάρχειν· καὶ οὐδενὶ ἄλλῳ προτέρῳ: Philoponus autem: πρῶτον δ' εἰπὼν δεῖν τὸ καθόλου καθ' αὑτό τε εἶναι, καὶ κατὰ παντός. Auerroes: *Dicitur autem vniuersale: cùm prædicatum inest omni subiecto: & per se: sensus est: quod nos volumus, cùm prædicatum vniuersale dicimus in hoc libro: vt aggregentur in illo tres conditiones:* Thomas: *Primò dicit, quòd vniuersale, scilicet prædicatū, est etiam quod de omni est, id est vniuersaliter prædicatur de subiecto & etiā per se.* Zabarella: *Sumit enim uniuersale pro prædicato uniuersali in propositione: quod ipsam summè necessariā esse facit.* Et iterum: *Quod autem è conuerso etiā prædicatum totum in eo subiecto inclusum sit: ex-*

lib. 1. post. cont. 36.

de propos. neces. lib. 2. cap. 1. & 2. & in 1 post. cōt. 36.

presit per tertiam conditionem: dicens: prædicatum debere esse vniuersale respectu illius subiecti.

XXXIII

Reliquum est, vt exceptionibus aduersarij respondeamus, quod vt commodè fieri posſit, ſciendum eſt, eum hæc tria, quæ ego Ariſtotelica eſſe negaui, vt Ariſtotelica, & his tribus neceſsitudinis gradibus, pro vt ab Ariſtotele in quarto primi libri capite, explicantur, cõſentanea tueri: primum enunciatum iſtud, æquicrurus tres, duobus rectis pares habet, καθόλȣ eſſe Poſterioriſticè: alterum, κατὰ παντὸς & καθόλȣ idem eſſe, extremum, καθόλȣ & καθόλȣ πρῶτον re ipſa ſiue ad neceſsitudinem enunciationum quod attinet, plurimùm differre.

XXXIV.

Ac primùm quidem ad primum & tertium errorem ſtabiliendum Scheggii abutitur autoritate, qui in Commentario ſuo in primum Priorum ad hunc modum ſcribit: *Ariſtoteles libro altero Poſteriorum Analyticorum, ſimpliciter* καθόλȣ *&* πρῶτον καθόλȣ *ſic diſtinguit, vt illud nimirum non ſit cum ſubiecto reciprocum, hoc verò ſit reciprocum: vt habere tres angulos duobus rectis æquos, reſpectu ſcaleni,* καθόλȣ *ſimpliciter dicitur, ſed reſpectu trianguli* πρῶτον καθόλȣ.

XXXV

Ex his autem aduerſarius nequaquam obtinet, quod ſperat. His enim verbis Scheggius non quartum primi libri caput, vt putauit aduerſarius: in quo tale diſcrimen nullum legimus: ſed cap. 17. alterius, vt Scheggius loquitur, hoc eſt, ſecundi libri, reſpicit: id quod vel ex Ramo diſcere debuit: ideoqúe *In 1. poſt.* non Scheggium, ſed ipſummet Ariſtotelem *cap. 4.* loquentem producere: cuius loco citato hęc ſunt verba, τοῦτο γὰρ λέγω καθόλου, ὃ μὴ ἀντιστρέφει, πρῶτον δὲ καθόλου, ᾧ ἕκαστον μὲν μὴ ἀντιστρέφει, ἅπαντα δὲ ἀντιστρέφει, καὶ μὴ παρεκτείνει.

XXXVI

Verùm hęc Ariſtotelis verba nobis nihil prorſus officiunt, qui neque inficiamur, neque inficiati vnquam ſumus: τὸ καθόλου πλεοναχῶς vſurpari, ſed hoc tantùm dicimus, in quarto primi libri capite, vbi ordine de tribus illis conditionibus pręcipitur, τὸ κατὰ παντὸς & καθόλου plurimùm differre; & τὸ κατὰ παντὸς quidem ſubiectum totum attributo perpetuò ſubijcere, τὸ καθόλου verò viciſsim velle, ne latius attributum pateat, id quod ſanè perſpicuè à nobis ſuprà eſt demonſtratum.

XXXVII

Cùm igitur hìc Philoſophus τὸ καθόλου reci-

procum esse negat: non de tertio illo necessitudinis gradu loquitur: sed communiter illud vsurpat: & hoc facit: quia prædicatum non reciprocum καθόλου appellârat: cùm scripsit, τὸ μὲν δὴ β καθόλου ἂν εἴη τοῖς δ. ne quis igitur existimaret: illum prædicatum β ea ratione καθόλου dicere: qua in quarto primi libri capite, accipitur: explicationem subiungit: se καθόλου hîc pro prædicato quidem vniuersali, quod vniuerso subiecto insit: latiùs tamen quàm subiectum patente: vsurpare.

XXXIIX

His ipsis autem verbis aduersarij Grammatica ruit: qui καθόλου & καθ' ὅλου idē esse putat: ideoq́ue non ad prædicatum, sed ad subiectum semper τὸ καθόλου pertinere.

XXXIX

Nónne verò si, vt aduersarius scribit, Præceptorem suum subinde inter Prioristicum & Posterioristicum καθόλου distinguere meminit: etiam meminisse debuit: aliud Prioristicum, aliud Posterioristicum καθόλου esse: ideoq; καθόλου & καθ' ὅλου idem non esse?

XL

Post allatam hanc suæ sententiæ confirmationem: ad verba illa Aristotelis: τὸ καθόλου ὑπάρχει τότε, ὅταν ἐπὶ τοῦ τυχόντος καὶ πρώτου δεικνύηται

νύνται: quæ ſupra à nobis producta ſunt: & quæ propoſito ſuo non parum obſtare vidit: quippe quæ & τὸ καθόλου prædicati conditionem: & prædicatũ καθόλου primo ſuo ſubiecto æquale & reciprocum eſſe oſtendũt: reſpondere aduerſarius conatur: primoqúe mendum in verbis Ariſtotelis eſſe more Ramiſtico pronunciat: & non, ſicut omnes Ariſtotelis Interpretes, Græci, Arabes, Latini, conſentientes ad hunc vſque diem legerunt & explicarunt: legendum eſſe, ὅταν ἐπὶ τοῦ τυχόντος, καὶ πρώτου, ſed, ὅταν οὐκ ἐπὶ τοῦ τυχόντος, ἀλλὰ πρώτου δεικνύνται.

XLI

Verùm quo modo hæc caſtigatio cum illis Ariſtotelis verbis, quæ extemplò ſubijciũtur conſentit: quando ait: τὸ δὲ ἰσοσκελὲς ἔχει μὲν τὸ τυχὸν, δύο ὀρθαῖς ἴσας: ἀλλ' οὐ πρῶτον: ἀλλὰ τὸ τρίγωνον πρότερον. ὃ τοίνυν τὸ τυχὸν πρῶτον δείκνυται δύο ὀρθὰς ἔχον &c?

XLII

Τὸ τυχὸν Ariſtoteli hic idem eſt, quod τὸ κατὰ παντὸς: quem ad modum τὸ πρῶτον, ad rem ipſam quod attinet, idem, quod τὸ καθ' αὑτὸ καὶ ᾗ αὐτό: vultqúe in ſumma: vt concluſio καθόλου ſit: attributũ non ſolùm de quouis ſeu omni: ſed præterea etiã de primo, cui quatenus ipſum, & cũ reduplicatione ineſt, ſubiecto, demonſtrandũ eſſe: ideoq; affectionem

illam duorum rectorum non solùm non de figura, quę τὸ τυχὸν non habet, sed ne de isosceles quidem καθόλου demonstrari, quod licet τὸ τυχὸν habeat, altera tamen & pręcipua conditione est destitutum.

XLIII

Lectionem igitur & castigationem istam suam ex Aristotele, quęsumus, nobis demõstret: quam demonstrabit: cùm naturale illud syllogistici artificij principium, τὸ κατὰ παντὸς κατηγορεῖσθαι, quod eadem Ramistici audacia falsitatis damnauit, falsum esse probabit, id quod ἄνω ποταμῶν & ad Calendas Gręcas faciet, ad quas etiam probabunt, principem Cœnę Domini finem eucharisticum & gratiarum actionem esse, quod Ramus etiam aliunde acceptum, effutiuit: vt scilicet & Philosophiam & Theologiam pro virili consputaret, ac deprauaret: in quarum vtranque illotis manibus inuolauit.

XLIV

Qui igitur studijs suis consultum esse, & non Philosophicarum & Theologicarum rerum iacturam facere volunt: ij à Ramistico, quod omnia sua audacia inficit, diligentißime sibi caueant fermento.

Sed

XLV

Sed quod obtinere ſe poſſe aduerſarius ſperat, ſi maximè temerariam illam illi caſtigationem concedamus? Solida & Logica reſponſione deſtitutus ad Grammaticam confugit: Ariſtotelemque vocem καθόλυ per ſynecdochen generis, vel per Grammaticam ellipſin vocabuli πρῶτον ſic vſurpare ait, cui ne per ſomnium quidē vel ellipſis iſta Grammatica, vel ſynechdoche illa Ramiſtica in mentem vnquam venit: ſicut etiam nullus ex tot doctiſſimis Interpretibus tropum iſtum in hunc vſque diem diuinare potuit: ideoq; hoc totum quod dicit eâdem à nobis facilitate reijcitur, qua ab illo dicitur.

XLVI

Quærit autem, ſi non hoc, quod ipſe ſtatuit, inter καθόλυ abſolutè & καθόλυ πρῶτον diſcrimen ſit: cur Ariſtoteles poſtea καθόλυ πρῶτον appellet, quo καθόλυ ſimplex reſtringi videtur?

XLVII

Reſpondemus: τό καθόλυ hîc, vbi tertium neceſsitudinis gradum ſignificat, nequaquam eo, quo aduerſarius exiſtimat, & quo in Prioribus accipitur, cùm propoſitio ἐν μέρει τῇ καθόλυ opponitur, modo accipi. In Prio-

ribus enim τὸ καθόλου signum tantùm subiecti est, ad solam attinens formam: hîc verò conditio quædam attributi: eaq́ue materiam, non formam respiciens: quæ, vt luce meridiana clarius demonstratum est, attributum subiecto æquale efficit.

XLIIX

Quòd si καθόλου istud, quod in quarto capite primi Posteriorum definitur, idem cum
cont. 56. illo est, cui in Prioribus propositio in parte opponitur: cur, quæso, postremo loco, velut ceterarum duarum cōditionum, *de omni, per se*, complementum & perfectio, proponitur?

XLIX.

Neq́ue nobis dicas, id per Grammaticam ellipsin, vel sinecdochen illam generis fieri.

L

Qui enim hoc dicit, is indicat: se in Aristotele, perinde vt in ignota sylua, oberrare.

LI

Propositum Aristoteli est docere, vt ex initio
cont. 28. quarti capitis liquet: demonstrationis τὸ διότι & conclusionem, & propositiones de omni, per se, & καθόλου esse debere: idq́ue propterea, quòd tum cōclusionem, tum propositiones, quippe à quibus necessitatē conclusio habet, summè necessarias esse oporteat, qua-

quales illæ demùm sunt, quæ summè per se, siue κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ καὶ καθόλου simul sunt.

LII

Antequam verò id doceat : definit, quid τὸ κατὰ παντὸς, τὸ καθ' αὑτὸ, καὶ τὸ καθόλου appellet: vt extremo 28. contextu docemur. *1. poster.*

LIII

Absoluta harum trium conditionum definitione & explicatione, ad rem accedit: ac priusquam de propositionibus quod proposuit, demonstret, conclusionem καθόλου esse debere ostendit, vt inde efficiat, tales etiam propositiones esse debere, perinde vt ante ex conclusionis necessitudine propositionum euicit necessitatem. *cont. 28.*

LIV

Conclusionem καθόλου tunc esse dicit: cùm affectio & de quouis seu omni, & de primo subiecto demonstratur, velut duo recti de triangulo. *cont. 37.*

LV

Quem ad modum enim syllogismi conclusionem crebrius syllogismum, vt in Isagoge ostendimus, vocat, quia forma & princeps syllogismi pars est: sic demonstrationis conclusionem eandem ob causam demonstrationem appellat. *part. com. lib. 3. cap. 2. & 3.*

LVI

Ad vniuersalem igitur, prout in Posteriori ribus τὸ καθόλου capitur, demonstrationem siue conclusionem requiritur, vt subiectum primum sit: quod cùm sit, attributum seu affectio tota in eo inest, eoq; latius non patet.

LVII

Hinc sequenti capite de erroribus triplicem ab vniuersali demonstratione errorem eliminans, conclusionem vniuersalem primam, seu id quod mõstratur vniuersale primum καθόλου πρῶτον & πρῶτον καθόλου vocat, quia non amplius de conditionibus necessariarum enunciationum, sed de conclusione vniuersali præcipit: quam primam vocat propter subiectum, quod primum esse oportet, vniuersalem, propter attributum seu affectionem, quam totam in illo subiecto inesse oportet.

LIIX

Audiatur vnicus, isq; celeberrimus nostri sæculi Philosophus, Zabarella: qui in Commentario suo in Posteriora, in caput quintum primi, inter cetera sic scribit. *Id enim quod monstratur est sola conclusio, hanc autem Aristoteles vocat vniuersale primum: nam vniuersalis dicitur propter prædicatum vniuersale: & prima propter subiectum, quod primũ dicitur respectu illius prædicati.*

An

LIX

An igitur duo recti de isoscele καθόλου enuncientur: καθόλου, inquam, Posterioristicè (nam καθόλου Prioristicè & κατὰ παντὸς enunciari quis ignorat?) & an τὸ καθόλου per vocem πρῶτον eo, quo aduersarius existimat, modo, restringatur, ex his liquere arbitror.

LX

Simul liquet, & Magistrum & discipulum turpiter errasse, cùm καθόλου πρῶτον vniuersaliter primum, & vniuersale primò verterunt, nullumqué ex istis, in hunc vsque diem, intellexisse, quid καθόλου πρῶτον sit, & quo pacto τὸ καθόλου καὶ πρῶτον καθόλου sint discriminanda.

LXI

Καθόλου istud, de quo loquimur, absolutè, sine omni tropo acceptum, conditio est necessariæ enunciationis: καθόλου πρῶτον autem non amplius necessariæ enunciationis conditio est, sed ad solum τὸ δεικνύμενον, vt ex Aristotele manifestum est, siue ad solam demonstrationis attinet cōclusionem, adeò vt principium quoque demonstrationis ἄμεσον, in quo affectio de causa dicitur, καθόλου quidem sit, siue κατὰ παντὸς, καθ' αὑτὸ καὶ καθόλου: & quidem primum etiam ratione causæ, sed non καθόλου πρῶτον, quia causa, quę subiecti locum

lib. 1. Post. cont. 38.

in eo tenet, non est primum & verum subiectum: cui affectio reipsa inest: & in qua tanquam in radice hæret: id quod ad καθόλου πρῶτον, vniuersalisqúe demonstrationis conclusionem requiritur.

LXII

De primo igitur & tertio aduersarij errore hactenus. videamus nunc, quo modo probet, τὸ κατὰ παντὸς καὶ καθόλου idem esse.

LXIII

Καθόλου, inquit, & κατὰ παντὸς, idem sunt, & non idem: idem, si καθόλου propriè & non synecdochicè: non idem: si καθόλου πρῶτον synecdochicè accipiatur.

LXIIII

Atqui iam iamque ostendimus, non de vniuersali in genere, sed de vniuersali, tertio necessitatis gradu, sermonem esse: qui tantum abest, vt cum vniuersali Prioristico (sic enim loqui nobis fas sit) idem sit: vt etiam à prima necessitatis conditione κατὰ παντὸς quàm plurimùm differat: vt nihil planè ad rē distinctio aduersarij faciat.

LXV

Sed & illud falsissimum est quod scribit,

καθόλου propriè & non restrictū, sicut in Prioribus accipitur, acceptum, idem cum τῷ κατὰ παντὸς esse, cùm hoc pręter subiecti vniuersitatem etiam perpetuitatem complectatur, quam illud nequaquam complectitur.

XLVI

Ad Grammaticam deinde aduersarius confugit, sequé solum Grammaticum esse arbitratur.

LXVII

Rogat enim: quid sibi vult illud, *licet*? Scripsi, primo necessitatis gradu κατὰ παντὸς Aristotelem velle, vt totum subiectum à pręd icato comprehendatur, licet pręd icatum latiùs subiecto pateat: at noster iste Grammaticus existimat, nihil ab alio comprehendi, & in alio totum esse dici posse, nisi quod angustius sit: ideoque vocem illam, *licet*, malè à nobis prolatam esse.

LXVIII

Quasi verò non etiam ęquale ab ęquali comprehendi, inque eo totum esse rectè dicatur: cum ipsa veritas dicat, se, puta totam, in Patre, Patremque in se esse: & quasi non ita viri magni, tum in Philosophicis, tum Grammaticis apprimè versati, loquantur.

LXIX

Sic enim, vt vnum pro multis afferam, & rerum & verborum peritissimus Zabarella: *Quòd enim, inquit, subiectum totum à prædicato contineatur: manifestum est ex sola conditione de omni: quia si de omni subiecto illo prædicatur: nulla est eius subiecti pars: quæ ab illo prædicato non comprehẽdatur: quod autem è conuerso etiam prædicatum totum in eo subiecto* inclusum sit: *expreßit per tertiam conditionem, dicens, prædicatum debere esse vniuersale respectu illius subiecti, id est, vniuersum in eo inesse:* Et iterum ibidem: *Si rationem quæramus, cur prædicatum, quod de omni, per se, & quatenus ipsum est, vocetur ab Aristotele vniuersale: nullam inueniemus præter hanc vnam: quòd vniuersum illud prædicatum in eo subiecto* comprehenditur, *& extra illud nusquam inuenitur.*

De propos. neces. lib. 2. cap. 4.

LXX

Ex quibus liquet: vana prorsus esse, quæ subiungit aduersarius: nobisq; vt errata impingit: quæ omnia huic fundamento innitũtur: quòd nihil nisi angustius ab alio comprehendi posit, quæ certè errata nobis nunquã impegisset, si non toto cælo hîc erraret, vt ex ijs, quæ dicta sunt, manifestum est.

LXXI

Quòd igitur τὸ καθόλου in duas voces dirimit

mit, & omnino καθόλου & καθ' ὅλου apud Aristotelem in quarto capite, & cùm καθόλου πρῶτον appellat, (de hoc enim quæstio est) idem esse vult: id supra satis confutatum est.

LXXII

Illud tantùm notandum est, quod aduersarij in his rebus scientiam indicat, quòd scribere eum non puduit: non solùm totum animal in homine esse: verum etiam omne prædicatum κατὰ παντὸς totum in subiecto esse.

LXXIII

Est ne igitur totus nigror in coruo ? candor in cycno ? istæ enim enunciationes, coruus niger est, cycnus albus est, κατὰ παντὸς sunt. profectò si nigror totus in coruo, candor totus in cycno, animal totum in homine esset, nihil præter coruum nigrum, præter cycnum album, & præter hominem animal esset.

LXXIV

Ex his autem etiam perspicuum est, illos toto cælo errare, qui tres istas necessariarum enunciationum conditiones, in primis autem τὸ καθόλου πρῶτον, quod non conditio aut lex, sed conclusio demonstrationis est, leges esse docent, ad quas artium præcepta sint accommodanda.

LXXV

Conditiones istę in rebus tantùm necessarijs, quæ se aliter habere nullo modo possunt, & sub demonstrationem cadunt, locum habent: præcepta autem artium ad res contingentes spectant, in quibus summæ necessitudinis conditiones frustrà quęruntur.

LXXVI

Vniuersalia sanè artium pręcepta essę debent, hoc est, attributum vel omni & vniuerso subiecto, vel certè potiori illius parti competere debet: vt autem vniuersalia Posterioristicè, & καθόλυ πρῶτα sint, id neq; necesse est, neq; fieri potest.

LXXVII

1. Poster. cont. 199. Vniuersale illud Aristotelis pręceptum est, demonstrationem per causam remotam in media figura construi, negantemq; esse, quia licet in prima quoque affirmans construi posit, insolens tamen valdè est hęc per causam remotam demonstrandi ratio.

LXXIIX

Tametsi verò eo, quo dictum est, modo vniuersale est, neque κατὰ παντὸς tamen est, neque καθόλυ: cùm non quicquid negantem in media conclusionem efficit, demonstratio sit, nedum demonstratio ex causa remota.

Vni-

LXXIX

Vniuersale illud Grammaticorum pręceptum est, *nomina in A generis fœminini sunt*, quia pleraque fœminina sunt, quod huic sufficit vniuersitati, & tamen neque κατὰ παντὸς est, neque καθόλου : multò minus καθόλου πρῶτον, cùm non quicquid in A desinit fœmininum sit, nec omne fœmininum litera A terminetur.

XXC

Si quis dicat, vt nuper quendam dicere non puduit: pręceptum seu regulam illis verbis *nomina in A fœminini generis sunt* nō absolui sed ad regulam exceptiones etiam attinere : is, prӕterquam quòd prӕceptum istud καθόλου πρῶτον non efficit, etiam prӕcepta constituit quӕ prorsus insolentia sunt, & non nisi rarenter vera.

XXCI

Sed quid multis opus est? ipsimet inter se, velut cӕci in tenebris palpitantes, digladiantur de humani testimonij diuisione, de veri axiomatis, de syllogismi simplicis (sic enim Categoricum perperam appellant) distributione, & similibus, an καθόλου πρῶτα sint.

XXCII

Hӕc igitur & similia καθόλου πρῶτα nobis ef-

ficiant, antequam contendant, artium præcepta vniuersalia prima esse debere.

XXCIII

Læditenim, & vniuersalem primam non esse, Ramisticam illam simplicis syllogismi in affirmatum & negatum diuisionem ostendit syllogismus hypotheticus, qui licet reuera syllogismus non sit, vt in Isagoge ex Aristotele docuimus, affirmans tamen & negans est, quia affirmantem & negantem colligit conclusionem.

XXCIV

Neque enim propter principia & propositiones affirmans & negans syllogismus dicitur, dicique debet, sed propter conclusionem, quia si propter principia sic diceretur, omnis syllogismus negans tã affirmans quàm negans esset, cùm tam affirmante quàm negante constet propositione.

XXCV

Nisi fortè in affirmatum, qui vtrâque propositione affirmata, & in negatũ, qui vtrâque negata, cuiusmodi nullus est, & in medium seu mixtum, qui altera propositione affirmata, altera negaa constet, syllogism u m tribuere Magistris istis lubeat.

Quid

XXCVI

Quid verò nónne vniuersales negantes, syllogismi in Celarent, Cesare & Camestres sunt, qui autem in Ferio & Festino &c. in parte negantes, quorum tamen negans propositio non minus quàm illorũ vniuersalis est?

XXCVII

Ob conclusionem igitur affirmans & negans syllogismus dicitur, vt discrimen inter affirmantem & negantem & inter vniuersè & in parte negantem sit: ex quo vel vno, vt hoc ἐν παρόδῳ adijciamus, luce meridiana clarius liquet, conclusionem syllogismi partem esse.

XXCIIX

Si quis dicat: (hoc enim nuper dixit, qui calamum aduersus Lieblerum strinxit, sed tueri non potuit) syllogismi in affirmatum & negatum diuisionem vniuersalem primam esse, si syllogismus, generaliter acceptus, prout simplicem & Compositum siue hypotheticum, tanquam species complectitur, hoc pacto diuidatur, is & hypothetici naturam ignorat, & serram per lineam reciprocat.

XXCIX

Vt enim inductionem & alia, simpliciumqúe affirmationem & negationem, de

qua in Categorijs disseruimus, in præsentia mittamus, enunciatum profectò non minus quàm syllogismus, in affirmatum & negatum tribuitur, vt falsissimum sit, quicquid affirmatum aut negatum est, id syllogismum generaliter acceptum esse.

XC

Denique καθόλου πρῶτον, vt dictum est exigit, vt subiectum primum, & attributum affectio illius sit essentialis, & vtrunq; res extra animum, ex quibus illud sustentet, hoc autē ita sustentetur, vt in illo tanquam in radice hæreat, extraqúe illud nuspiam reperiatur, id quod de præceptis artium dici nullo modo potest.

XCI

Vnum illud annectere placet. Scripsit aduersarius, idq; vt Isagogen meam suspectam redderet, & artis atque facultatis & scientiæ vocabulum accommodatum esse ad naturā Logices declarandam, id quod verum erit, vbi hoc nobis expedierit argumentum:

XCII


Quæ res diuersas rerumq; naturas declarant, ea non exprimunt vnam & simplicem vnius rei naturam: facultas, ars, scientia, res diuersas rerumq; diuersarum naturas declarant,

rant, quia plurimùm dissiti discrepantesqúe habitus sunt, cùm scientia rerum sit necessariarum, ars autem contingentium, quæ in nostro positæ sunt arbitrio: Logicæ igitur naturam, quæ vnica est, non promiscuè quoduis horum exprimit.

XCIII

Aliud igitur est artem vel scientiam Logicen appellare: aliud arte aut scientia eam definire, quem ad modum etiam aliud Logica, aliud Dialectica est, nec Logica sed Dialectica Aristoteli in Rhetoricis facultas & ἀντίστροφος Rhetoricæ est, qua etiam in parte turpiter aduersarius est hallucinatus. *lib. 1. cap. 1. & 4.*

Hæc pro veritate, vt par erat, & necessitas postulabat, aduersus errores scripsi: quæ tantum abest, vt quisquam istorum, quibus noua placent, refutarit: vt contrà ille ipse, aduersus quem scripta sunt, suis, vt pote nouis & falsis, prorsus inductis, ea in suam Dialecticam Animaduersionem transtulerit.







Port

Prohibitus

